

SB München

P. Lat. 1057
4°
V-747

[Hagen]

(zu Prosper

Math.

~~Chronol. 26~~

(T. V.)

Dissertationes

DISSERTATIONES
DE
CYCLIS PASCHALIBUS

(qui Enneadecaëteride Alexandrina nituntur) Dionyſii ſcilicet & Bedæ, Ravennatenſi, Iſidori, Felicis, Cyrilli, Theophili, Aniani, Panodori, Metrodori, Anatolii, Euſebii, Synodi Nicænæ, & Athanaſii;

Ut &

DE
ENNEADECAETERIDIS

Alexandrinæ natura & conſtitutione, Initio ſeu primo anno, Ratione Embolismi, Initio ſingulorum annorum, & hujus Initii translatione; ut & DE COMPUTO LUNARI ALEXANDRINORUM.

Nec non

DE
COMPUTO SOLARI

in genere, & Pauli Alexandrini, atque Alexandrinorum in ſpecie: ubi quoque de Cycli Solis Alexandrinorum initio, ſeu primo anno, atque initio ſingulorum annorum, & hujus initii translatione.

AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM BOOM.
CIƆDCCXXXVI.

Bayerische Staatsbibliothek München

Bayerische
Staatsbibliothek
München

RECENSIO DISSERTATIONUM.

PARS PRIMA

Continet quatuordecim Dissertationes, quarum undecim priores agunt de Cyclis Paschalibus, quibus dies Dominicæ Paschales adscriptæ sunt; tres vero reliquæ de Cyclo Decemnovennali; agitque.

1ma, De Cyclo Paschali XCV annorum, a Dionysio edito, & a Beda continuato; & ad annos DXXXII perducto. pag. 1.

2da, De Cyclo Paschali XCV annorum Ravennatensi. pag. 31.

3^{tia}, De Cyclo Paſchali XCV annorum Iſidori Hispalenſis. pag. 35.

4ta, De Cyclo Paſchali XCV annorum Sancti Felicis Abbatis. pag. 38.

5ta, De Cyclo Paſchali XCV annorum Cyrilli Epiſcopi Alexandrini. pag. 42.

6ta, De Laterculo Paſchali C annorum Theophili Alexandrini Epiſcopi. pag. 50.

7ma, De Cyclo Paſchali CCCCXVIII annorum Theophili Alexandrini Epiſcopi. pag. 59.

8va, De Cyclo Magno Paſchali ſeu Periodo DXXXII annorum Aniani Monachi Ægyptii. pag. 65.

9na, De Cyclo Magno Paſchali, ſeu Periodo DXXXII annorum Panodori Monachi Ægyptii. pag. 93.

10ma, De Cyclo Magno Paſchali, ſeu Periodo DXXXII annorum Metrodori. pag. 107.

11ma, De Pſeudo-Anatolii & veri-Anatolii Canone Paſchali, in quâ præmiſſa Præfatione, Canon Latinus XIX annorum cum adjunctis diebus Dominicis Paſchalibus, Pſeudo-Anatolii eſſe oſtenditur; & Obſervationes

nes ad Veri-Anatolii Græca ex Eusebii Historia Ecclesiastica Lib. 7. Cap. 32. subjunguntur. pag. 115.

12ma Dissertatione inquiritur, an Eusebius Cæsariensis Cyclum Decemnovennalem composuerit. pag. 157.

13tia autem inquiritur, an Synodus Nicæna Enneadecaëterida instituerit, & Terminos Paschales definiverit, aliaque de Paschatis celebratione decreta condiderit. pag. 172.

14ta vero inquiritur, an Athanasius Alexandrinus Enneadecaëteridem composuerit. pag. 205.

PARS ALTERA.

A. Primo, considerat Enneadecaëteridem Alexandrinorum, ita, ut

1mo, Agat de Enneadecaëteridis Alexandrinorum natura & constitutione. pag. 208.

2do, De Enneadecaëteridis Alexandrinæ initio seu primo anno. pag. 232.

3tio, De Embolismi ratione, & quidam

a. In Enneadecaëteride Alexandrina. pag. 243.

b. In Cyclo Decemnovennali Dionysii. pag. 248.

c. In Cyclo Decemnovennali Bedæ. pag. 255.

4to Inquirat de Enneadecaëteride Alexandrina Paschali, an inceperit a mense Paschali, an vero a Lunatione quæ in Thoth terminatur, quæque init anno 1mo in die Epagomen. 5to. pag. 267.

5to Denique, an & quando Initium annorum in Cyclo Lunæ Alexandrinorum translatum sit a Luna mensis Thoth ad Lunam mensis Paschalis, saltem in usu Paschali. pag. 271.

B. Secundo, Computum Lunarem Alexandrinorum explicat, agendo

In ejus Parte 1ma, de Computo Lunari Alexandrinorum ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet

anni

anni die propofito; dato anno Cycli & Epactis ejus anni. pag. 276.

In Parte 2da, de Computo Lunari Alexandrinorum ad inveniendas Lunas XIVtas Pafchales, dato anno Cycli, & ejus anni Epactis. pag. 311.

In Parte 3tia, de Computo Lunari Alexandrinorum, ad inveniendum annos Cycli & Epactas. pag. 323.

C. Tertio, Computum Solarem exhibet, agendo

1mo, de Computo Solari in genere, & quæ eo pertinent, de Cyclo Solis, & Epactis in genere. pag. 329.

2do, de Pauli Alexandrini Computo Solari & Cyclo Solis. pag. 393.

3tio, de Computo Solari Alexandrinorum. pag. 414.

4to, Denique hæc tria inquirit:

a. Initium feu primum annum Cycli Solis Alexandrinorum. pag. 431.

b. Initium primi & reliquorum annorum in Cyclo Solis Alexandrinorum. pag. 436.

c. An

c. An & quando Initium annorum in Cyclo Solis Alexandrinorum tranſlatum ſit, a menſe Thoth ad menſem Pharmuthi, ſaltem in uſu Paſchali. pag. 439.

DE CYCLO PASCHALI

XCV annorum

A DIONYSIO EDITO,

&

A BEDA CONTINUATO,

& ad annos DXXXII perducto.

I.

De hoc Cyclo Paschali jam antea incidenter egi.

IN Obſervationibus ad Dionyſii Epiſtolam 1am, quæ ad Petronium Epiſcopum ſcripta eſt.

In Obſervationibus ad Dionyſii Epiſtolam 2am, quæ ad Bonifacium & Bonum ſcripta eſt.

In Obſervationibus ad Bedæ Librum de Rat. Temp.

In Obſervationibus ad Bedæ Librum de Nat. rerum & Rat. Temp.

II.

Quinam veterum hujus Cycli meminerunt, vel de eo egerunt.

Dionyſius ipſe in Epiſtolis, & Beda in Libris de Temporum Ratione.

Anonymus (a Muratorio editus) in Computo, Capit. CXXI, & CXXII, & CXX.

Ceolfridus Abbas in Epiſtola ad Naitonem regem Pictorum, ſcripta teſte Uſſerio, anno Chriſti 710, in Bedæ Hiſt. Eccl. gentis Anglor. L. 5. C. 22.

III.

Quinam recentiorum de hoc Cyclo egerunt.

Noris in Diſſertatione ad Cyclum Ravennatenſem XCV annorum a ſe editum.

Scaliger de Emend. Temp. Lib. 2°, p. 157. edit. Colon. 1629.

Petavius de Doctr. Temp. Tom. 1°, Lib. 2°, C. 66, 67, & 68.

IV.

De scopo hujus Dissertationis.

Scopus meus in hac Dissertatione non est, Cyclum Decemn., & Lunarem, nec non Cyclum Solis Dionysii, &c. explicare: hoc enim separatis Dissertationibus agam, & egi.

Sed tantum generaliter de hoc Cyclo agere institui, ejusque contenta, initium, quantitatem, tempus editionis, &c. indicare.

V.

Cur hunc Cyclum voco Cyclum Paschalem.

Hunc Cyclum voco *Cyclum Paschalem*, non tantum in genere, quia ad usum Paschalem inserviebat, sed etiam in specie, quia ipsa Paschata, seu Dominicos Paschæ dies, cum suis Lunis expresse exhibebat.

VI.

Dionysius edidit Cyclum suum Paschalem, anno Æræ Vulgaris Christi 525°.

Hoc ipse indicat in Epistola 1ª, ubi dicit, quod, quum suum ederet, *sex adhuc anni ex Cyclo Cyrilli* (XCV annorum) *supererant.*

Vide nostras ad hanc Epistolam observationes §° 8, 12, 14. 7.

Et confer sequentem §um 10.

VII.

Cycli Paschalis a Cyrillo editi, Circulum decemnovalem ultimum, seu 5um suo operi præmisit.

Id expresse dicit in eadem Epistola 1ª, postquam enim dixerat Cyrillum Cyclum XCV annorum composuisse, addit, *se ultimum ejusdem Beati Cyrilli, id est, quintum Circulum, quia sex adhuc ex eo anni supererant, in suo opere prætulisse*, hoc est, præmisisse.

Quod deinde repetit, *non ad quintum Cyclum S. Cyrilli, quem nobis necessario præposuimus*, &c.

VIII.

Cyclus Paschalis Dionysii erat XCV annorum.

Sic ait, eadem Epistola 1ª, *Nonaginta quinque autem annorum hunc Cyclum studio, quo valuimus, expedire contendimus.*

Et paulo post, *circulus iste nonaginta & quinque annorum, quem fecimus.*

Et

Et iterum, eodem §° *quæ causa etiam facit, ut non per omnia circulus iste nonaginta quinque annorum* &c.

Et paucis verbis interjectis; *& ideo post explicationem nonaginta quinque annorum*, hoc est, Cyclo evoluto.

Confer §um 21.

IX.

Cyclus Paschalis Dionysii quinque Cyclis decemnovalibus constabat, seu in quinque Cyclos decemn. distinctus erat.

Sic ait eadem Epistola 1ª, *Nonaginta quinque autem annorum hunc Cyclum studio, quo valuimus, expedire contendimus: Ultimum ejusdem Beati Cyrilli, id est, quintum Circulum, quia sex adhuc ex eo anni supererant, in nostro hoc Opere præferentes: ac deinde quinque alios, juxta normam ejusdem Pontificis, imo potius sæpe dicti Nicæni concilii, nos ordinasse profitemur.*

Et paulo post, *noluimus Circulis nostris memoriam impii & persecutoris innectere.*

Et iterum, *& ideo, post expletionem nonaginta quinque annorum, cum harum rerum diligens ad exordium redire voluerit, non ad quintum Cyclum S. Cyrilli, quem nobis necessario præposuimus, sed ad nostrum primum vigilanter excurrat.*

Beda Libro de Natura rerum & Ratione Temp. C. 47. *Dionysius Paschales* scribens *Circulos, &c. Qui in primo suo Circulo 532um Dominicæ Incarnationis annum in capite ponendo, &c. Quia ergo secundo anno Circuli, quem primum Dionysius scripsit &c.*

Idem, ibidem, C. 65, *a 532° Dominicæ Incarnationis anno, ubi primum Dionysius Circulum cœpit.*

Anonymus in Computo (a Muratorio edito) Capit. CXXII. Verba vide §° 21.

X.

Cycli Paschalis Dionysii primus annus erat Æræ vulgaris Christi annus 532us.

Hoc Dionysius ipse indicat in illa Epistola 1ª, his verbis: *Quia vero S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani centesimo quinquagesimo tertio cœpit, & ultimum in ducentesimo quadragesimo septimo terminavit: nos a ducentesimo quadragesimo octavo anno ejusdem Tyranni potius, quam principis inchoantes, noluimus Circulis nostris memoriam impii, & persecutoris innectere, sed magis elegimus ab Incarnatione Domini nostri Jesu*

Christi annorum tempora prænotare, quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est, Passio Redemptoris nostri, evidentius eluceret.

Nam annus Diocletiani 248us, iniens a mense Thoth, seu mensis Augusti die 30°, concurrit cum Æræ Vulg. Christi anno 532° ineunte a sequenti Januario.

Beda Libro de Natura rerum & Ratione Temporum C. 47. *primo Decemnovalis Circuli versu Temporum ordo præfigitur, quem Græci calculatores a Diocletiani principis annis observavere. Sed Dionysius venerabilis Abbas Romanæ urbis, & utriusque Linguæ, Græcæ videlicet & Latinæ, non ignobili præditus scientia, Paschales scribens Circulos, noluit eis, sicut ipse testatur, memoriam impii & persecutoris innectere, sed magis elegit ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi annorum tempora prænotare, quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est, passio Redemptoris nostri evidentius elucesceret. Qui in primo suo Circulo quingentesimum tricesimum secundum Dominicæ Incarnationis annum in capite ponendo* &c.

Et ibidem paulo post: *Quia ergo secundo anno Circuli, quem primum Dionysius scripsit, quingentesimus tricesimus tertius ab Incarnatione Domini completus est annus* &c.

Item C. 65. *Quod, ut apertius clarescat, placuit eundem (Circulum magnum Paschæ, 532 annorum) plenario ordine præsenti opusculo præponere, sumpto exordio a quingentesimo tricesimo secundo Dominicæ incarnationis anno, ubi primum Dionysius Circulum cœpit*, &c.

Anonymus (a Muratorio editus) in Computo, Capit. CXXI & CXXII. Verba vide §° 21.

Beda Libro de Natura rerum & Ratione Temp. C. 67. in quo exhibet cursum sex ætatum seculi, fol. LXXXV, *Dionysius* (inquit) *Paschales scribit Circulos, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis DXXXII, qui est annus Diocletiani CCXLVIII, post Consulatum Lampadii & Orestis, quo anno Codex Justinianus orbi promulgatus est.*

X I.

Dionysius non credidit Cyclum suum esse perfectum, hoc est, non putavit Lunam cum Sole spatio 95 annorum paria facere, & Cyclum suum per omnia in orbem redire.

Hoc ipse Dionysius, in eadem illa Epistola 1a, expresse testatur, & di-

diſtincte explicat, & quid evoluto ſuo 95 annorum Cyclo curandum & obſervandum ſit, dilucide oſtendit.

Vide obſervationes noſtras ad hanc Dionyſii Epiſtolam 1am, §o 15.

XII.

Cyclus Dionyſii Paſchalis non fuit diſpoſitus in formam Cycli.

Cyclus quidem Ravennatenſis, XCV annorum, qui eadem Paſchata cum Cyclo Dionyſiano, exhibet, diſpoſitus eſt in formam Cycli, ſed non continet ea omnia, quæ in Cyclo Dionyſiano reperiebantur; abſunt enim anni ab Incarnatione Domini, Indictiones, Concurrentes, & Epactæ; ut ex Inſpectione hujus Cycli patet.

Cyclus vero Dionyſianus XCV annorum non in formam Cycli diſpoſitus erat, ſed formam Laterculi habebat, & ſtrata via decurrebat; diſtinctus tamen erat in quinque intervalla, quorum unumquodque continebat ſpatium XIX annorum, ſeu Cyclum Decemnovalem: qualem diſpoſitionis formam in Cyclo magno Paſchali Bedæ, nec non in Cyclo XCV annorum Iſidori, videre licet.

Rationes hujus meæ ſententiæ, hæ ſunt.

1. Dionyſius expreſſe dicit, ſe Cycli Cyrilliani XCV annorum, Cyclum ultimum ſuo operi præpoſuiſſe.

2. Forma Cycli nimis anguſta eſt, quam ut ea omnia, quæ Cyclum Dionyſii ingrediebantur, commode capere potuerit.

3. In Cyclo Dionyſii anni Domini ſerie continuata decurrebant: ſic enim in ſæpius laudata Epiſtola, de Cycli ſui repetitione loquens, ait: *Licet enim anni Domini noſtri Jeſu Chriſti ordinem ſuum continuata ſerie cuſtodiant.*

4. Cyclus Dionyſii habebat *Titulos Paſchales*, quorum in fine ſuæ Epiſtolæ meminit, quales in Cyclis Paſchalibus, qui varios verſus, ſeu varias columnas habebant, in Capite uniuscujusque verſus, aut columnæ ſuperſcribebantur.

5. Cyclus LXXXIV annorum, & Cyclus Victorii DXXXII annorum, quibus Romana Eccleſia uſa fuerat, etiam non in formam Cycli diſpoſiti erant, adeoque etiam hinc probabile fit, Dionyſium, qui in uſum Eccleſiæ Romanæ ſcribebat, eamque inducere volebat, ut ſe Regulis Paſchalibus Ægyptiorum, in Eccleſia Orientali receptis, confirmaret, more Eccleſiæ Romanæ conſueto, Cyclum ſuum, non in formam Cycli, ſed Laterculi, per varios verſus, aut varias lineas, aut columnas, diſpoſuiſſe.

XIII.

De contentis Cycli Paſchalis Dionyſiani.

Cyclus Dionyſii Paſchalis, ut præcedenti §° vidimus, in formam Laterculi diſpoſitus, aliquot verſus, lineas, aut columnas continebat, & unicuique titulus ſuperſcriptus erat.

Præterea videtur idem Cyclus ſigna quædam adſcripta habuiſſe, quæ ad diſtinctionem, & diviſionem tum totius Cycli XCV annorum, tum uniuscujusque Cycli Decemnovalis, tum annorum hujus Cy*cli*, faciebant.

Quod primo columnas, cum titulis ſuperſcriptis attinet,

Ipſe Dionyſius Epiſtolæ 1ª, §° 4° recenſet ſequentia, quæ Cyclo ſuo continebantur:

1° Annos Domini.

2° Indictiones.

3° Epactas.

4° Decemnovalem recurſum.

5° Paſchales XIVas Lunæ.

6° Concurrentes dies Septimanæ.

7° Dies Paſchæ Dominicos.

8° Lunam ipſius Dominici diei.

Ex hoc ordine, quo ibi recenſentur, non debet concludi, eodem plane ordine in Cyclo fuiſſe diſpoſita: nam hujus ordinis in recenſione adhibiti ratio patet; nempe primo recenſet ea, in quibus Cyclus 95 annorum repetitus ſtabilitatem ſuam ſervare poterat; deinde recenſet ea, in quibus idem Cyclus, repetitus, ſimilem tenorem conſtantiæ ſervare non poterat. Vide obſervationes noſtras ad eam Epiſtolam §° 15.

Idem Dionyſius, in eadem Epiſtola 1ª, §° ultimo, *nec non* (inquit) *& argumenta, Ægyptiorum ſagacitate quæſita, ſubdidimus, quibus, ſi forſitan ignorentur, Paſchales tituli poſſint facile reperiri, id eſt, quotus ſit annus ab Incarnatione Domini, quota ſit Indictio, quotus etiam Lunaris Circulus, ſive* (MSS. habent, *qui*) *decemnovalis exiſtat; cæterique ſimili ſupputationis compendio requirantur.* Ubi quatuor tituli Paſchales expreſſe nominantur.

1° Quotus ſit annus ab Incarnatione Domini.

2° Quota ſit Indictio.

3° Quotus etiam Lunaris Circulus.

4° Qui decemnovalis exiſtat.

Unde videtur colligi, quod Cyclus Dionyſii habuerit quoque columnam cum hoc titulo: *Cycli Lunares*, & aliam cum hoc titulo: *Cycli Decemnovales.*

Beda

Beda Libro de Natura rerum & Ratione Temporum C. 47. inter argumenta Paſchalia, quæ Dionyſius ſcripſit, memorat argumentum ad inveniendum

Quotus ſit annus circuli decemnov.
Quotus ſit annus Cycli Lunaris.
Quot ſint Epactæ.
Quot ſint Concurrentes.

Idem eodem Libro, C. 49. 52. 54. 58. exhibet eadem argumenta, ut videtur, a Dionyſio ſcripta, ſed ad annum Chriſti 725, quo ipſe ſcribebat, applicata: ubi habet argumentum ad inveniendum

Quota ſit Indictio.
Quot ſint Epactæ Lunares.
Quot ſint Epactæ Solis, ſeu Concurrentes, &
Quando Biſſexti annus.
Quotus ſit annus Cycli Lunaris, &
Quotus annus Cycli decemnovalis.

Idem Beda Libro de Ratione Temp. C. 14. cujus inſcriptio eſt: *Argumenta titulorum Paſchalium*, exhibet argumentum ad inveniendum

Quot ſint anni ab Incarnatione Domini.
Quota ſit Indictio.
Quot ſint Epactæ Lunares.
Quot ſint Concurrentes.
Quotus annus circuli decemn.
Quotus annus circuli Lunaris.
Quando ſit Biſſextilis annus.

Quod ſecundo attinet ſigna, quæ diſtinctionis & diviſionis gratia huic Cyclo adſcripta erant.

a. Cyclus Dionyſii CXV annorum diſtinctus erat, quemadmodum etiam Cyclus Cyrilli diſtinctus fuerat, in quinque Cyclos decemnovales (ut §° 9° vidimus) & unicuique horum ſuperinſcriptum erat, quotus Cyclus decemnovalis eſſet, adeoque primus habebat hanc inſcriptionem: *Primus Cyclus*, vel *primus Cyclus Decemnovalis*, aut *Paſchalis*, vel, *Cyclus I.* Secundus vero hanc: *Secundus Cyclus*, vel *ſecundus Cyclus Decemnovalis*, aut *Paſchalis*; vel *Cyclus II.* & ſic porro. Confer Cyclum Iſidori, Ravennatenſem, & Bedæ. Item Cyclum in Codice Colbertino, infra, §° 36. In Codice autem Digbæano hæc inſcriptio non reperitur, infra §° 32.

b. Dionyſius in Epiſtola 2ª, quæ anno Chriſti 526 ad Bonifacium & Bonum ſcripta eſt, meminit diviſionis Cycli Decemn. in Ogdoadem &c.

& Hendecadem: *Noverimus itaque* (inquit) *quia* (*quod*) *idem Cyclus Decemnovalis per Ogdoadem & Hendecadem ſemper in ſe revolvitur ... Ogdoas ergo, quæ incipit a primo Decemnovali Cyclo, qui eſt Lunaris decimus ſeptimus. . . . Item Hendecas hac lege diſcurrit; incipit nono anno Cycli decemnovalis*, &c.

Et paulo poſt, *quapropter Ogdoadis & Hendecadis annos juxta præfati Circuli ordinem in medium proferamus*, &c.

Atque iterum poſt quædam interjecta, *Indictio quippe quarta eſt*, & *Lunaris Cyclus undecimus*, *decemnovalis Cyclus decimus quartus. & quia Hendecadis ſextus annus eſt*, *eum Embolismum eſſe neceſſe eſt.*

Hinc videtur Cyclus Dionyſii habuiſſe adſcripta *ſigna*, quibus hæc diviſio Cycli decemn. in duas partes indicaretur. nempe videtur vel in margine, vel inter lineas adſcriptum fuiſſe, poſt Cycli decemn. annum octavum, *Ogdoas finitur*, vel, *Ogdoas*, vel *Ogd.* & poſt annum decimum nonum, *Hendecas finitur*, vel, *Hendecas*, vel *Hend.*

c. Dionyſius in eadem illa Epiſtola 2ª fuſe agit de annis Com. & Emb. eosque diſtincte enumerat, & in ſpecie hæc habet, *Ogdoas ergo . . . hac ratione peragitur*, *ut annos primum & ſecundum Communes*, *id eſt*, *minores habeat*, *tertium Embolismum*, *id eſt*, *majorem*, *&c. Ac per hoc Ogdoadis Communes anni quinque*, *& tres Embolismi jugiter adſcribuntur. Item Hendecas hac lege diſcurrit*, *incipit nono Cyclo decemnovali qui eſt Lunaris ſextus*, *cujus primus & ſecundus annus Communis eſt*, *tertius Embolismus*, *&c ſicque Hendecas Communibus annis ſeptem*, *Embolismis quatuor terminatur.*

Hinc merito in conſiderationem venit, an Dionyſius in Cyclo ſuo non appoſuerit *Notas* vel ſigna annorum Communium & Embolimæorum; nempe, an non adſcripſerit ad annos Communes hanc notam *Com.* vel, *CM.* vel *C.* & ad annos Embolimæos hanc notam *Emb.* vel, *EM.* vel *E.* Vel ſaltem an non, ad annos Communes nihil notans, hanc notam tantummodo annis Embolimæis adjecerit. Confer Cyclum Ravennatenſem, Iſidori, & Bedæ. Item noſtras ad hanc Dionyſii Epiſtolam 2ªᵐ obſervationes, § 7°.

d. Dionyſius in Epiſtola 1ª agens de defectu Cycli ſui, ſi quis eum repetere vellet, & in ſpecie de Concurrentibus, hæc habet, *Concurrentium autem ſeptimanæ ratio*, *quæ de Solis curſu provenit*, *ſeptem annorum jugi circuitu terminatur; in quo per annos ſingulos unum numerare curabis*, *in eo tamen modo anno*, *in quo Biſſextus fuerit*, *duos adjicies. Quæ cauſa etiam facit*, *ut non per omnia circulus iſte nonaginta quinque annorum ſuo recurſu concordari videatur: nam cum in cæteris annis non diſſentiat*, *in his*

his solis, in quibus se Bissextus interserit, Pascha Dominicum, cum sua Luna, vario modo rationis occurrit.

Hinc etiam quæri poterit an non Dionysius, in suo Cyclo, annis Domini adposuerit literam B, quæ est nota anni Bissextilis. Confer Cyclum Isidori.

Vide sequentem §um 14um.

XIV.

De ordine & dispositione eorum, quæ Cyclo Paschali Dionysii continebantur.

Contenta Cycli Paschalis Dionysiani, de quibus præcedenti §o 13o egimus, quæque §o 12 ostendimus non in formam Cycli, sed per varias columnas dispositа fuisse, videntur hoc ordine, & hunc in modum disposita fuisse.

Primo occurrebat titulus unicuique ex quinque Cyclis decemnovalibus, super inscriptus, indicans quotus Cyclus decemnovalis esset, & hos quinque Cyclos decemn. a se invicem distinguens, conceptus hac vel simili formula, *primus Cyclus decemnovalis*, aut *Paschalis*. *Secundus Cyclus decemn.*, & sic porro.

Deinde subjungebatur quisque Cyclus decemnovalis per varias columnas dispositus, quarum unaquæque suum titulum proprium habebat.

1a Columna, cujus titulus erat, *Anni Domini*, continebat annos ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, ordine suo, continuata serie, decurrentes, ab anno 532o.

Annis autem Domini Bissextilibus litera B, vel hæc nota, Biss. adposita fuisse videtur, in signum, quod isti anni Bissextiles essent.

2a Columna, cujus titulus erat, *Indictiones*, continebat Indictiones, cum annis Christi concurrentes.

3a Columna, cujus titulus erat, *Epactæ*, continebat Epactas Lunares annuas.

4a Columna, cujus titulus erat, *Concurrentes*, continebat Ferias Septimanæ cum certo die in anno Solari Civili concurrentes.

5a Columna, cujus titulus erat, *Cycli Decemnovales*, continebat annos Cycli Decemnovalis, a 1o ad 19um decurrentes.

His annis, ut videtur, adposita erant signa annorum Communium & Embolimæorum, hac vel simili nota, Com. Cm̄. C. Emb. Em̄ E. Nisi quis velit, hæc signa post 9am columnam adposita fuisse, & quasi 10am columnam constituisse; quod mihi verisimile videtur.

6a Columna, cujus titulus erat, *Cycli Lunares*, continebat annos Cycli Lunaris, a 17o usque ad 16um.

7ª Columna, cujus titulus erat, *Decima quarta Lunæ*, continebat Lunas decimas quartas Paſchales.

8ª Columna, cujus titulus erat, *Dies Dominicus Paſchæ*, continebat dies Dominicos, in quos Paſchata Chriſtianorum incidebant.

9ª Columna, cujus titulus erat, *Luna ipſius diei Dom.*, continebat ætatem Lunæ in ipſa Dominica Paſchali.

Denique in unoquoque Cyclo Decemnovali addebatur ſignum, quo in duas partes, in *Ogdoadem* ſcilicet, & *Hendecadem* dividebatur; hoc ſignum duplex erat, & vel ad marginem adponebatur, vel inter lineas interponebatur, ejusque locus erat poſt Cycli annum octavum, & decimum nonum, & concipiebatur his vel ſimilibus verbis, aut hac vel ſimili nota exprimebatur. *Huc uſque Ogdoas*, vel, *Ogdoas finitur*, vel ſimpliciter, *Ogdoas*, aut *Ogd.* item, *hucuſque Hendecas*, vel, *Hendecas finitur*, vel ſimpliciter *Hendecas*, aut *Hend.* Niſi quis velit, (quod tamen mihi non videtur) ſignum Ogdoadis anno Cycli primo, & ſignum Hendecadis anno Cycli nono adpoſitum fuiſſe, & indicaſſe quod Ogdoas anno 1°, & Hendecas anno 9° inciperet.

Obſervationes

1ª De ordine harum columnarum, & de earundem titulis vix ulla dubitatio oriri poteſt.

2ª Sed de eo dubitari, & quæſtio inſtitui poteſt.

Primo, an anni Domini adſcripta habuerint ſigna vel notas annorum Biſſextilium.

Secundo, an Cycli Decemnov. Dionyſii habuerint columnam, quæ continebat annos Cycli Decemnov., a 1° ad 19um ordine numeratos.

Tertio, an annis ſingulis adſcripta fuerint ſigna annorum Communium & Embolimæorum.

Quarto, an ſigna Ogdoadis & Hendecadis unicuique Cyclo Decemn. adpoſita fuerint.

De his in ſequentibus diſtinctius agam, & rationes dubitandi conſiderabo.

Prius autem quid Cyclus magnus Paſchalis Bedæ, ſeu potius, quid quisque Cyclus Decemnovalis, continuerit exhibebo: & Schema Cycli Dionyſiani proponam.

X V.

De Contentis Cycli magni Paſchalis Bedæ in unoquoque Cyclo Decemn.

In Cyclis Bedæ, quales editos, & ejus Opuſculis ſubjunctos habemus, in editione horum de Ratione temp. Opuſculorum, quæ cura & cum Scholiis Joannis Noviomagi, prodiit Coloniæ 1537, in illis,

inquam,

inquam, Cyclis Bedæ invenimus, præter titulum, unicuique Cyclo Decemn. ſuperinſcriptum, quo indicatur quotus ille Cyclus Decemnov. ſit; & præter ſigna Ogdoadis & Hendecadis margini adpoſita, ad annum Cycli 8um & 19um, columnas tantum octo. Abeſt enim illa columna, quæ annos Cycli Decemn. contineret: abſunt quoque ſigna annorum Communium & Embolimæorum: abſunt denique ſigna annorum Biſſextilium. Sed adjicitur quaſi columna 9a, cum hoc titulo: ***Lit. Dom.***, hoc eſt, *Literæ Dominicales*, quibus etiam anni Biſſextiles, per duplicem literam Dom., indicantur, quæ certe non ab ipſo Beda, ſed a poſteriore manu, recentiore ævo, additæ ſunt.

Ipſe Beda Libro de Ratione temp. C. 13. *Cyclus idem Paſchalis VIII eſt lineis communitus.*

Primus ordo continet annos ab Incarnatione Domini, &c.
Secundus Indictiones Romanorum.
Tertius Epactas XI Lunares, &c.
Quartus Concurrentes Septimanæ dies, &c.
Quintus Cyclum Lunarem, &c.
Sextus XIIII Lunas, &c.
Septimus Dominicas Paſchæ, &c.
Ultimus Lunam Feſti Paſchalis, &c.

Idem Beda Libro de Natura rerum & Ratione temp., Cyclos a ſe editos explicans primo in genere agit de Cyclo Decemnovali, C. 44. Deinde de duplici hujus Cycli diviſione, qua dividitur (a) in Embolismos, annosque Communes: (b) in Ogdoadem & Hendecadem, C. 45, & C. 46. & tum aggreditur explicationem octo columnarum, quibus hic Cyclus conſtabat: ubi hæc habet:

C. 47. *Primo Decemnovalis Circuli verſu temporis ordo præfigitur*, &c.
C. 48. *Secundus ordo Circuli Decemnovalis complectitur Indictiones*, &c.
C. 50. *Tertia præfati Circuli linea continet Epactas Lunares*, &c.
C. 53. *Quarto Decemnovalis Circuli tramite deſignantur Epactæ Solis, id eſt, Concurrentes Septimanæ dies*, &c.
C. 56. *Quinta Circuli Decemn. Regione Lunaris Cyclus includitur*, &c.
C. 59. *Sextus ſæpe dicti Circ. locus amplectitur Lunas XIIII primi menſis.*
C. 61. *Septimo Decemnovalis Circuli titulo dies Paſchæ Dominicus comprehenditur.*
C. 62. *Ultima ſæpe memorati Circuli meta panduntur Lunæ Dominici Paſchæ.*

Ubi vides Bedam in utroque Libro, tantum octo, & quidem præciſe easdem octo columnas, & eodem ordine numerare.

XVI.

Schema Cycli Dionysiani, XCV anno-

Primus Cyclus Decemnovalis . . .

Anni Domini	Indictiones	Epactæ	Concurr.	Cycli Decemnov.		Cycli Lunares
532. B.	X	Nulla.	IV	1.	Com.	XVII
533.	XI	XI	V	2.	Com.	XVIII
534.	XII	XXII	VI	3.	Emb.	XIX
535.	XIII	III	VII	4.	Com.	I
536. B.	XIV	XIV	II	5.	Com.	II
537.	XV	XXV	III	6.	Emb.	III
538.	I	VI	IV	7.	Com.	IV
539.	II	XVII	V	8.	Emb.	V
				Ogdoas		
540. B.	III	XXVIII	VII	9.	Com.	VI
541.	IV	IX	I	10.	Com.	VII
542.	V	XX	II	11.	Emb.	VIII
543.	VI	I	III	12.	Com.	IX
544. B.	VII	XII	V	13.	Com.	X
545.	VIII	XXIII	VI	14.	Emb.	XI
546.	IX	IV	VII	15.	Com.	XII
547.	X	XV	I	16.	Com.	XIII
548. B.	XI	XXVI	III	17.	Emb.	XIV
549.	XII	VII	IV	18.	Com.	XV
550.	XIII	XVIII	V	19.	Emb.	XVI
				Hendecas.		

Secundus Cyclus Decemnovalis . . .

Signa annorum Communium & Embolimæorum in duplici loco posui, non quod bis in Cyclo Dionysii occurrant, minime, sed quia non adeo certum est, quo in loco posita fuerint.

Titulum uniuscujusque Cycli Decemn. etiam dupliciter expressi, ut alteruter eligetur.

rum, exhibens primos ejus annos XIX.

. . vel ⁚ . Primus Cyclus Paſchalis.

Decima quarta Lunæ	Dies Dominicus Paſchæ	Luna ipſius diei		Litera Dom.
Non. April.	III Idus April.	XX	Commun. . . .	D C.
VIII Kal. April.	VI Kal. April.	XVI	Commun. . . .	B.
Idus April.	XVI Kal. Maji.	XVII	Embolim.	A.
IV Non. April.	VI Idus April.	XX	Commun.	G.
XI Kal. April.	X Kal. April.	XV	Commun. . . .	F E.
IV Idus April.	II Idus April.	XVI	Embolim. . . ⁚	D.
III Kal. April.	II Non. April.	XIX	Commun.	C.
XIV Kal. Maji.	VIII Kal. Maji.	XX	Embolim. Ogdoas. ⁚	B.
Hucuſque Ogdoas.				
VII Idus April.	VI Idus April.	XV	Commun. . . ⁚	A G.
VI Kal. April.	II Kal. April.	XVIII	Commun.	F.
XVII Kal. Maj.	XII Kal. Maji.	XIX	Embolim.	E.
II Non. April.	Non. April.	XV	Commun.	D.
IX Kal. April.	VI Kal. April.	XVII	Commun. . . .	C B.
II Idus April.	XVI Kal. Maji.	XVIII	Embolim.	A.
Kal. April.	VI Idus April.	XXI	Commun.	G.
XII Kal. April.	IX Kal. April.	XVII	Commun.	F.
V Idus April.	II Idus April.	XVII	Embolim. . . .	E D.
IV Kal. April.	II Non. April.	XX	Commun. . . .	C.
XV Kal. Maji.	VIII Kal. Maji.	XXI	Embolim. Hendecas. .	B.
Huc uſque Hendecas.				

⁚ . vel . . Secundus Cyclus Paſchalis.

Signa Ogdoadis & Hendecadis in Triplici ſitu exhibui, non quod putem, ea Triplici in loco in Dionyſii Cyclo occurriſſe, minime, ſed quia eorum ſitus non adeo determinatus eſt.

Literas Dominicales de meo adjeci, ſunt enim inventum poſterioris ævi.

XVII.

Quæritur an in Cyclo Dionysii fuerit columna, quæ continebat annos Cycli decemnovalis.

Ratio dubitandi hæc eſt, quod talis columna in Cyclo Bedæ non reperitur, ut ex præcedenti §° 15 videre licet.

Sed notandum, quod Beda non ſimpliciter Cyclum Dionyſii XCV annorum continuavit, ita ut hunc Cyclum, qualem a Dionyſio editum invenerat, in ſtatu ſuo relinquens, ſolummodo reliquos XXIII Cyclos Decemn. addiderit, ſed quod, ut ipſe dicit Libro de Natura rerum & Ratione tempor. C. 65. Cyclum magnum Paſchalem, 532 annorum, ediderit, ſumpto exordio a 532° Dominicæ Incarnationis anno, ubi primum Dionyſius Circulum cœpit.

Adeoque ex eo, quod Beda talem columnam in ſuo Cyclo non habeat, non neceſſario ſequitur, eam etiam in Cyclo Dionyſii non fuiſſe: potuit enim Beda hanc Columnam ut minus neceſſariam omittere, quia, cum ſinguli Cycli Decemnovales a ſe invicem diſtinguerentur, & præterea ſigna Ogdoadis & Hendecadis appoſita eſſent, facile, abſque tali Columna, dignoſci poterat, quotus Cycli Decemnovalis annus erat.

Rationes autem affirmandi ſunt ſequentes :

Primo ipſe Dionyſius Epiſtola 1ª, §° 4. inter ea, quæ in repetitione Cycli ſui, ſtabilitatem ſervabant, memorat *Decemnovalem* quoque *recurſum:* quid autem naturalius, quam per *Decemnovalem recurſum* intelligere annos Cycli Decemnovalis, qui ſpatio XIX annorum recurrebant. Sola exceptio eſt, non annos Cycli Decemn., ſed annos Cycli Lunaris intelligi. Sed Reſponſio facilis, utroſque commode intelligi poſſe, & nullam rationem eſſe, cur anni iſtius Cycli, qui proprie Decemnovalis dicitur, excluderentur.

Secundo idem Dionyſius (ut jam §° 13 monui) in fine Epiſtolæ 2ª memorat expreſſe, hos quatuor *Titulos Paſchales*, 1° Quotus ſit annus ab Incarnatione Domini. 2° Quota ſit Indictio. 3° Quotus Lunaris Circulus. 4° Quotus Decemnovalis exiſtat. Ubi Quotus Lunaris, & Decemnovalis Circulus exiſtat, idem eſt, ac Quotus Cycli Lunaris & Decemnovalis annus ſit. Et nomen tituli Paſchalis videtur clare innuere, in Cyclo Dionyſii Paſchali fuiſſe duas quoque Columnas, unam

cum

cum hoc titulo: *Cycli Decemn.*, alteram cum hoc Titulo: *Cycli Lunares*; quemadmodum erant duæ aliæ una cum hoc Titulo: *Anni Domini*, altera cum hoc titulo: *Indictiones*.

Tertio, in Cyclo Ravennatensi, quo eorundem XCV annorum Paschata exhibentur, quorum Paschata in Cyclo suo XCV annorum exhibuerat Dionysius, in illo, inquam, Cyclo, in prima zona exhibentur anni Cycli Lunaris, & in secundâ anni Cycli Decemnovalis, cum Lunis XIV[is]. Fateor ad hoc argumentum regeri posse, formam Cyclicam, qua Cyclus iste dispositus est, id quodammodo requirere, quia alias initium Cycli Decemnovalis dignosci non poterat: Sed respondeo id ex annis Cycli Lunaris, qui primam zonam occupant, dignosci potuisse, adeoque hoc multo verisimilius esse, quod expressa annotatio annorum utriusque Cycli Lunaris & Decemn. ex ipsa editione Cycli Dionysiani originem traxerit.

Notandum tamen, quod neque in Codice Digbæano, neque in Codice Colbertino, hæc Columna, cum hoc titulo, reperiatur. Vide infra §° 32, & 36.

Et præterea etiam hoc observandum, quod tria illa, modo adducta, affirmandi argumenta, licet probabilitatis speciem habeant, rem tamen non evincant, & tanti non sint, ut propterea adfirmare ausim in Dionysii Cyclo hanc Columnam adfuisse: imo negativa sententia mihi hactenus præferenda videtur, quia Cycli Decemnovalis satis a se invicem distinguebantur, & unusquisque Cyclus Decemnovalis, in Cyclo XCV annorum Dionysii, ut videtur, titulum superinscriptum generalem habebat, quo *primus*, *secundus*, *tertius*, *quartus*, *&* *quintus Cyclus Decemnovalis*, *aut Paschalis diceretur*.

XVIII.

Quæritur an in Cyclo Dionysii, adposita fuerint signa annorum Communium & Emb.

Ratio dubitandi eadem, ac in præcedenti quæstione, quia nempe in Cyclo Bedæ nulla signa annorum Communium & Embolimæorum occurrunt.

Sed hoc argumentum rem non evincit, ob eandem, quam præcedente §° 17. protuli, rationem.

Præterea Beda Libro de Natura rerum & Ratione temp. C. 45. dicit

cit: *Dividitur autem Circulus idem* (Decemnovalis) *in Embolismos, annosque Communes:* quemadmodum sequenti C. 46, dicit, *est & alia præfati Circuli divisio, qua in Ogdoadem & Hendecadem, id est, in VIII & in XI distinguitur annos.* Posterioris hujus divisionis signa in Cyclo Bedæ reperiuntur; unde quis non absque probabili ratione suspicari possit, an non etiam signa annorum Communium & Emb. in Cyclo Bedæ primitus fuerint expressa, sed deinde a descriptoribus, & continuatoribus neglecta. Confer Rabanum Maurum, C. 83, in Tabula. Notandum enim nos non habere simpliciter Cyclum 532 annorum, qualem Beda ediderat, sed Cyclos, quos Opusculis Bedæ subjunctos habemus, incipere ab anno 1° ante Æram vulgarem Christi & desinere in anno Christi 1633, & continere Cyclos Decemnovales LXXXVI, sive tres Periodos 532 annorum, & præterea duos Cyclos Decemn.

Rationes autem affirmandi sunt sequentes:

Primo, ipse Dionysius, in loco, quem jam §° 13 adduxi, ex ejus Epistola 2ª, §° 3. id satis clare innuit his verbis: *Ogdoas ergo... hac ratione peragitur, ut annos primum & secundum Communes, id est, minores habeat, tertium Embolismum, id est, majorem; &c. ac per hoc Ogdoadis Communes anni quinque, & tres Embolismi jugiter adscribuntur.* Ubi quæso Ogdoadis Communes anni & Embolismi, jugiter adscribuntur, nisi in Cyclo Paschali, in unoquoque Cyclo Decemnovali.

Secundo, in Cyclo Ravennatensi, in interiori zona, occurrunt signa annorum Com. & Emb.

Tertio, in Cyclo XCV annorum Isidori, qui Cyclus incipit, ubi Cyclus XCV annorum Dionysii desinit, etiam reperiuntur signa annorum Com. & Emb. singulis annis præposita.

Notandum tamen, quod in Codice Digbæano, & Colbertino, signa annorum Communium & Embolimæorum non reperiantur. Vide infra §° 32, & 36.

Ego argumentis negandi & affirmandi utrimque consideratis, judicium hactenus suspendo.

XIX.

Quæritur, an in Cyclo Dionysii signa divisionis Cycli in Ogdoadem & Hendecadem adfuerint.

Ratio dubitandi hic non tam de re ipsa, quam de formula, & imprimis de situ hujus signi, vel horum signorum.

Satis

Satis clare enim Dionyſius in Epiſtola 2ª in locis, quæ §° 13 adduxi, indicat ſigna hujus diviſionis in Cyclo ſuo expreſſa fuiſſe, & quidem, ut videtur, una ex iis formulis, quas in Schemate §° 16 exhibui.

In Cyclo Ravennatenſi, in zona exteriori, in cellula anni Cycli Lunaris 6ti, Decemnovalis 9ni, leguntur hæc verba: *Diviſio Cycli II.* quibus indicatur, cum anno Cycli Decemnovalis 9° incipere partem Cycli 2dam.

In Cyclis Bedæ ad annum 8um notatur vox *Ogdoas*, ad annum autem 19um vox *Hendecas.* Confer Rabanum Maurum, in Libro de Computo, Cap. 83, in Tabula. Confer quoque infra, §° 32.

XX.

Quæritur an in Cyclo Dionyſii ad annos Chriſti adpoſita fuerint ſigna annorum Biſſextilium.

Ratio dubitandi, quia in Cyclo Bedæ non reperiuntur.

Sed hoc argumentum non adeo firmum, ob rationem, §° 17 prolatam: potuit enim Beda ſigna annorum Biſſextilium omittere, quia ex ipſis concurrentibus ſtatim patet, quinam anni Chriſti ſint Biſſextiles.

Præterea Beda Libro de ratione Temp. C. 14, inter argumenta titulorum Paſchalium, etiam exhibet argumentum ad inveniendum, quando ſit Biſſextilis annus: hinc quis ſuſpicari poſſit an non in ipſo Cyclo Bedæ primitus ſigna annorum Biſſextilium adpoſita fuerint, & deinde a continuatoribus & editoribus ſerioris temporis neglecta ſint; (Confer §um 18) præſertim quia in editis Bedæ Cyclis additæ ſunt literæ Dominicales, quæ vicem horum ſignorum ſupplent; duplices enim literæ annum Biſſextilem indicant. Obſervandum tamen in illo Bedæ loco citato annos Biſſext. quidem occurrere inter titulos Paſchales, ſed nomen tituli Paſchalis non niſi improprie iis tribui; adeoque inde concludendum non eſſe, quod in Cyclo Bedæ fuerit quoque columna cum hoc titulo: *Biſſextiles anni*, vel *Biſſext.* tum enim Cyclus Bedæ non *octo*, ut ipſe ibidem C. 13 dicit, ſed *novem* lineis fuiſſet communitus; ſed hoc tantummodo ſtatuendum eſſe, quod annis Domini illa ſigna adjuncta, & tanquam ad primam columnam pertinentia, ſub eodem titulo *annorum Domini* comprehenſa fuerint.

Rationes autem affirmandi ſunt ſequentes:

Primo ex iis, quæ Dionyſius dicit in Epiſtola 1ª, quæque adduxi §° 13, ſatis probabiliter concludere licet, in Cyclo Dionyſii, annis Domini adpoſita fuiſſe ſigna annorum Biſſextilium.

Secundo in Cyclo XCV annorum Iſidori, ſigna annorum Biſſextilium expreſſe occurrunt.

Tertio, in Codice Digbæano, & Colbertino ad annos Chriſti Biſſextiles adponitur litera B. Vide infra, §° 32, & 36.

Adeoque hic affirmativam amplector ſententiam, & ſigna annorum Biſſextilium, ad annos Chriſti appoſita, in Dionyſii Cyclo adfuiſſe ſtatuo.

XXI.

Dionyſius non edidit Cyclum magnum Paſchalem DXXXII annorum.

Dionyſius Cyclum ſuum Paſchalem, quem cœpit anno Chriſti 532° (ut probavimus, §° 10) non ultra annos XCV, multo minus ad annos DXXXII extendit.

Hoc probatur

1° Ex ipſo Dionyſio, qui in ſua Epiſtola 1ª, expreſſe dicit ſe Cyclum XCV annorum edidiſſe: & ſe quintum Cyclum Decemnovalem Cyrilli ſuo Operi præmiſiſſe, & deinde alios quinque Cyclos de ſuo adjeciſſe & ordinaſſe. Verba ipſa Dionyſii adduximus §° 8° & 9°.

2° Ex Cyclo Iſidori XCV annorum, quem evoluto Cyclo Dionyſii XCV annorum, edidit, incipiens ab anno Chriſti 627°; quemadmodum Dionyſius, evoluto Cyclo Cyrilli XCV annorum, ſuum ediderat, incipiens ab anno Chriſti 532°.

3° Ex iis, quæ leguntur in Anonymi Computo (a Muratorio edito) Cap. CXXII, p. 169. *Incipit Prologus Sancti Cbyllitani. Iterum Sermo Felicis incipit de Dionyſio, & de ſemet ipſo, in Chriſti nomine. Dionyſius quondam urbis Romæ Sanctiſſimus Abbas . . . Paſchalium interea rationum Decemnovales numero V ſagaci ingenio anteriores compoſuit Cyclos, exordium ſcilicet ſumens ab Incarnatione D. N. J. C. DXXXII ann. Indictione X. uſque ad DCXXVI Incarnationis annum, Indict. XIV, memoratorum Cyclorum ſerie continuata produxit. Et quoniam memorati viri quintus nunc peragitur Cyclus, ad cujus ſupplementum X adhuc ſuper-*

superſunt anni, (*vixit itaque & Cyclum ſuum edidit hic S. Felix Abbas, anno Chriſti* 616.)*ad* noſtram providet parvitas alios ſubſequentes Cyclos Decemnovales numero V ad inſtar ſuperiorum Cyclorum, rationali diſpoſitione componere, initium facientes a DCXXVII Incarnationis anno, Indict. XV, uſque ad DCCXXI Incarnat. annum, Indict. IV, certum præfixum * eſt poſuimus terminum*, &c. Confer ibidem Capit. præcedentia CXXI. & CXX.

4° Ex iis, quæ leguntur in ſtudioſi cujusdam præfatione in Circulos Beati Cyrilli, & Dionyſii Romani, ac Bedæ: poſt Opuſcula Bedæ fol. CIII.

5° Ex Ceolfridi Abbatis Epiſtola ad Naitonem regem Pictorum, apud Bedam in Hiſt. Eccleſ. gentis Anglor. L. 5. C. 22. ubi ſic ſcribit: *Item ſucceſſor ejus* (*Theophili*) *Cyrillus ſeriem nonaginta & quinque annorum in quinque Decemnovenalibus circulis comprehendit. Poſt quem Dionyſius exiguus totidem alios ex ordine, pari Schemate ſubnexuit: qui ad noſtra uſque tempora pertingebant: quibus termino appropinquantibus, tanta hodie calculatorum exuberat copia, ut etiam in noſtris per Britanniam Eccleſiis plures ſint, qui, mandatis memoriæ veteribus illis Ægyptiorum argumentis, facillime poſſint in quotlibet ſpatia temporum Paſchalis procudere circulos; etiamſi ad quingentos uſque & triginta duo voluerint annos. Quibus expletis* &c.

XXII.

Dionyſius Cyclo ſuo XCV annorum non præmiſit Cyclum magnum DXXXII annorum ab anno ante Chriſtum 1° uſque ad annum 531um.

Hoc quam clariſſime patet ex illo ratiocinio & calculo, quo Beda utitur ad inveniendos characteres Lunares & Solares, nec non Paſchales, tam anno Domini 1°, quo incarnatus eſt, quam anno Domini 34°, quo crucifixus eſt, Libro de natura Rerum & ratione Temp. C. 47.

XXIII.

Beda edidit Cyclum magnum Paſchalem DXXXII annorum, ab anno Chriſti 532° uſque ad annum 1063um.

Beda præciſe loquendo non continuavit Dionyſii Cyclum Paſchalem XCV annorum, ſed ipſe edidit Cyclum magnum Paſchalem 532 annorum,

rum, incipiens ab eodem anno Christi 532°, a quo Dionysius Cyclum suum XCV annorum orsus erat, & desinens in anno Christi 1063°.

Vide Bedæ Librum de natura Rerum & ratione Temp. C 65., ubi dicit, *quod ut apertius clarescat, placuit eundem plenario ordine Circulum* (532 *annorum*) *præsenti opusculo præponere, sumpto exordio a quingentesimo tricesimo secundo Dominicæ Incarnationis anno, ubi primum Dionysius Circulum cœpit, & perducto opere usque ad millesimum sexagesimum tertium ejusdem Sacrosanctæ Incarnationis annum.*

Confer Bedam Libro de ratione Tempor. C. 13. & Librum de natura Rerum & ratione Temp. C. 47 & 53.

XXIV.

Beda non edidit Cyclum magnum Paschalem, ab anno ante Christum 1° *usque ad annum* 531^{um}, *neque etiam ultra annum* 1063^{um} *progressus est.*

Post Opuscula Bedæ de ratione Temp., a Johanne Neomago edita, reperiuntur Cycli Decemnovales LXXXVI: quorum primus incipit anno ante Christum 1°, & ultimus desinit in anno Christi 1633.

Hi Cycli conficiunt tres periodos 532 annorum, & præterea duos Cyclos Decemnovales.

Periodus 1^a incipit anno ante Christum 1°, & desinit in anno Christi 531°.

Periodus 2^a incipit anno Christi 532°, & desinit in anno Christi 1063°.

Periodus 3^a incipit anno Christi 1064°, & desinit in anno Christi 1595.

Sola periodus secunda opus Bedæ est, non autem prima & tertia.

Hoc patet ex Scholiis ad C. 65. Libri Bedæ de natura Rerum & ratione Temp., ad illa Bedæ verba, quæ præcedenti §° protulimus; *Hos Circulos* (inquit Scholiasta) *quotquot ex Beda & Dionysio reliquos invenimus, subjecimus Libro huic ad finem, perfecimus autem, ut essent ab initio Incarnationis Dominicæ usque ad annum DC* (lege *MDC*) *quo exacto non deërunt alii studiosi, qui eundem ad suam quoque ætatem, & longiorem producent.*

Præ-

Præterea hoc patet ex ſtudioſi cujusdam (qui diu poſt Bedam, labente tamen adhuc Periodo 2ª, adeoque ante annum Chriſti 1063ᵘᵐ vixit) præfatione in Circulos Cyrilli, Dionyſii & Bedæ, quæ reperitur poſt Opuſcula Bedæ, fol. CIII. in qua præfatione duo dicit: primo, quod Dionyſii quinque Decemnovalibus Circulis viginti tres alii adjecti, magnum annum (532 annorum) compleverint. Secundo, quod ipſe hunc magnum annum cum triplici annorum Domini ſerie ediderit. Hoc modo.

Anni Domini			Indictiones			Epactæ	Conc. &c.
	532.	1064.	III.	X.	II.	Nulla.	IV.
1.	533.	1065.	IV.	XI.	III.	XI.	V.
2.	534.	1066.	V.	XII.	IV.	XXII.	VI.
3.	535.	1067.	VI.	XIII.	V.	III.	VII.

& ſic porro.

Deinde hæc addit, *quarum* (ſcilicet ſerierum) *prima omnino præteriit*, *ſecunda*, *ac ſi ſecundus annus magnus adhuc imminet*, durat) *de tertia*, *quantum futurum ſit*, (*quam tamen adhibui*) *in his Circulis*, *Deus ſolus novit*.

XXV.

De Æra, quæ innexa erat Cyclo Dionyſii & Bedæ.

Cyrillus in Cyclo ſuo XCV annorum adhibuerat Æram Diocletianeam, & ultimus Cycli Cyrilliani annus erat Diocletiani annus 247ᵘˢ.

Dionyſius eadem Æra uti noluit, ſed ejus loco adhibuit Æram ab Incarnatione Domini, & Cyclum ſuum XCV annorum orſus eſt, ab anno Domini 532°, qui a Januario incipiens, concurrebat cum anno Diocletiani 248°, a præcedenti menſe Thoth ineunte: ut probavimus, §°. 10.

Quia autem hæc Æra tunc temporis nondum in Communi & Civili uſu recepta erat, addidit Æram Indictionum, quæ in deſignatione annorum tunc temporis in vulgari uſu erat: ut etiam patet ex ipſa Dionyſii Epiſtola 2ª, §°. 60.

Beda eandem duplicem Æram in Cyclo ſuo DXXXII annorum adhibuit, & Cyclum ſuum ab eodem anno 532° orſus eſt; ut oſtendimus §°. 23.

Et ope Indictionum docet invenire quotus annus ab Incarnatione Domini ſit: Libro de ratione Temp. C. 14.

Unde autem Dionyſius hanc Æram ab Incarnatione Domini habuerit, nunc non inquiro: quanquam non dubitem eum hanc Æram habuiſſe a Græcis, quorum Æra Mundana numerabat annos 5508 ante annum 1um Æræ Dionyſianæ ab Incarnatione Domini, ſeu ante annum 1um Æræ Vulg. Chriſti elapſos.

Neque etiam nunc inquiro, quando hæc Æra Chriſti Dionyſiana in communi & civili uſu fuerit recepta.

Anni autem Domini, qui in Cyclo Dionyſii prænotantur, ineunt una cum anno Civili Romano, a Kalendis Januarii.

Indictiones autem in Cyclo Dionyſii inibant (meo judicio) juxta vulgarem tunc temporis, & inter Romanos receptum uſum.

Beda Libro de natura Rerum & ratione Temp. C. 48. dicit: *Incipiunt autem Indictiones ab VIII Kalendas Octobris, ibidemque terminantur.*

Sed hac de re accuratiorem inquiſitionem nunc prætereo: Vide interim Du Cange Gloſſarium Mediæ & Infimæ Latinitatis, ad vocem *Indictio.*

XXVI.

De Epactis Lunaribus in Cyclo Dionyſiano.

Circa Epactas Lunares, quas in Cyclo ſuo Dionyſius annotavit, duo in conſiderationem veniunt.

Primo quæri poteſt, an ſint Epactæ Romanorum, ſive an ſint Cyclo Lunari propriæ, an vero Ægyptiorum, ſeu Cyclo Decemnovali propriæ.

Ad quam quæſtionem reſpondeo, non eſſe Epactas Cyclo Lunari, ſed Cyclo Decemnovali proprias. Confer Diſſertationem noſtram de Cyclo Lunari Dionyſii & Bedæ, §° 45.

Hoc quam clariſſime patet ex Dionyſii Epiſtola 2a, §° 5, ubi indicat in Cyclis Decemnovalibus a ſe editis, annum *primum habere Epactas nullas, ſecundum Epactas XI, & ultimum Epactas XVIII.* Confer & Epiſtolæ 1æ, §um 4, & 6.

Secundo quæri poteſt de proprio harum Epactarum loco in anno Solari Civili.

Responsio hæc dependet ex alia quæstione de initio anni Lunaris in Cyclo Decemn., & de initio anni Solaris cum eo concurrentis: quam hic tangere nolo. Nunc tantum observo

Primo, quod (saltem meo judicio) Luna mensis Thoth anni primi in Enneadecaëteride nascebatur Epagomen. 5ª; adeoque locus Epactarum proprius sit Epagomen. 4ª. Vide Dissert. nostram de Computo Lunari Alexandrinorum, & de Enneadecaëteridis Alexandr. natura & constitutione. &c.

Secundo, quod Beda aliquoties moneat locum Epactarum proprium in Cyclo Decemnov. esse diem XI Kal. Apr. seu Mart. 22um, proxime ante Lunam Paschalem anni primi in Cyclo Decemn. quæ nascitur Martii 23°.

Tertio Dionysium de loco proprio Epactarum in suo Cyclo nihil in suis Epistolis monere: Confer tamen, quæ sequenti §° 27° de Concurrentibus Dionysii notabo.

Quarto Epactas Ægyptiorum naturali ordine progredi, adeoque etiam applicari posse ad Cyclum Decemn. cujus annus primus init ab illa Luna mensis Januarii, quæ nascitur Decembris die 24°, modo memineris, quod ad inveniendam Ætatem Lunæ in Kal. Jan. semper ad Epactas adjici debeant Regulares VIII, quemadmodum ad inven. Ætatem Lunæ in mensis Thoth die 1°, semper adjici debet Regularis I.

XXVII.

De Concurrentibus in Cyclo Dionysiano.

Concurrentes Septimanæ dies, qui in Cyclo Dionysii, in Columna 4ta, adnotatæ erant, non concurrebant cum Januarii die 1°, sed cum aliquo mensis Martii die, post diem Bissextilem.

Hoc patet ex illis Dionysii verbis in Epistola 1ª, §° 4°, *Concurrentium autem Septimanæ ratio, quæ de Solis cursu provenit, septeno annorum jugi circuitu terminatur. In quo per annos singulos unum numerare curabis, in eo tantummodo anno, in quo Bissextus fuerit, duos adjicies.*

Vide hæc fusius explicata in Observationibus nostris ad Dionysii Epistolam 1am §° 16.

Beda Libro de ratione Temp. C. 13. *Quartus (Ordo Cycli Decemn. continet) concurrentes Septimanæ dies, quæ positæ IX Kalendas Apriles.* hoc est, Martii 24°.

Idem Libro de natura Rerum & ratione Temp. C. 53.: *Cumque suas quæque anni dies habeat concurrentes, hæ quæ in Circulo (Decemn.) adfixæ Concurrentes sunt, specialiter quæ sit nono Kalendarum Aprilium Feria designant, videlicet ut propius festivitatis Paschalis exordio positæ, facillime die Epactarum, vel decimæ quartæ Lunæ quota sit Feria pandant ac per hoc ad Paschalis inventionem diei Dominici planum faciant iter.*

XXVIII.

Cycli Dionysiani nova editio.

Postquam præcedentia scripseram, incidi in libellum, cui hic titulus inscribitur: *Historiam Cycli Dionysiani, cum argumentis Paschalibus, & aliis eo spectantibus, nunc primum ex MSS. integre editi, ad disputandum publice proponunt præses Jo. Guil. Janus Hist. PP. & respondens Benjamin Hoffmann Vratislaviensis. die . . Junii, A. M IↃ CC XVIII. in auditorio majori. Vitembergæ, literis Gerdesianis. in* 4^to^.

XXIX.

Codicis Digbæani descriptio.

In Catalogo Librorum Manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ, Oxonii 1697 edito, Bibliothecæ Bodleianæ Classe V. inter Codices Kenelmi Digbæi p. 80. N° 1664. 63. Codex noster his verbis recensetur: *Liber sive tractatus admodum antiquus de ratione Paschatis, cum veteri Kalendario, & oratione Theophili Cæsariensis de eadem re, &c. Proterii epistola. Tractatus Dionysii Exigui abbatis. Computatio Reginaldi Sacerdotis. Alius tractatus de titulis Paschalibus Ægyptiorum, &c. Hæc omnia antiquissimo charactere exarata sunt, primis Christianorum Saxonum in Anglia temporibus.* In Historia Cycli Dionysiani, §° XVIII. Lit. a. p. 49, 50.

Cum autem (inquit Jo. Guil. Janus, §° XVIII) *Liber ille præcipuam huic commentationi occasionem præbuerit, non alienum huic loco videtur, notitiam ejus paulo ampliorem, quam Catalogus MStorum Angliæ continet, suppeditare.*

Scriptus

Scriptus est in membrana formæ minoris, illam, quam octavam nominavimus, paululum excedentis, literis illarum simillimis, quas Mabillonius sæculo VIII tribuit.

Primum in illo locum tenet Cyclus Paschalis, ab anno Diocletiani 229, hoc est, a Christi 513, per XX Enneadecaëterides, atque adeo usque ad annum Christi 892 continuatas. Ex quibus Enneadecaëteridibus sex priores postea (p. 74—78) proferemus & ipsissimum Dionysii Cyclum constituere, demonstrabimus.

Illis subjungitur compendiosa quædam temporum supputatio, ab O. C. usque ad Caroli M. mortem deducta, & Kalendarium Romanum, cum aureis numeris, sive Cyclis Latinorum & Alexandrinorum.

Sequuntur deinde Canones Paschales, Orationes & Epistolæ Theophili, Proterii, Cyrilli, Paschasini, Dionysii, aliaque veterum scripta, ad Cycli Paschalis explicationem spectantia, a Regenboldo, sacerdote quodam de Penconia, collecta.

Quibus tandem adduntur argumenta Ægyptiorum Paschalia ex versione Dionysii, nonnullis quidem accessionibus aucta & interpolata, quæ tamen facile cum suis indiciis, tum aliorum codicum comparatione discerni possunt. Iis demptis &c.

Si ætatem Libri requiris, exaratus haud dubie est sub initium sæculi IX, quod, præter ductus literarum, ostendit Chronologia Cyclis subjecta, quæ, ut paulo ante ostendimus, usque ad obitum Caroli M, & auspicium Imperatoris Ludovici Pii procedit.

XXX.

Jo. Guil. Jani judicium de Codice Digbæano.

Ceterum (sic pergit eodem §° XVIII, p. 49.) *ex multo antiquiore exemplari descriptus est.*

Nam primus Cycli Dionysiani continuator, sive is Regenboldus, sive alius quiscunque fuerit, qui proximas quinque Enneadecaëteridas, ab anno 627 usque ad 721 extensas, adjecit, & cujus ipsa verba in Codice Digbæano retenta sunt, ineunte sæculo VII, atque adeo primis Christianorum in Anglia temporibus, vixit, & anno Christi 616 hoc negotium suscepit, cum ultimæ Enneadecaëteridis Dionysianæ finis instaret. Quoniam igitur decem anni ex illa supererant, quibus & ipse Librum suum Paschalem usui esse

volebat, Cyclos Dionysianos, anno 626 demum finiendos, suis præmisit, secus, ac juniores computistæ, qui postea 626 Cyclos suos ediderunt.

Simili tamen de causa, sed rarissimo exemplo, etiam secundus continuator, qui Cyclos illos Paschales ultra a. 721 produxit, omnes, quos in priore editione invenerat, Cyclos retinuit, atque adeo simul etiam Dionysianos, ab omnibus aliis junioribus computistis omissos in uno fortasse Codice Digbæano, integros nobis reservavit.

XXXI.

Primi continuatoris verba, quorum supra §° 30 mentio.

Clare hoc docent verba ejus, quæ proxime post Dionysii Epistolam II, & ante illa: *Finit Liber de computatione. Regenboldus, Sacerdos de Pentonia, scripsit istum Libellum, & quicunque legis, semper pro illo ores:* leguntur,

Successor Dionysii. Dionysius quondam urbis Romæ scientissimus Abbas, utriusque linguæ, Grecæ videlicet & Latinæ, eleganti scientia præditus, Paschalium interea rationum decemnovales numero V, sagaci ingenio, anteriores composuit Cyclos, exordium scilicet sumens ab Incarnatione Domini nostri J. C. DXXXII anno, Indictione X, usque DCXXVI Incarnationis annum, Indictione XIV, memoratorum Cyclorum seriem continuam perduxit. Cum igitur memorati viri quintus nunc peragatur Cyclus, ad cujus supplementum, X adhuc supersunt anni, nostra prævidet parvitas, alios subsequentes Cyclos decemnovalium numero V, ad instar superiorum Cyclorum, rationabili dispositione componere. Initium facientes DC^mo^ vicesimo septimo Incarnationis anno, Indictione XV, usque in septingentesimum & XXI Incarnationis Domini annum, Indictione IIII, certum præfixumque posuimus terminum. Quapropter monuimus lectorem, ut dum præfati venerabilis Dionysii quintus explicitus fuerit Cyclus, ad nostros subsequentes, ut diximus, Cyclos quinque transitum faciat, & absque ulla erroris caligine dies festissimos Paschales atque Lunas per ordinem fida ratione reperies. Eadem fere verba in Codice Remigiano 298, sub titulo: *Prologus Felicis Abbatis Gillitani*; post præfationem, sive, ut vulgo dicitur, Epistolam I. Paschalem Dionysii Exigui reperiuntur.

In Historia Cycli Dionysiani, §° XVIII. Lit. f. p. 50, 51.

* Hinc patet successorem Dionysii esse *Felicem abbatem Gillitanum*.

XXXII.

XXXII.

Cyclus Dionyſianus, ex Codice Digbæano editus, deſcribitur.

In Codice Digbæano præmittitur Cyclus quintus ſeu ultimus Cyrilli: ab anno Diocletiani CCXXVIIII – CCXXXXVII. Cum his titulis.

Anni Diocletiani	Quæ ſint Indictiones	Epactæ, id eſt, adjectiones	Concurrentes dies	Quotus ſit Lunæ circulus	Quæ ſit Lunæ XIIII Paſchalis	Dies Dominicæ Feſtivitatis	Quota ſit Luna ipſius diei Domin.

Deinde ſequuntur ipſius Dionyſii quinque Cycli, ab anno DXXXII-DCXXVI Cum his titulis:

Anni Dñi nri IHV XRI	Quæ ſint Indictiones	Epactæ, id eſt, adjectiones Lun.	Concurrentes dies	Quotus ſit Lunæ circulus	Quota ſit Luna XIIII Paſchalis.	Dies Dominicæ Feſtivitatis	Luna ipſius diei Domin.

Et hi *Tituli* ſingulis quinque Dionyſii Cyclis inſcribuntur.

Non autem hi Cycli numerantur, *primus*, *ſecundus*, *tertius*, *&c. Cyclus Decemnovalis*, *vel*, *Paſchalis.*

Signa *Ogdoadis & Hendecadis*, in exteriori margine, ad annum 8um & 19um adponuntur, hoc modo OGD. HEND.

Anni Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Biſſextiles ſunt, litera B, iis præpoſita, ſignantur.

Hæc omnia edita reperiuntur p. 74—78. poſt præfationem, ſeu Epiſtolam I. Dionyſii Exigui.

XXXIII.

Quæritur an hic Cyclus ſex Enneadecaëteridum ſit genuinus Dionyſii Cyclus.

De eo agit Jo. Guil. Janus §o XX, & affirmativam tuetur, imprimis

mis ex eo, quod huic quinque Enneadecaëteridum Cyclo Dionysiano præmittatur Cyrilli Cyclus quintus, seu ultimus.

Verum in illo quinto Cyrilli Cyclo admodum mihi suspectus est, *Titulus ille Paschalis quintus, quotus sit Lunæ Circulus*. Non enim videtur esse ipsius Cyrilli, sed potius Dionysio proprius. Saltem nulla hujus tituli in Cyrilli Prologo mentio fit. Neque Æræ Constantinopolitanæ usus, cui innectitur, tam antiquus esse videtur.

Fateor, regeri posse, quod Dionysius hunc titulum Cyclo Cyrilli quinto, quem suis quinque Cyclis præmittebat, de suo potuerit inserere, quia eo in suis Cyclis usurus erat, ut uniformitatem observaret. Sed cur tum non æque annos Diocletiani in annos Christi mutavit, præsertim cum dicatur argumenta Ægyptiorum ad annum Christi DXXV applicuisse.

Non est itaque adeo certum, hunc sex Enneadecaëteridum Cyclum esse genuinum Dionysii Cyclum.

XXXIV.

Cur hic Cyclus ad annum Christi 892 sit continuatus.

Numerus ille annorum a 532—892, non comprehendit præcise Cyclos aliquot XCV annorum.

532—626. Primus Cyclus 95 annorum.
627—721. Secundus Cyclus 95 annorum.
722—816. Tertius Cyclus 95 annorum.
817—892. Quartus est 76 annorum.

Notandum autem Cyclum CCCCXVIII annorum Theophili Alexandrini, & Aniani Periodum XII^am terminari in anno Christi 892°. Vide Diss. de Cyclo CCCCXVIII annorum Theophili Alexandrini, §° 8. An autem hoc casu, an vero studio factum sit, dicere non habeo.

Forte posterior continuator rationem habuit Cycli Cyrilliani quinti, quem Dionysius præmiserat, & computum ab anno Diocletiani 229°, qui est Christi 513^us deduxit: tum enim numerus annorum a 513—892 comprehendit præcise quatuor Cyclos XCV annorum.

513—607. Primus Cyclus 95 annorum.
608—702. Secundus Cyclus 95 annorum.
703—797. Tertius Cyclus 95 annorum.
798—892. Quartus Cyclus 95 annorum.

Sed

Sed tum immemor fuit, quod successor Dionysii, sive Felix abbas Gillitanus, qui primus Dionysii Cyclos continuavit, iis alios quinque adjecerit Cyclos, ab anno Christi 627—721.

XXXV.

Codicis Colbertini descriptio.

Est ille (inquit Jo. Guil. Janus, §° XIX. p. 51.) *Bibliothecæ Colbertinæ Codex MXX, in quo, post Dionysii præfationem, sive Epistolam ad Petronium, Cycli illi decemnovales eadem columnarum serie, & in nonnullis etiam correctiores, ac in Codice Digbæano, ab anno Christi DXXXII usque ad annum MLXIII perducti, reperiuntur: quanquam ultimus Cyrilli Cyclus, in Codice Digbæano Dionysianis præmissus, desideretur.*

Confer §° XIV. lit. g, sub finem. p. 40.

Nota hoc Codice contineri Dionysii Cyclum, cum Bedæ, ut videtur, continuatione, usque ad annos 532, seu Periodum magnam Paschalem.

XXXVI.

Cycli Dionysiani specimen ex Codice Colbertino editum.

Hujus Cycli Dionysiani, cum Bedæ continuatione, edidit Jo. Guil. Janus, §° XIX, lit. a. p. 53. nempe annos tres priores, & annum 1063^{um}, sive ultimum. Cum his titulis:

Primus Cyclus Decemnovalis.

Anni Dñi nri IHV XPI	Indicti-ones	Epact. Lun.	Con-cur-ren.	Cyclus Lun.	XIIII^{ma} Lunæ Paschæ	Dies Dominica Paschæ	Luna ipsius diei
B. DXXXII	X	Nulla.	III	XVII	Non. Ap.	III Id. Ap.	XX
DXXXIII	XI	XI	V	XVIII	VIII. K. Ap.	VI. K. Ap.	XVI
DXXXIIII	XII	XXII	VI	XVIIII	Id. Apr.	XVI. K. Ap.	XVII
⋮	⋮	⋮	⋮	⋮	⋮	⋮	⋮
MLXIII	I	XVIII	II	XVI	XV K. Maj.	XII K. Maj.	XVIII

Hi tituli, ſi quid video, ſimpliciores ſunt iis, qui in Codice Digbæano exhibentur, quique ex ipſa Dionyſii Epiſtola Iª videntur eſſe deſumpti.

XXXVII.

Codicis Remenſis deſcriptio.

Codicem S. Remigii Remenſem (inquit Jo.Guil. Janus, §º XIX. p. 52.) *CCLXXXXVIII*ᵘᵐ *ſecundum veterem catalogum D. IX. ubi poſt Libros Bedæ de natura rerum, de temporibus, de menſuris & temporibus, & de ratione temporum, item Capitula, de quibus convocati Computiſtæ interrogati reſponderunt, & Epiſtolas Paſchales Cyrilli, Paſchaſini, Proterii, Theophili, & Morini, extat Liber Dionyſii Exigui, in quo Epiſtola Dionyſii ad Petronium Cyclis ejus, æque ac in Codice Colbertino, præfationis loco præmittitur:* & quanquam *ipſi Cycli Decemnovales compendii cauſa omittuntur; tamen argumenta Paſchalia, Dionyſio diſerte adſcripta, & exemplis anni DCCLXXXXI illuſtrata, occurrunt. Codex ipſe ſub initium ſæculi IX exaratus eſt.*

Confer notas ad §ᵘᵐ XIX. lit. f. p. 53. In extremis Libri paginis hæc verba leguntur: *ſtudio Bertigarii monachi, Liber S. Remigii*; quibus indicatur, illum cura Bertigarii, abbatis S. Remigii, ſub Carolo Calvo fuiſſe deſcriptum & *in Capitulis, de quibus convocati computiſtæ reſpondiſſe dicuntur*, primum quæritur: *Quos annos ab Incarnatione Dei uſque in præſentem tenere velint? R. DCCCVIIII.*

Confer quoque Notas ad §ᵘᵐ XIV. lit. d. e. f. g.

DE CYCLO PASCHALI

XCV annorum

RAVENNATENSI.

I.

Quid per Cyclum Ravennatensem intelligam.

CYclum Paschalem Ravennatem, vel Ravennatensem voco illum Cyclum XCV annorum, qui in Tabula marmorea sculptus, exstat Ravennæ in Camera Ecclesiæ Metropolitanæ Cartilogio denominata, & ab Henr. Noris editus, & Dissertatione illustratus est.

II.

De hoc Cyclo incidenter jam antea egi.

In Dissertatione de Cyclo XCV annorum Dionysii, & Bedæ continuatione.

III.

Quinam veterum hujus Cycli meminerint.

Hactenus veterum, qui hujus Cycli meminerit, deprehendi neminem.

IV.

Quinam recentiorum de hoc Cyclo egerint.

Henr. Noris in Dissertatione de Cyclo Paschali Ravennate annorum XCV.

V. Cy-

V.

Cyclus Ravennas XCV annorum profluxit ex Cyclo Dionysii XCV annorum.

Cyclus Ravennas XCV annorum plane Dionysianus est, & certo sensu ipse Cyclus Dionysii dici potest.

Incipit enim ab eodem anno Christi, a quo Dionysii Cyclus incipit, & in eodem anno Christi cum Dionysio desinit, & eadem cum Dionysio Paschata, eosdemque Characteres Paschales cum Dionysio exhibet.

Alia tamen forma dispositus est, Cyclica nempe, cum Dionysii Cyclus in formam Laterculi dispositus fuerit. Vide Diss. de Cyclo Dionysii XCV annorum, §º 12.

Præterea omittuntur in hoc Cyclo 1º Anni Domini. 2º Indictiones. 3º Epactæ. 4º Concurrentes, quæ in Cyclo Dionysii quatuor priores columnas constituebant. Vide eandem Diss. nostram, §º 13.

VI.

Cyclus Ravennas XCV annorum constructus, & in Tabula marmor. scalptus in usum Ecclesiæ Metropol. Ravennat.

Hoc videtur ex eo colligi posse, quod hoc monumentum in illa Ecclesia usque in hunc diem servatum fuerit.

Et de eo editor hujus monumenti Henr. Noris minime dubitat.

VII.

De Tempore, quando scilicet hic Cyclus ea forma compositus, in marmore scalptus, & in ea Ecclesia repositus sit.

De Tempore præcise mihi nihil certi constat.

Probabile est id factum esse non longo tempore postquam Dionysius Cyclum suum ediderat, isque ab Ecclesia Romana & Ravennatensi receptus fuerat.

VIII. Cy-

VIII.

Cyclus Ravennas XCV annorum dispositus est in formam Cycli.

Hoc ex inspectione Cycli ad oculum patere potest.

IX.

An ex illa dispositione Cyclica concludere liceat, constructorem putasse hunc Cyclum spatio XCV annorum in orbem redire, & eadem Paschata reducere.

Hoc minime inde sequitur: constructor enim hujus Cycli, qui eum in hanc formam disposuit, Dionysii Cyclum & ejus Epistolam, quam Cyclo præmiserat, ante oculos habebat (ex Cyclo Dionysii enim hic Cyclus desumptus est) adeoque ea, quæ Dionysius de defectu Cycli sui hac in re tam clare & expresse dixerat, ignorare non potuit.

Cyclicam autem formam adhibuit compendii gratia, ut in arctiori spatio in Tabella marmorea Cyclum exprimere posset: Cyclica enim forma facit, ut annos Cycli Lunaris & decemnovalis, & Lunas XIV^as^, quæ spatio XIX annorum in orbem redeunt, tantum semel necesse habuerit exprimere, cum in Cyclo Dionysii quinquies repetebantur.

Et ex hac Cyclica forma etiam profluxit, quod annos Domini, Indictiones, Epactas, & Concurrentes, quæ in quatuor prioribus columnis Cycli Dionysiani occurrebant, omiserit, quia ea forma hæc commode non admittebat, & arctum Tabulæ marmoreæ spatium hæc omnia capere non poterat.

X.

Cyclus Ravennas XCV annorum incipit anno Æræ Vulg. Christi 532° & desinit anno 626°.

Hoc ex characteribus Lunaribus & Solaribus patet.

XI.

Contenta Cycli Ravennat.

In hoc Cyclo continentur ſequentia

1° Anni Cycli Lunaris, in exteriori zona.
2° Anni Cycli decemnovalis, in 2ª zona.
3° Lunæ XIVª Paſchalis, in eadem zona.
4° Dominici Paſchæ dies } *
5° Lunæ ipſius diei Dom. }

* In ſequentibus zonis, ubi Paſchata primi Cycli decemn. abſque Titulo, Paſchata autem reliquorum quatuor Cyclorum decemn. cum hoc Titulo CYC. II. PAS. CYC. III. PAS. &c. exhibentur.

6° Signa annorum Communium & Embolimæorum, expreſſa hac nota CM̄. EB. in interiori zona.

7° Signa diviſionis Cycli decemn. in duas partes, Ogdoadem ſcilicet & Hendecadem: nam in zona exteriori (quæ annos Cycli Lunaris continet) anno Cycli decemn. primo ſuperponitur *ſignum Crucis*, & anno Cycli decemn. noni ſuperſcribuntur hæc verba DIVISIO CYCLI II, quod idem eſt ac *pars Cycli ſecunda*.

Hæc omnia ex oculari ipſius Cycli inſpectione clarius patere poterunt.

Hoc unum addo, quod initium Cycli Lunaris clariſſime deſignetur, nam plenis verbis ſcribitur LU. PRIMUS, & additur præterea *ſignum Crucis*.

DE

DE CYCLO PASCHALI

XCV annorum

ISIDORI HISPALENS.

I.

Quid per Cyclum Paschalem Isidori intelligam.

CYclum Paschalem Isidori voco illum Cyclum XCV annorum, quem Isidorus Hispalensis inseruit Originum Libro VI, Cap. 17°.

II.

De hoc Cyclo Isidori jam antea egi.

In Observationibus ad Isidori Hispalensis Originum Lib. 6. Cap. 17um.

III.

Quinam veterum hujus Cycli meminerint.

Ipse Isidorus Hispalensis Originum Lib. 6. C. 17.

IV.

Quinam recentiorum de hoc Cyclo egerint.

Norisius in Dissertatione tertia, de Cyclo Paschali Ravennate XCV annorum C. 2°.

XI.

Contenta Cycli Ravennat.

In hoc Cyclo continentur ſequentia

1° Anni Cycli Lunaris, in exteriori zona.
2° Anni Cycli decemnovalis, in 2ª zona.
3° Lunæ XIVª Paſchalis, in eadem zona.
4° Dominici Paſchæ dies } *
5° Lunæ ipſius diei Dom. }

* In ſequentibus zonis, ubi Paſchata primi Cycli decemn. absque Titulo, Paſchata autem reliquorum quatuor Cyclorum decemn. cum hoc Titulo CYC. II. PAS. CYC. III. PAS. &c. exhibentur.

6° Signa annorum Communium & Embolimæorum, expreſſa hac nota CM̄. EB. in interiori zona.
7° Signa diviſionis Cycli decemn. in duas partes, Ogdoadem ſcilicet & Hendecadem: nam in zona exteriori (quæ annos Cycli Lunaris continet) anno Cycli decemn. primo ſuperponitur *ſignum Crucis*, & anno Cycli decemn. noni ſuperſcribuntur hæc verba DIVISIO CYCLI II, quod idem eſt ac *pars Cycli ſecunda.*

Hæc omnia ex oculari ipſius Cycli inſpectione clarius patere poterunt.

Hoc unum addo, quod initium Cycli Lunaris clariſſime deſignetur, nam plenis verbis ſcribitur LU. PRIMUS, & additur præterea *ſignum Crucis.*

DE

DE CYCLO PASCHALI

XCV annorum

ISIDORI HISPALENS.

I.

Quid per Cyclum Paschalem Isidori intelligam.

CYclum Paschalem Isidori voco illum Cyclum XCV annorum, quem Isidorus Hispalensis inseruit Originum Libro VI, Cap. 17°.

II.

De hoc Cyclo Isidori jam antea egi.

In Observationibus ad Isidori Hispalensis Originum Lib. 6. Cap. 17um.

III.

Quinam veterum hujus Cycli meminerint.

Ipse Isidorus Hispalensis Originum Lib. 6. C. 17.

IV.

Quinam recentiorum de hoc Cyclo egerint.

Norisius in Dissertatione tertia, de Cyclo Paschali Ravennate XCV annorum C. 2°.

V.

An Isidorus sit Auctor hujus Cycli XCV annorum.

Hic Cyclus absque ulla præfatione, aut admonitione prævia, simpliciter & quasi ex abrupto proponitur.

Cyclo proposito subjunguntur hæc verba: *a conditione Mundi usque ad hunc novissimum Cycli annum, computantur anni VMDCCCCXX. Post cujus expletionem ad primum exordium recurrendum.*

Isidorus Hispal. Archiep. Leandro in Archiepiscopatu successit anno 595, & obiit anno 636. Operi huic *Originum* immortuus est. Teste Cave.

Cyclus hic exordium sumit anno Æræ Christi vulgaris 627, & desinit anno 721.

Probabile itaque quidem est Isidorum hujus Cycli Auctorem esse, sed tamen non adeo certum est.

V I.

Cyclus Isidori XCV annorum incipit anno Christi 627, desinit anno 721.

Cyclus XCV annorum Dionysii cœpit anno Christi 532, & desinit anno Christi 626°.

Cyclus autem Isidori XCV annorum incipit ab anno Christi sequente 627°, & desinit anno Christi 721°.

Hoc ex characteribus Lunaribus & Solaribus, qui in hoc Cyclo occurrunt, quam clarissimum est.

V I I.

Cyclus Isidori XCV annorum distinguitur in quinque Cyclos decemnoval.

Hoc ex inspectione hujus Cycli patet.

Nec non ex Inscriptione, seu Titulo uniuscujusque Cycli decemnovalis.

Primo enim superinscribitur, *Primus Cyclus decemnovalis:* Secundo, *Secundus Cyclus Lunæ:* Tertio, *Tertius Cyclus Lunæ:* & sic porro.

VIII. *Con-*

VIII.

Contenta Cycli Isidoriani.

Hic Cyclus Isidori continet

1° Signa annorum Bissextilium, sive literam B.

2° Signa annorum Communium & Embolimæorum. Primo Cycli anno apponitur hæc nota *Com. an.* Secundo anno hæc *C.* Tertio anno hæc *Em.* deinceps solæ literæ *C* & *E.* adhibentur.

3° Dies Dominicos Paschæ, seu Dominicas Paschales; quoto scilicet mensis Martii aut Aprilis die incidant.

4° Lunam ipsius diei Dominici, seu ætatem Lunæ in ipso die Paschatis.

IX.

De Æra huic Cyclo innexa.

Hic Cyclus non habet Æram aliquam cujus anni singulis Cycli annis prænotantur.

Sed post Cyclum propositum subjunguntur hæc verba: *a conditione Mundi usque ad hunc novissimum Cycli annum, computantur anni VMDCCCCXX.*

X.

Observatio ad Notas annorum Bissext. in Cyclo Isidoriano.

Notæ annorum Bissextilium in Cyclo Isidori semper uno anno anticipantur.

Vide Observationes nostras ad Cap. 17um Libri 6ti Originum Isidori, §° 8° & 15.

DE CYCLO PASCHALI

XCV annorum

S. FELICIS ABBATIS.

I.

Ubi hujus Cycli mentio occurrat.

IN Anonymi (a Muratorio edito, inter Anecdota Latina, Tom. 3°) Libro de Computo, Capit. CXXI, & imprimis Capit. CXXII.

In Codice Digbæano & Remigiano. Vide Dissertationem de Cyclo Paschali XCV annorum, a Dionysio edito, & a Beda continuato, §° 31.

II.

Quis fuerit ille S. Felix.

Abbatem fuisse, & scripsisse anno Æræ Vulg. Christi 616, ex iis, quæ apud Anonymum leguntur, constat.

Vocatur ibidem *S. Felix Abbas Cyrillitanus*, bis autem scribit *Chyllitanus.*

Vocatur *Felix Abbas Gillitanus.* In Codice Remigiano.

III.

S. Felix Abbas Cyclum suum edidit anno Christi 616.

Ipse enim expresse dicit in Prologo quem suo Cyclo præmisit, & ex quo Anonymus in Libro suo de Computo, quædam excerpsit C. CXXII.

&

& quoniam memorati viri (Dionysii) quintus nunc peragitur Cyclus, ad cujus supplementum X adhuc supersunt anni &c.

Dionysii enim Cyclus XCV annorum, quinque Cyclis decemnovalibus constans, cœpit anno Christi 532° & desinit anno 626°, ut ipse Felix ibidem dixerat, adeoque si quinti Cycli Dionysiani adhuc X supererant anni, quando hæc scribebat, patet eum scripsisse hunc suum Prologum, & Cyclum suum edidisse, anno Æræ Vulg. Christi 616°.

IV.

Cyclus S. Felicis XCV annorum incipiebat anno Christi 627, & desinebat anno 721.

Ita enim scribit S. Felix in illo excerpto ex ejus Prologo Paschali, quod apud Anonymum Capit. CXXII reperitur, cum hoc titulo: *Incipit Prologus S. Cbyllitani. Iterum sermo Felicis. Incipit de Dionysio & de semetipso in Christi nomine. Dionysius quondam urbis Romæ Sanctissimus Abbas, utriusque Linguæ, Græcæ scilicet & Latinæ eleganti scientia præditus, Paschalium interea rationum decemnovales numero V sagaci ingenio anteriores composuit Cyclos, exordium scilicet sumens ab Incarnatione D. N. J. C. DXXXII ann. Indictione X, usque ad DCXXVI Incarnationis annum, Indict. XIV memoratorum Cyclorum serie continuatæ produxit. Et quoniam memorati viri quintus nunc peragitur Cyclus, ad cujus supplementum X adhuc supersunt anni ad nostram* (lege *nostra*) *providet parvitas alios subsequentes Cyclos decemnovales numero V, ad instar superiorum Cyclorum, rationali dispositione componere, initium facientes a DCXXVII Incarnationis anno, Indict. XV, usque ad DCCXXI Incarnat. annum, Indict. IV certum præfixum* (lege, *præfixumque*) *posuimus terminum. Quapropter monuimus Lectorem, ut dum præfati & Venerabilis Dionysii quintus expletus fuerit, ad nostros subsequentes Cyclos, ut diximus, V transitum faciat, & absque ulla erroris caligine dies Festos Paschales, vel Lunas per ordinem fida ratione reperiet.* Subjungitur hæc Anonymi clausula. *Expliciunt Cbyllitani V Cycli decemnovales, prætermissi, eo quod omnes præterierint.*

Eadem fere verba in Codice Digbæano & Remigiano reperiuntur.

V. Cy-

V.

Cyclus S. Felicis XCV annorum distinctus erat in Cyclos V decemnovales.

Hoc ex ipsius S. Felicis verbis, quæ præcedenti §° 4 adduximus, & ex Anonymi clausula, quam iis, quæ ex S. Felicis Prologo excerpserat, subjungit, quam clarissime patet.

V I.

Contenta Cycli S. Felicis XCV annorum.

In illo excerpto, quod §° 4° exhibuimus

Primo in genere dicit, Dionysium Cyclos decemn. quinque anteriores edidisse, incipiens ab anno Christi 532° Indict. X, & desinens anno Christi 626°, Indict. XIV; *se autem alios subsequentes Cyclos decemnovales, numero V, ad instar superiorum Cyclorum composuisse*, incipiens ab anno Christi 627° & desinens anno Christi 721°.

Hinc duo concludimus; (a) probabile admodum esse, quod hic Cyclus S. Felicis, cum ad instar Cycli Dionysiani compositus fuerit, eadem continuerit, quæ in Cyclo Dionysii continebantur. (b) Satis clare innui, quod anni Domini, & Indictiones constituerint priores duas hujus Cycli Columnas, ad instar Cycli Dionysii.

Secundo dicit Lectorem, qui evoluto quinto decemn. Cyclo Dionysii, ad suos subsequentes Cyclos decemnovales V transitum facit, reperturum absque ulla erroris caligine *dies Festos Paschales vel Lunas* per ordinem fida ratione.

Hinc patet, in Cyclo S. Felicis fuisse columnam, quæ continebat Dominicos Paschæ dies, & alteram, quæ continebat Lunam ipsius diei Dominici Paschalis: nisi per *Lunas Paschales* velis intelligere, vel sub iis quoque comprehendere, Lunas XIV^as Paschales.

V I I.

Huic Cyclo Felicis XCV annorum innexa erat Æra Christi Dionysiana.

Hoc patet ex iis, quæ præcedenti §° 6° vidimus.

Præ-

Præterea hoc patet ex altero excerpto ex Præfatione, quam S. Felix suo Cyclo præmiserat, quod Anonymus in Libro suo de Computo Cap. CXXI exhibet: in quo excerpto S. Felix conatur ostendere Cycli Dionysiani XCV annorum annum primum esse a Nativitate Christi 532^{um}.

Excerptum hoc apud Anonymum hoc Titulo insignitur: *Incipit Præfatio S. Felicis Abbatis Cyrillitani.*

Verba ipsa S. Felicis hæc sunt: *Olympiade CXCIV mediante*, id est, *XLII anno Imperii Octaviani Augusti, natus est Dominus N. J. C. in carne. A Nativitate* ergo *Domini usque in Olympiadem XLV*, (lege CCLXV) *tam* idem usque *in primum annum Diocletiani sunt anni CCLXXXIV. Et a primo anno Diocletiani usque in primum Cyclum Dionysii invenies annos CCXLVIII, fiunt quippe simul anni DXXXII. Ab hoc & Dionysius annos* (lege, *anno*) DXXXII *in primo suo Cyclo ab Incarnatione Domini* (adde, *exorsus est.*) *Nam hic Cyclus S. Cyrilli in CCXLVII finivit. Addes I quem inchoat Dionysius, & invenies annos CCXLVIII, sicut supradictum est. Finit*

DE CYCLO PASCHALI

XCV annorum

S. CYRILLI ALEXANDR.

I.

Quinam veterum de hoc Cyclo egerint.

IPse Cyrillus in Prologo ſuo, quem huic Cyclo a ſe edito præmiſit, impr. §° 3.

Dionyſius Exiguus in Epiſtola 1ª, ad Petronium Epiſc. ſcripta anno Chriſti 525. impr. §° 2, 3, 4.

S. Felix Abbas in Præfatione ſeu Prologo ad Cyclum ſuum XCV annorum, quem anno Chriſti 616 edidit: In Anonymi Libro de Computo, a Muratorio edito, Capit. CXXI.

Iſidorus Hiſpal., Originum Lib. 6°, Cap. 17°.

Beda Libro de natura Rerum & ratione Temp. Cap. 47.

Studioſus quidam in Præfatione ad B. Cyrilli, & Dionyſii Romani, ac Bedæ circulos, poſt Opuſcula Bedæ, a Johanne Noviomago edita. fol. CIII.

Ceolfridus Abbas in Epiſtola ad Naitonem regem Pictorum, apud Bedam Hiſt. Eccl. gentis Anglor. L. 5. C. 22.

II.

Quinam recentiorum de hoc Cyclo egerint.

Scaliger de emend. Temp. Lib. 2. p. 157. edit. Colon. 1629.

Petav. de Doctr. Tempor. Tom. 1° Lib. 2°. C. 56, 57, & 58.

Noris

Noris in Dissertatione de Cyclo Ravennatensi, C. I. p. 152—154. C. 2. p. 162. &c.

Jo. Guil. Janus in Historia Cycli Dionysiani, §° X. p. 19—21.

III.

De hoc Cyclo jam antea egi.

In Observationibus ad Prologum Cyrilli.

IV.

Cyclus Cyrilli XCV annorum profluxit ex Cyclo Theophili CDXVIII annorum.

Hoc ipse Cyrillus in Prologo suo, §° 3, indicat his verbis: *Sed quoniam jam illi diversi circuli, per totum orbem disseminati, etiam nostrorum animos inconcusse possederant, iste,* (Theophili scilicet Cyclus, 418 annorum) *qui nuper est editus, vix ad paucos potuit pervenire. Cujus cum nimiam profunditatem pœne omnes sensus excedere pervidissem, revelationem Domini postulavi, & hoc, quod de ipso fonte haurire promerui, in isto Libello* (hoc est, in hoc Prologo) *præsumens exposui; quod nec illos, apud quos ipsum circulum vidi, intellexisse cognovi. Et ne forte quadringentorum octodecim annorum infinita congeries, aut fastidium cognoscendi aut pigritiam describendi quibusdam afferret, in nonaginta quinque annos eundem Circulum breviavi.*

V.

Cyrilli Cyclus Paschalis erat XCV annorum.

Hoc ipse Cyrillus in Prologo, §° 3 dicit: *in nonaginta quinque annos eundem circulum* (Theophili 418 annorum) *breviavi.* Vide præcedentem §um 4.

Dionysius Epistola 1a, §° 2. *S. Cyrillus Cyclum temporum nonaginta quinque annorum componens, &c.*

Isidorus Hispal., Originum Lib. 6°, C. 17°, *Cyrillus Alexandriæ urbis Episcopus in XCV annos per quinquies decem novies calculans &c.*

 Ceol-

Ceolfridus Abbas in Epistola ad Naitonem Pictorum regem, apud Bedam Hist. Eccl. Gentis Anglor. L. 5. C. 22. *Item successor ejus* (Theophili) *Cyrillus in seriem nonaginta quinque annorum in quinque decemnovalibus circulis comprehendit.*

V I.

Cyrilli Cyclus XCV annorum distinctus erat in quinque Cyclos decemnovales.

Hoc Dionysius Epistola 1ª., §° 2, clare indicat his verbis: *ultimum ejusdem beati Cyrilli, id est, quintum circulum, quia sex adhuc ex eo anni supererant, in nostro hoc opere præferentes, ac deinde quinque alios juxta normam ejusdem Pontificis ... nos ordinasse profitemur.* Confer ejusdem Epistolæ §um 3 & 4. Ubi iterum *primi Cycli*, & *quinti Cycli* Cyrilliani mentionem facit.

Isidorus Hispal. Originum Libro 6°, C. 17, dicit Cyrillum rationem Festivitatis Paschalis *in XCV annos, per quinquies decem novies calculasse.*

Studiosus quidam in Præfatione in circulos Cyrilli, Dionysii, ac Bedæ, *siquidem S. Cyrillus usque ad ipsius Dionysii tempora, Paschalem observantiam quinque decemnovalibus circulis comprehenderat.*

Ceolfridus Abbas in Epistola ad Naitonem Pictorum regem, apud Bedam Hist. Eccles. gentis Anglor. L. 5. C. 22 *Cyrillus seriem nonaginta quinque annorum in quinque decemnovalibus circulis comprehendit.*

V I I.

Cyclus Cyrilli XCV annorum incepit anno Diocletiani 153°, & desinebat anno 247°.

Hoc Dionysius expresse dicit in sua Epistola 1ª, §° 3. *Quia vero S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani centesimo quinquagesimo tertio cœpit, & ultimum in ducentesimo quadragesimo septimo terminavit.*

Et ibidem simul indicat, annum Diocletiani 153um a mense Thoth ineuntem, concurrere cum anno Æræ vulg. Christi 437° a sequenti Januario ineunte, dum addit se ab anno Diocletiani 248° inchoasse, sed suis

ſuis circulis non annos Diocletiani, ſed ab Incarnatione Chriſti prænotaſſe; prænotavit autem anno Cycli primo annum Chriſti 532um.

Confer excerptum ex S. Felicis Abbatis Prologo Paſchali, apud Anonymum (a Muratorio editum) in Libro de Computo, Capit. CXXI. Ubi etiam dicitur, *Cyclus S. Cyrilli in CCXLVII* (anno Diocletiani) *finivit.*

VIII.

Contenta Cycli Paſchalis S. Cyrilli.

Iſidorus Hispal Originum Lib. 6° C. 17 *Cujus* (Feſtivitatis Paſchal.) *rationem beatiſſimus Cyrillus Alexandriæ urbis Epiſcopus in XCV annos per quinquies decem novies calculans, quoto Kalendas, vel Luna debeat Paſchalis ſolemnitas celebrari, ſumma brevitate notavit.*

Hinc patet Cyrillum in ſuo Cyclo notaſſe

1° Dominicos Paſchæ dies, ſeu quoto die menſis in anno Solari Civili Romano Paſcha Chriſtianum incideret.

2° Lunam ipſius diei Dominici Paſchalis, ſeu quota Luna Paſcha Chriſtianum incideret.

Præterea, quia Iſidorus dicit Cyrillum hæc *ſumma brevitate* notaſſe; videtur inde colligi, quod Cyrillus in ſuo Cyclo non plures, ſaltem non tot characteres, ſeu Titulos Paſchales habuerit, quot Dionyſium in ſuo Cyclo habuiſſe conſtat. Sed hoc inde concludi non debet; videtur enim Iſidorus hoc hauſiſſe ex Cyrilli Prologo, ubi §° 2° de Theophilo dicit: *Cujus* (Theodoſii) *præceptis obtemperans*, 418 *annorum circulum Paſchalem inſtituit, ejusque Clementiæ, a primo anno Conſulatus ejus, uſque ad centum calculans, quoto Kalendarum vel Iduum, & quota Luna Paſcha debeat celebrari, ſubjectis ſuis literis deſtinavit.* Et deinde §° 3. de ſe ipſo addit, *quod in nonaginta annos eundem* (Theophili 418 annorum) *circulum breviaverit:* vel illud *ſumma brevitate* aliorſum reſpicit, & forte conciſiorem proponendi, vel ſcribendi modum indicat.

Dionyſius in Epiſtola 1a, §° 2. & 3. *S. Cyrillus* (inquit) *Cyclum temporum nonaginta & quinque annorum componens, hanc S. Concilii traditionem ad obſervandas quartas decimas Lunas Paſchales per omnia ſervavit: & quia ſtudioſis, & quærentibus ſcire quod verum eſt, debet ejusdem Circuli regula fixius inhærere, hanc poſt præfationem* (nempe §° 5°) *noſ-*

tram credidimus adſcribendam. Nonaginta autem annorum hunc Cyclum ſtudio, quo valuimus expedire contendimus; ultimum ejusdem B. Cyrilli, id eſt quintum circulum, quia ſex adhuc ex eo anni ſupererant, in noſtro hoc opere præferentes, ac deinde quinque alios, juxta normam ejusdem Pontificis, imo potius ſæpe dicti Nicæni Concilii, nos ordinaſſe profitemur. Quia vero S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani 153° *cœpit, & ultimum in* 247° *terminavit; nos a* 248° *anno ejusdem Tyranni potius, quam principis inchoantes, noluimus Circulis noſtris memoriam impii & perſecutoris innectere, ſed magis elegimus ab Incarnatione D. N. J. C. annorum tempora prænotare.*

Ex his Dionyſii verbis patet Cyrillum in Cyclo ſuo notaſſe quoque

1° Lunas XIV^as^ Paſchales, *quas* (ut Dionyſius hujus Epiſtolæ §° 1°. dixerat) *Nicæni patres per novendecim annorum redeuntem ſemper in ſe Circulum, ſtabiles immotasque fixerant.*

2° Annos Cycli decemnovalis: quod & Iſidorus l. c. innuit, dum dicit *Cyrillum feſtivitatis Paſchalis rationem in XCV annos, per quinquies decem novies* calculaſſe. (* Sed hoc argumentum non probat, annos Cycli decemnovalis ab 1—19 fuiſſe numeratos, & hos numeros ordine fuiſſe annotatos, cum hoc Titulo, *anni Cycli decemnovalis.* & eo ſenſu non puto *annos Cycli decemnovalis in Cyrilli Cyclo notatos fuiſſe.*)

3° Annos Diocletiani, quibus tanquam Æra Communi Ægyptii utebantur.

4° Titulum, qui unicuique Cyclo decemnovali ſuperſcriptus, unum ab altero diſtinguebat, & *quotus Cyclus decemnovalis eſſet, primus, ſecundus, tertius, quartus, vel denique quintus, indicabat.*

Ex eo autem, quod Dionyſius dicit *ſe Circulos quinque alios juxta normam ejusdem Pontificis (Cyrilli) ordinaſſe*, concludi non poteſt Cyclum Cyrilli per omnia ſimilem fuiſſe Cyclo Dionyſii, & utrumque Cyclum eosdem characteres, ſeu Titulos Paſchales habuiſſe: addit enim, *imo potius* (juxta normam) *ſæpe dicti Nicæni Concilii*; unde patet hoc reſpicere *Lunas XIV^as^ & Regulas Paſchales* Alexandrinorum, quas Dionyſius Concilio Nicæno tribuit, hujus Epiſtolæ §° 1° & 5°, & quas Theophilum & Cyrillum in ſuo Laterculo, & Cyclo per omnia ſervaſſe, dixerat, hujus Epiſtolæ §° 2°. Licet autem illud, *juxta normam*, eo præcipue reſpiciat, tamen hæc ipſa verba, & præterea quod expreſſe dicat, *ſe quintum Cyclum Cyrilli, quia ſex ex eo adhuc anni ſupererant, ſuo Cyclo XCV annorum, qui alios quinque Circulos decemn., juxta normam Cyrilli ordinatos, continebat, præmiſiſſe*, probabile faciunt, quod Cyclus Cyrilli,

Cyrilli, licet non plane per omnia, tamen fere & maximam partem, eadem continuerit, quæ Cyclus Dionyſii continebat: excepto forte tantum Cyclo Lunari, qui (ut dicit Beda) Romanorum proprius eſt, & ad menſem Januarium pertinet: nam de mutata Æra, quæ huic Cyclo innexa erat, Dionyſius expreſſe monet.

Adeoque probabile eſt Cyrillum in Cyclo ſuo quoque notaſſe.

1° Indictiones.

2° Epactas.

3° Concurrentes.

4° Signa annorum Com. & Emb.

5° Signa Ogdoadis & Hendec.

Quæ probabilitas, ſaltem quod attinet ſigna Ogdoadis & Hendecadis, ut & ſigna annorum Com. & Emb. major evadit, ex Epiſtola Paſchaſini ad Leonem Papam ſcripta anno Chriſti 443° & ex Epiſtola Dionyſii 2ª, §° 3°, uterque enim de diviſione Cycli decemn. in Ogdoadem & Hendecadem, & de annis in Ogdoade & Hendecade Communibus & Embolimæis, tanquam de re nota & cognita loquuntur; quod videtur ſupponere, hæc in Cyclis Alexandrinorum notata & ſigno indicata fuiſſe, ut quivis ex inſpectione Cycli ea deprehendere potuerit. Confer etiam Epiſtolam Cyrilli, eodem anno Chriſti 443, ad Leonem Papam ſcriptam. (*De Signis Ogdoadis, & Hendecadis non dubito: de Signis autem annorum Communium & Embolimæorum judicium ſuſpendo. Vide quintum Cyrilli Cyclum, Dionyſii Cyclo XCV annorum, in Codice Digbæano, præmiſſum. in quo priora ſigna conſpiciuntur, poſteriora vero non. Vide Diſſertationem de Dionyſii Cyclo XCV annorum, §° 32 & 33)

Dubitari etiam poteſt, an non ad annos Diocletiani adſcripta fuerint ſigna annorum Biſſextilium; ex iis, quæ Cyrillus dicit in Prologo ſuo, §° 3. Verba Cyrilli adducam ſequenti §° 10. Sed notandum, literam B. vel notam Biſſ. in ſignum anni Biſſextilis adſcribendam fuiſſe illi anno Diocletiani, non qui juxta Alexandrinos intercalaris erat, & *Sextam* habebat *Epagomenam*, diesque 366, ſed qui hunc proxime inſequebatur, & cujus Thoth inibat ab Auguſti die 30°, quia hic annus concurrebat a ſequentibus Kalendis Januariis, cum tali anno Chriſti, cui in ſequenti Februario, a Romanis inſerebatur dies Biſſextilis. Adfuiſſe autem in Cyrilli Cyclo illa annorum Biſſextilium ſigna, & eo, quo dixi, modo ad annos Diocletiani adpoſita, probabile mihi videtur; licet illa in quinto Cyrilli Cyclo, qui

in

in Codice Digbæano, Dionyſii Cyclo XCV annorum præmittitur, non conſpiciantur.

Quod autem *Epactas Lunæ*, & *Concurrentes ſeu Epactas Solis* attinet; eas in Cyrilli Cyclo annotatas fuiſſe, inde concludo, quia Dionyſius, Cyclum ſuum juxta normam Cycli Cyrilliani componens, ſuas Epactas Lunæ, & ſuas Concurrentes Septimanæ Ferias, non ipſe invenit, ſed ex Cyrilli Cyclo deſumpſit, & in ſuum Cyclum tranſtulit, ut alibi probavi. In Obſervationibus in Proſperi Chronicon integrum, §° 53. N° 3°. *Concurrentes* autem in Cyclo Cyrilli annotatas fuiſſe, etiam oſtendi in obſervationibus ad Cyrilli Prologum Paſchalem, §° 44. Conſpiciuntur etiam tam Epactæ Lunæ, quam Concurrentes in quinto Cyrilli Cyclo, qui, in Codice Digbæano, Dionyſii Cyclo XCV annorum præmittitur.

De Indictionibus, an in Cyrilli Cyclo annotatæ fuerint, nec ne, mihi nihil conſtat. Conſpiciuntur quidem in quinto Cyrilli Cyclo, qui, in Codice Digbæano, Dionyſii Cyclo XCV annorum præmittitur. Sed hoc per ſe rem non evincit. Annotatas fuiſſe, probabile tamen videtur.

IX.

An Cyclus Cyrilli XCV annorum diſpoſitus fuerit in formam Cycli.

Negativa ſententia mihi quam maxime probabilis videtur.

Hunc Cyrilli Cyclum non fuiſſe diſpoſitum in formam Cycli, ſuadere videtur:

1° Quod anni Diocletiani ad ſingulos Cycli annos annotati fuerint, ab anno Diocletiani 153° uſque ad annum 247^{um}.

2° Quod Dionyſius quintum Cyrilli Cyclum ſuo primo præmiſerit, & quod ipſe Dionyſius ſuum Cyclum non in formam Cycli diſpoſuerit.

X.

An Cyrillus putaverit Cyclum ſuum Paſchalem ſpatio XCV annorum in orbem redire, & eadem Paſchata reducere.

Cyrillus hoc minime putavit, imo contrarium expreſſe monuit, in Prologo ſuo, §° 3. In nonaginta quinque annos eundem Circulum bre-

breviavi, quos per illos annos volvere ſine ulla differentia cognovi. *Unum tantum Aſſem* (hoc eſt *diem*) *in quibusdam tantum annis, propter rationes Biſſexti, qui occurrere non potuit uſque ad illum ſummum Circuli ultimum annum, qui redit ad Caput, adjiciendum, vel potius dimittendum admonui.*

Confer Dionyſii Epiſtolam 1am, §o 4o in fine. Et imprimis Obſervationes noſtras ad Cyrilli Prologum Paſchalem, §o 43, & 44.

X I.

Quando hunc Cyclum XCV annorum edidit Cyrillus.

De præciſo editionis hujus Cycli anno mihi non conſtat.

Probabile tamen videtur, Cyrillum Cyclum hunc circa annum Chriſti 437um (a quo initium ducit) compoſuiſſe & edidiſſe.

X I I.

Cur Cyrillus Cyclum ſuum XCV annorum ediderit, cum adhuc ex Theophili Laterculo Centenario duo Cycli decemnovales & præterea quinque anni reſtabant ad eum complendum.

Ratio videtur, quia obſervarat in ſpatio XCV annorum reperiri quendam recurſum, licet non plenarium. Confer ſupra §o 11. & vide Obſervationes in Cyrilli Prologum Paſchalem §o 46. & Obſervationes in Dionyſii Epiſtolam Iam, §o 15.

D E

LATERCULO PASCHALI

Centum annorum

THEOPHILI ALEXANDR.

I.

Quinam veterum hujus Laterculi meminerint.

IPſe Theophilus in Prologo ad Theodoſium Imp. de S. Paſcha, §° 6.

Cyrillus in Prologo ſuo Paſchali §° 2, 3.

Leo Papa in Epiſtola ad Martianum Imp. & in Epiſtola ad Eudociam Auguſtam: & in Epiſtola ad Julianum Coënſem.

Proterius Alexandr. in Epiſtola ad Leonem Papam.

Victorius in Prologo ſuo Paſchali, §° 4, 5.

Dionyſius in Epiſtola 1ª, quæ ad Petronium Epiſc. ſcripta eſt, §° 2.

Ceolfridus Abbas in Epiſtola ad Naitonem Pictorum regem, apud Bedam Hiſt. Eccl. Gentis Anglor. L. 5. C. 22.

I I.

Quinam Recentiorum de hoc Theophili Laterculo Centum annorum egerint.

Bucherius in Com. ad Canonem Paſchalem Victorii C. 6. p. 129-132.

Petavius de Doctrina Temporum, Tom. I°, Lib. 2°, C. 66, 67, & 68.

Scaliger

Scaliger de Emend. Temporum, L. 2. p. 157. edit. Colon. 1629.
Noris de Cyclo Ravennatensi XCV annorum. C. 1. p. 153. edit. Lipſ.
Jo. Guil. Janus in Hiſtoria Cycli Dionyſiani, §° IX. p. 17-19.

III.

De Theophili Laterculo ego jam antea egi.

In Obſervationibus noſtris ad Theophili Prologum ad Theodoſium Imp. de S. Paſcha.
In Obſervationibus noſtris ad Cyrilli Prologum Paſchalem.

IV.

Quo tempore Theophilus Laterculum ſuum ediderit.

Laterculum Theophili centum annorum initium ſumere ab anno Chriſti 380°, Coſſ. Gratiano Aug. V, & Theodoſio Aug., certum eſt.

Sed male inde concluditur Theophilum hoc ipſo anno Chriſti 380° Laterculum ſuum compoſuiſſe, & ad Theodoſium Imp. miſiſſe.

Vide quæ jam antea notavimus in Obſerv. ad Cyrilli Prologum Paſchalem, §° 34.

Cyrillus in Prologo, §° 2. poſtquam indicaverat occaſione dubii Paſchatis, & contentionis ea de re, inter Occidentales, ut videtur, & Orientales, magnam confuſionem ortam fuiſſe in omni Eccleſia, Prætorio vel Palatio; ſic pergit: *Theodoſius Imperator religioſiſſimus, qui non ſolum in humanis, verum etiam in divinis Legibus placere Deo ſemper ſtuduit, S. Theophilum, Alexandrinæ urbis Epiſcopum, ſuis literis conrogavit, ut Sacramentum Paſchæ evidentiſſima ratione diſſerere, ſibique dirigere dignaretur. Cujus ſanctiſſimis præceptis obtemperans, quadringentorum octodecim annorum Circulum Paſchalem inſtituit, ejusque clementiæ, a primo anno Conſulatus ejus, uſque ad centum calculans, quoto Kalendarum vel Iduum, & quota Luna Paſcha debeat celebrari, ſubjectis ſuis literis, deſtinavit, manifeſtamque veritatem ſub libello breviter perſtrinxit; in quo, revelante ſibi Domino, perfectæ rationis ordinem pandit, omnesque errores*

ac superfluas quæstiones, luce clarius, expugnavit, atque dissolvit.

Ex his Cyrilli verbis, quod attinet tempus conscripti & editi hujus Laterculi Theophiliani, discimus

1° Theophilum edidisse Laterculum suum imperante jam Theodosio.

Theodosius a Gratiano, Sirmii, XIV Kal. Februarii, anno Christi 379, in consortium Imperii adscitus est, concesso ei Oriente. Petav. & Pagi.

Adeoque editio Laterculi citius fieri non potuit, quam anno Christi 379°.

2° Theophilum in Laterculo suo *a primo Consulatu Theodosii usque in centum calculasse.*

Anno Christi 380 Consules fuere Gratianus Aug. V, & Theodosius Aug. I.

Adeoque editio Laterculi citius fieri non potuit, quam anno Christi 380° labente, postquam Theodosius primum suum Consulatum jam inierat.

3°, *Quod notandum*, Theophilum Laterculum suum edidisse, *quum jam esset Alexandrinæ urbis Episcopus.*

Theophilus autem *Timotheo, die Epiphi 26*, Julii 20, *ipso die Dominico*, mortuo, in Episcopatu successit, anno Christi 385, *Coss. Arcadio Aug. I, & Baudone.* teste Socrate in Hist. Eccl. L. 5. C. 12. Theophane in Chronogr. p. 60. Chronico Orientali. p. 96. Petav. & Pagi.

Adeoque editio Laterculi citius fieri non potuit, quam anno Christi 385° parte posteriori.

Petavius, qui probe noverat Theophilum hoc anno Christi 385° Episcopum Alexandrinæ urbis factum esse, & tamen in ea opinione erat, Laterculum hoc editum esse Theodosio Aug. primum Consulatum gerente, anno Christi 380°, hæc habet in Chronico ad annum Christi 380, *Theophilus Alexandrinus, tum Clericus, postea Episcopus, C annorum Computum Paschalem ab hoc anno orsus est.*

Sed, præterquam quod Cyrillus expresse dicat, Theodosium scripsisse ad S. Theophilum *Alexandrinæ urbis Episcopum*, quis credat Theodosium Imperatorem de gravi hac materia non ad ipsum Alexandrinæ urbis Episcopum, sed ad *Clericum* quendam istius Ecclesiæ scripturum: præsertim cum hoc Ecclesiæ Alexandrinæ, adeoque ejus Ecclesiæ præsuli, mandatum erat, ut tempus celebrandi Paschatis indicaret. ut Cyrillus in Prologo suo, §° 2°, testatur.

V. *Quænam*

V.

Quænam contentio, vel quodnam Pascha dubium occasionem dedit Theodosio, ut scriberet ad Theophilum, & Theophilo, ut Laterculum suum ederet, & ad Theodosium mitteret.

Probabile mihi hactenus est, occasionem quærendam esse in Paschate dubio anni Christi 387. Vide Observationes nostras ad Cyrilli Prologum Paschalem, §° 31—34.

V I.

Laterculum Theophili erat centum annorum.

Ipse Theophilus in Prologo suo Paschali, §° 6. *Hac igitur* (inquit) *mediocriter a nobis ordinatione disposita, uniuscujusque anni calculum, qui ad supputationem pertinet Paschæ, diligenter quoque posuimus, a primo Consulatu religiosissimi Imperatoris Theodosii, centum usque annos adnectentes, simul ac manifestantes decimæ quartæ Lunæ notitiam, & Dominici Paschalis diei.*

Cyrillus in Prologo suo Paschali §° 2. *ejusque* (inquit) *Clementiæ, a primo anno Consulatus ejus, usque ad centum calculans, quoto Kalendarum vel Iduum & quota Luna Pascha debeat celebrari, subjectis suis literis, destinavit.*

Leo Papa in Epistola ad Martianum Imp. *Sed* (inquit) *sanctæ memoriæ Theophilus, cum hujus observationis annos centum numero collegisset &c.* & paulo post: *Sicut regulariter centenariæ annorum rationis ordo declarat, &c.* & iterum: *Quia ergo in illa, ut dixi, centenaria supputatione Theophili, &c.*

Idem in Epistola ad Eudociam Augustam, *Sanctæ* (inquit) *memoriæ Theophilus ad Augustum Theodosium Seniorem scribens, per centum annos, a primo prædicti principis Consulatu, digessit ordinem diei festi.*

Proterius in Epistola ad Leonem Papam, *sumens* (inquit) *etiam & centenalem cursum Paschæ descriptum a beatissimo Patre & Episcopo nostro Theophilo, &c.* & paulo post, *celebratur autem ita potius, ut centenarius annorum cursus ejusdem beatissimi Patris nostri & Episcopi Theophili continet.*

Victorius in Prologo ſuo Paſchali, §° 5. *Theophilus* (inquit) *Laterculi ſui formam, ab omni neceſſitate præfinitæ recurſionis exutam, abſolute in centum annorum promulgavit ætatem.*

Dionyſius exiguus in Epiſtola 1ª, §° 2. *Papa denique* (inquit) *Theophilus centum annorum curſum Theodoſio ſeniori principi dedicans.*

Ceolfridus Abbas in Epiſtola ad Naitonem Pictorum regem, apud Bedam Hiſtor. Eccleſ. Gentis Anglor. L. 5. C. 22. *Cujus computum Paſchalis Theophilus Alexandriæ præſul in centum annorum tempus, Theodoſio Imperatori compoſuit.*

VII.

Laterculum Theophili incipiebat a primo Conſulatu Theodoſii, hoc eſt, ab anno Æræ Vulg. Chriſti 380° *& deſinebat anno Æræ Vulg. Chriſti* 479°.

Ipſe Theophilus in Prologo ſuo Paſchali, §° 6. *Uniuscujusque anni calculum, qui ad ſupputationem pertinet Paſchæ, diligenter poſuimus, a primo Conſulatu religioſiſſimi Imperatoris Theodoſii, centum uſque annos adnectentes.*

Cyrillus in Prologo ſuo Paſchali §° 2. *a primo anno Conſulatus ejus uſque ad centum calculans.*

Leo in Epiſtola ad Martianum Imp. data XVI Kal. Jul., Opilione V. C. Conſule: *Sed ſanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, cum hujus obſervationis annos centum numero collegiſſet, ſeptuageſimo ſexto Paſchale Feſtum longe aliter, quam* alii decreverant, tenendum eſſe conſtituit, *a primo Auguſtæ memoriæ Theodoſii Senioris Conſulatu,* ſuccedentes ſibi ſacræ obſervantiæ ordines ponens, ut longioris temporis ratio ejus literis teneretur adſcripta. *Cujus complexionis ſeptuageſimus & quartus eſt annus, in quo pridie Idus Aprilis Sanctum Paſcha celebravimus: Sequenti vero anno, pridie Nonas Aprilis eadem, propitio Deo, erit habenda Feſtivitas, ſicut regulariter centenariæ annorum rationis ordo declarat. Sed in anno, qui erit ſeptuageſimus ſextus, Paſchæ dies invenitur adſcriptus, quem a Paſſione Domini, nullius exempli, nullius conſtitutionis admittit auctoritas; nam diem octavum Kalendarum Majarum ab eo cognoſcimus præfinitum,* &c.

Leo in Epiſtola ad Eudociam Aug., data eodem die; *Sanctæ memoriæ Theo-*

Theophilus ad Augustum Theodosium Seniorem scribens, per centum annos, a primo prædicti principis Consulatu digessit ordinem diei festi. Cujus instructionis septuagesimus quartus nunc annus evolvitur, Opilione Consule, quo pridie Idus Aprilis celebrata est Sacra Solemnitas: unde sequenti anno, pridie Nonas Aprilis, eadem Festivitas rationabiliter consequitur: sed annus qui erit LXXVI[us] *memorati Episcopi annotationem habere cognoscitur, quæ a totius antiquitatis exemplo, & ab omni auctoritate patrum discordat; siquidem in octavum Kalendarum Majarum Dominicum Pascha transtulerit.*

Leo in Epistola ad Julianum Coënsem, data V Idus Januarii, Aëtio & studio Viris Clarissimis Coss. *de præsentis anni Pascha, nulla esse dubitatio potuit, sed de futuro, quod Theophilus Alexandrinæ urbis Episcopus octavo Kalendarum Majarum die, quod nunquam ita a tempore dominicæ resurrectionis celebratum est, credidit adscribendum.*

Proterius in Epistola ad Leonem, istius anni Pascha, quod Theophilus Laterculi sui anno 76° adscripserat VIII Kal. Maj.. tot characteribus designat, ut dubitari non possit, quin inciderit anno Æræ Vulg Christi 455, ex quo consequitur Laterculi annum primum esse Christi 380[um].

Victorius in Prologo suo, §° 4°. *Sanctæ memoriæ Theophilus, quondam Alexandrinus antistes, ad Theodosium Imperatorem datis Epistolis, ex primo ipsius, & Gratiani quinto Consulatu conditum Paschale direxit.*

VIII.

Laterculum Theophili continebat quinque Cyclos decemnovales & sexti Cycli quinque priores annos.

Nam, quia Laterculi annus primus erat Christi 380[us], sequitur quoque fuisse Cycli decemnovalis annum primum.

Quod etiam confirmatur ex Cyclo XCV annorum Cyrilli, & Dionysii, qui ambo in quinque Cyclos decemnovales distincti erant, & quorum prior incipiebat anno Diocletiani 153°, Christi 437°, posterior vero anno Diocletiani 248°, Christi 532°: ab anno enim Christi 380° inclusive, usque ad annum Christi 437° exclusive, sunt anni 57, qui faciunt tres Cyclos decemnovales.

Quibus accedit, quod, ut ex Leonis & Proterii Epistola patet, *Laterculi annus* 76[us] adscriptum habebat Paschæ diem dominicum VIII Kal. Majarum, & quod *Luna XIV*[a] istius anni cadebat *XV Kal. Maji,*

in

in diem Dominicum. Unde quam clarissime colligitur Laterculi annum 76um esse quarti Cycli decemnovalis annum 19um. Nam anno Cycli decemnovalis 19° Luna XIVa Paschalis cadit XV Kal. Maji.

I X.

Cur Theophilus Laterculum suum inceperit ab anno Christi 380°, licet illud non eo anno, sed ad minimum annis quinque serius ediderit.

Ratio hujus rei, ex iis, quæ præcedenti §° 8. notavimus, clara est; nempe, quia Laterculum suum a Cycli decemnovalis anno primo voluit incipere.

X.

In Laterculo Theophili prænotabantur numeri, quibus indicabatur quotus annus Laterculi quisque esset.

Hoc colligimus ex Leonis Epistola ad Martianum Imp., & ex altera ad Eudociam Aug., in quibus semel atque iterum de hujus Laterculi centenarii *anno septuagesimo quarto*, *& septuagesimo sexto* loquitur. Verba ipsa adduximus §° 7°.

X I.

Quæritur an Theophilus Laterculo suo, ad annos præteritos, adscripserit illorum annorum Consules.

Theophilum in Capite Laterculi sui, ad latus anni primi adposuisse, *Gratiano Aug. V. & Theodosio Aug. I. Coss.* colligimus ex iis locis, quæ §° 7 adduximus.

Unde etiam probabile fit, eum quoque ad sequentes Laterculi sui annos, usque ad annum labentem, quo Laterculum edidit & ad Theodosium Imp. misit, adscripsisse eorum annorum Consules. Confer Canonem Victorii, in quo idem obtinet.

XII. *Cur*

XII.

Cur Theophilus in Laterculo ſuo Æram Conſularem adhibuerit.

Ad captandam, ut mihi videtur, Theodoſii Imp. gratiam, cujus *primus* Conſulatus, quem labente *primo* Imperii anno iniit, in Capite hujus Laterculi compareret; quo facto memoria initi ab eo Imperii huic Laterculo innectebatur, & primus ejus Conſulatus quaſi Epocha hujus Laterculi centenarii conſtituebatur.

XIII.

An etiam alia Æra huic Laterculo adpoſita fuerit.

In conſiderationem venire poteſt Æra Diocletianea, qua Ægyptii utebantur, & quam Cyrillus in Cyclo ſuo XCV annorum adhibuit.

In conſiderationem quoque venire poteſt Æra Indictionum, quæ per totum Imperium Romanum recepta erat.

Sed hactenus mihi non videtur, quod in Laterculo, *ad Imperatorem miſſo*, præter Æram Conſularem, & annos Laterculi, alia Æra addita fuerit.

XIV.

De reliquis contentis hujus Laterculi.

Ipſe Theophilus in Prologo ſuo Paſchali, §° 6, hæc habet: *Hac igitur mediocriter a nobis ordinatione diſpoſita, uniuscujusque anni calculum, qui ad ſupputationem pertinet Paſchæ, diligenter quoque poſuimus, a primo Conſulatu religioſiſſimi Imperatoris Theodoſii, centum uſque annos adnectentes, ſimul ac manifeſtantes decimæ quartæ Lunæ notitiam, & Dominici Paſchalis diei.*

Cyrillus in Prologo ſuo Paſchali, §° 2. *Cujus* (Theodoſii) *Sanctiſſimis præceptis obtemperans*, 418 *annorum Circulum Paſchalem inſtituit, ejusque Clementiæ, a primo anno Conſulatus ejus, uſque ad centum calculans, quoto Kalendarum, vel Iduum & quota Luna Paſcha debeat celebrari, ſubjectis ſuis literis, deſtinavit.*

Ex duobus his locis patet, Theophilum in ſuo Laterculo notaſſe

1° Lunas XIVas Paſchales.

2° Dominicum Paſchæ diem.

3° Ætatem Lunæ in Dominico Paſchæ die.

Sed quid Theophilus intelligat per *uniuscujusque anni calculum, qui ad ſupputationem pertinet Paſchæ*, non adeo clarum eſt.

Mihi videtur intelligere ea, quæ ad inveniendum, quando Paſcha, in unoquoque anno dato, debeat celebrari, ſcitu neceſſaria ſunt, & calculo inquiri ſolent, nempe

Quotus ſit annus Cycli decemnovalis.
Quot ſint Epactæ Lunares.
Quot ſint Epactæ Solis, ſeu Concurrentes.
An ſit annus Commun. vel Emb.
An ſit annus Biſſextilis, necne.

Quando autem dicit: *ſe uniuscujusque anni calculum, qui ad ſupputationem pertinet Paſchæ, diligenter quoque poſuiſſe*, eo indicat ſe hæc in Laterculo ſuo notaſſe, nempe

a. Annos Cycli decemnovales.
b. Epactas Lunæ.
c. Epactas Solis, vel Concurrentes, & forte etiam
d. Signa annorum Commun. & Embol.
e. Signa annorum Biſſextilium.

De Epactis Lunæ & Solis vix dubito.

De reliquis res minus clara & certa eſt.

De annis vero Cycli decemnovalis, non puto eos ab 1—19 numeratos, & in hoc Laterculo annotatos fuiſſe.

DE

DE CYCLO PASCHALI

CCCCXVIII annorum

THEOPHILI ALEXANDR.

I.

Quinam veterum de hoc Cyclo CCCCXVIII annorum Theophili mentionem fecerint.

Cyrillus Alexandrinus in Prologo ſuo Paſchali, §° 2, 3.

II.

Quinam Recentiorum de hoc Cyclo egerint.

Bucherius in Commentar. in Canonem Paſchalem Victorii. C. 6. p. 129–131.

Petavius de Doctr. Temp. Tomo I°, Lib. 2°, C. 67°, p. 225. D.

III.

De Cyclo Theophili, CCCCXVIII annorum ego jam antea egi.

In Obſervationibus noſtris ad Prologum Paſchalem Cyrilli. §° 36.

IV.

Theophilus Cyclum CCCCXVIII annorum eodem tempore, quo Laterculum, compoſuit & edidit.

Hoc Cyrillus in Prologo ſuo Paſchali, §° 2, clare indicat his verbis: *Cujus (Theodoſii)* ſanctiſſimis *præceptis obtemperans* (Theophilus) *quadrin-*

 gentorum

gentorum octodecim annorum Circulum Paſchalem inſtituit, ejusque Clementiæ, a primo anno Conſulatus ejus, uſque ad centum calculans, quoto Kalendarum vel Iduum, & quota Luna Paſcha debeat celebrari, ſubjectis ſuis literis deſtinavit.

Confer Diſſert. noſtram de Theophili Laterculo centum annorum, §° 4.

V.

Cyclus Theophili erat CCCCXVIII annorum.

Id Cyrillus expreſſe dicit in Prologo ſuo, §° 2, quem locum præcedenti §° adduxi.

Idem repetit, ibidem, §° 3. *& ne forte quadringentorum octodecim annorum infinita congeries aut faſtidium cognoſcendi aut pigritiam deſcribendi quibusdam afferret, in nonaginta quinque annos, eundem* (Theophili) *Circulum breviavi.*

In editione hujus Prologi Cyrilliani apud Anonymum, a Muratorio editum, in Libro de Computo, legitur in primo loco, *quatuor centorum XXVIII*, & in ſecundo loco, *quadringentorum viginti octo.*

Sed Lectio, quam habet editio Bucheriana & Petaviana præferenda eſt. Vide ſeq. §um 6.

V I.

Cyclus Theophili CCCCXVIII annorum conſtabat XXII Cyclis decemnovalibus.

Hoc ad oculum patet, ſi numerum 418 partiaris per 19; dabit enim in quotiente 22, & nihil erit reliquum.

```
19) 418 (22.
    38
    ——
     38
     38
     ——
      0
```

Hinc merito concludere licet, (ut jam §° præcedente monui) Lectionem

nem Bucherianam & Petavianam, quæ habet CCCCXVIII, præferendam esse Lectioni Muratorianæ, quæ habet CCCCXXVIII.

Nam numerus 428 neque per 19, nec etiam per 28, æqualiter dividi potest.

VII.

Cyclo Theophili CCCCXVIII annorum deërant VI Cycli decemnovales ad complendam periodum magnam Paschalem DXXXII annorum.

Hoc ex præcedenti §° 6 per se patet.

Cyclus enim magnus Paschalis 532 annorum constat XXVIII Cyclis decemnovalibus, ut notum est, & res ipsa docet.

VIII.

Cyclus Theophili CCCCXVIII annorum incipiebat anno Christi 475°, Diocletiani 191.

De initio hujus Cycli 418 annorum jam antea egi, in observationibus ad Prologum Paschalem Cyrilli §° 36.

Tunc probabile judicabam, hunc Cyclum 418 annorum eodem anno incepisse, quo ejus Laterculum centum annorum initium sumebat, nempe anno Christi 380.

Et ex eo, quod Cyrillus in Prologo suo Paschali dicit, se hunc Cyclum in nonaginta quinque annos breviasse, (quum scilicet Cyclum suum XCV annorum ederet, qui ab anno Christi 437 usque ad annum Christi 531 decurrebat) recte concludebam, hunc Cyclum Theophili 418 annorum se extendisse in futurum; adeoque ejus initium non esse quærendum & deducendum ab anno vel Nativitatis, vel Passionis Christi.

Dubitabam tamen an hujus Cycli initium non posset repeti ab ipso initio Imperii Diocletiani, sive anno Dioclet. 1°, Christi 285°.

Nunc autem statuo hunc Cyclum 418 annorum initium sumere anno Christi 475°, Diocl. 191°, post V Cyclos decemnovales, quos in Laterculo centum annorum ediderat, absolutos, anno Laterculi 96°.

 Later-

Laterculi C annorum, annus 1^us^ eſt Chriſti	380^us^,	1^mi^ Cycli dec.	1^us^
adde annos . . . 94	94		94
Laterculi C annorum, annus 95^us^ eſt Chriſti	474^us^,	5^ti^ Cycli dec.	19^us^
adde annum . . . 1	1		1
Cycli 418 annorum, annus 1^us^, Later. 96^us^, eſt Chriſti	475^us^,	1^mi^ Cycli dec.	1^us^
adde annos 417	417		417
Cycli 418 annorum, a^us^ 418^us^ eſt Æræ Vulg. Chriſti	892^us^,	22^di^ Cycli dec.	19^us^

Rationes, quare hoc ſtatuam, ſunt ſequentes.

1° In obſervationibus ad Syncelli Chronographiam oſtendi, quod in Chronographia Aniani, Monachi Ægyptii, qui florebat temporibus Theophili, in ejus Ærâ Mundanâ innexus erat Cyclus magnus Paſchalis, conſtans XI Periodis 532 annorum, quarum prima inibat anno Æræ ejus Mundanæ I°, & undecima terminabatur anno Æræ ejus Mundanæ 5852°. (Idem obtinet in Æra Mundana Panodori & Maximi.)

In iisdem obſervationibus ad Syncelli Chronographiam oſtendi, quod Æræ Aniani Mundanæ 5501^us^, qui ipſi Incarnationis annus 1^us^ eſt, concurrat cum anno Æræ Vulg. Chriſti 9°. † Unde ſequitur annum Æræ Aniani Mundanæ 5852^um^ concurrere cum anno Æræ Vulgaris Chriſti 360°. † (Idem obtinet in Æra Mundana Maximi.)

His poſitis patet Periodum 532 annorum duodecimam in Æra Aniani Mundana inire anno Mundi 5853° Æræ Vulg. Chriſti 361°, & compleri anno Mundi 6384°, Æræ Vulg. Chriſti 892°.

His conſideratis ſtatuo Theophilum ſequi computum Paſchalem Aniani; &, omiſſo Periodi duodecimæ Cyclo decemnovali 1°, qui ante editum Laterculum jam tranſierat, omiſſis itidem quinque Cyclis decemnovalibus, quos in ſuo Laterculo jam edebat, reliquos XXII Cyclos decemnovales, qui ad complendam Periodum duodecimam ſupererant, in hoc Cyclo 418 annorum edidiſſe, in uſum Eccleſiæ in futurum.

annus Mundi	annus Diocl.	annus Chriſti	annus Per. XIIæ	
5853	77	361	1	
19	19	19	19	
5872	96	380	20	Laterculi annus 1^us^
95	95	95	95	
5967	191	475	115	Cycli 418 annorum, annus 1^us^
417	417	417	417	417
6384	608	892	532	Cycli 418 annorum annus 418^us^

Hæc

Hæc ſententia ſe ipſam ſua concinnitate commendat; hæc enim omnia caſu ſe ita habere, vix credibile eſt.

2° In iisdem obſervationibus ad Syncelli Chronographiam oſtendi Anianum ſtatuere annum Æræ ſuæ Mundanæ 5534^{um} (qui concurrit cum anno Æræ Vulgaris Chriſti 42°) eſſe annum emortualem Chriſti, & Chriſtum legale Paſcha cum diſcipulis comediſſe Luna XIV^{a} , Martii 22, die Jovis ad veſperam, & crucifixum eſſe Luna XV^{a} , Mart. 23, die Veneris, reſurrexiſſe autem Luna XVII^{a} , Mart. 25, die Dominica, ſeu Solis. (Idem obtinet in Ærâ Mundanâ Maximi.)

Theophilus quoque in ea ſententia fuit, *quod Salvator noſter decima quarta quidem eſt traditus Luna, hoc eſt quinta (feria) poſt Sabbatum; decima quinta autem crucifixus, die tertio reſurrexit, hoc eſt decima ſeptima Luna, quæ tunc in Dominica die inventa eſt:* ut expreſſis verbis legitur in Paſchali Theophili Prologo, a Bucherio edito, §° 4°. Quod etiam de Theophilo teſtatur Cyrillus in Prologo ſuo Paſchali, §° 7. Fateor in Græcis, quæ Petavius ſub nomine Prologi Theophiliani edidit, expreſſe legi, *quod Chriſtus traditus ſit Luna XIII*^{a} , *Feria V*^{a} , *& paſſus Luna XIV*^{a} , *ac reſurrexerit Luna XVI*^{a} ; ſed hæc Græca non ſunt Theophili, ſed Auctoris Chronici Paſchalis, qui illa quidem maximam partem ex Theophili Prologo deſumpſit, ſed ad rationes ſuas Paſchales inflexit & immutavit; ut in obſervationibus ad Chronicon Paſchale oſtendi.

Ex hac convenientia Theophili cum Aniano circa ætatem Lunæ in die reſurrectionis Chriſti &c. tanto magis patet, Theophilum ſecutum eſſe computum Aniani Paſchalem.

Si autem conſtaret Theophilum quoque fuiſſe in eâ cum Aniano ſententia, Chriſtum reſurrexiſſe Martii die 25° , Phamenoth 29° , res extra dubium eſſet.

3° Admiſſa hac ſententia, quod Theophilus ſecutus Computum Aniani, Cyclum ſuum 418 annorum, qui XXII Cyclos decemnovales comprehendit, orſus ſit anno Chriſti 475° , Periodi, DXXXII annorum, anno 115° , tum commoda ratio dari poteſt, cur Theophilus Cyclo ſuo non adjecerit VI reliquos Cyclos decemnovales, qui ad complendam Periodum Paſchalem deërant, Cyclumque ſuum non extenderit ad annos 532, nempe, quia Cyclum decemnovalem Periodi duodecimæ 1^{um}, qui ante editum Laterculum jam tranſierat, & ſequentes quinque Cyclos decemnovales, quos ipſe in Laterculo ſuo jam ediderat & publicaverat, nolebat iterum repetere in hoc Cyclo 418 annorum, neque etiam ulterius progredi, quam ad finem Periodi 532 annorum duodecimæ.

IX. *Cy-*

I X.

Cyclus Theophili CCCCXVIII annorum videtur dispositus fuisse in formam Cycli.

Hoc videtur colligi ex verbis Cyrilli in Prologo ejus Paschali, *Cujus* (Cycli) *cum nimiam profunditatem pœne omnes sensus excedere pervidissem, revelationem Domini postulavi; & hoc, quod de ipso fonte haurire promerui, in isto libello præsumens exposui, quod nec illos, apud quos ipsum Circulum vidi, intellexisse cognovi. Et ne forte quadringentorum octodecim annorum infinita congeries, aut fastidium cognoscendi, aut pigritiam describendi quibusdam afferret, in nonaginta quinque annos eundem Circulum breviavi.*

Vix enim capio, unde illa *nimia profunditas*, *quæ pœne omnes sensus excedebat*, oriretur, nisi ex artificiosa & concisiore in formam Cycli dispositione.

X.

Cyclus Solis Theophili plane conveniebat cum Cyclo Solis Aniani.

Hoc necessario sequitur ex iis, quæ supra, §° 8, vidimus.

D E

DE CYCLO MAGNO PASCHALI,

Seu

DE PERIODO DXXXII ANNORUM

A N I A N I,

Monachi Ægyptii.

I.

Quid per Cyclum magnum Paſchalem intelligam.

PEr Cyclum magnum Paſchalem Aniani intelligo Periodum 532 annorum, quæ ex 28 Cyclis Lunæ, & 19 Cyclis Solis conflata, eademque Paſchata in orbem reducens, ejus Chronographiæ innexa erat, & ab Æræ ejus Mundanæ anno 1° initium ſumens, aliquoties repetebatur.

II.

Quinam veterum de hoc Aniani Cyclo egerunt.

Georgius Syncellus in ſua Chronographia.

III.

Quinam recentiorum de hoc Aniani Cyclo egerunt.

Noris in Diſſertatione de Cyclo Ravennatenſi. C. 2. p. 162, 163. edit. Lipſ.

IV.

De hoc Aniani Cyclo jam antea egi

In Obſervationibus ad Syncellum, nondum editis.

V.

De Aniano, ejusque ætate.

Anianus fuit monachus Ægyptius. Syncellus p. 34. A. C. p. 35. A. p. 315. D.

Fuit Hiſtoricus, ediditque Chronographiam conciſiorem, a Mundo condito, ad ſuam, ut videtur, ætatem. Syncellus p. 34. A. C. p. 35. A.

Fuit coætaneus Panodoro itidem monacho Ægyptio, & Hiſtorico, qui Chronographiam diffuſiorem a Condito Mundo ad ſua tempora edidit. Syncellus p. 34. A. C. & p. 35. B.

Floruit ſub Theophilo vigeſimo ſecundo Alexandriæ Archiepiſcopo. Syncell. p. 34. C.

Theophilus autem Timotheo, die Epiphi 26, Julii 20, ipſo die Dominico, mortuo, in Archiepiſcopatu Alexandrino ſucceſſit, anno Chriſti 385. & obiit die Octob. 15, anno Chriſti 412. Pagius.

VI.

Anianus compoſuit, & edidit Cyclum Paſchalem, ſeu Periodum 532 annorum.

Hoc expreſſe teſtatur Syncellus, loquitur enim p. 35. A. de τῷ ὑπ' αὐτοῦ συστάντι πασχαλίῳ τῶν φλβ" ἐτῶν, hoc eſt, *de Paſchali 532 annorum ab ipſo conſtituto.* Et p. 315. D. dicit, ταῦτα οὐκ ἀφ' ἑαυτῶν συντετάχαμεν, ἀλλ' ἐκ τῶν παραδόσεων . . . Ἀνιανοῦ τοῦ ὁσιοτάτου μοναχοῦ τοῦ συντάξαντος κύκλον φλβ" ἐτῶν, hoc eſt: *Hæc non ex propria Minerva conſcripſimus, digeſſimus, ſed ex traditionibus . . . Aniani religioſiſſimi monachi, qui compoſuit Cyclum . . . 532 annorum.*

Hoc præterea patet ex ipſius Aniani verbis, quæ Syncellus adducit, p. 36. A. ἡ δὲ τοιαύτη παράγνοια, φησὶν ὁ Ἀνιανός, ἐκ τοῦ ἀνακυκλωτικοῦ

χρόνου

χρόνου τοῦ Πάσχα ἐλέγχεται, ἤτοι ἐκ τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου τῶν φλβʹ ἐτῶν, &c. *Hæc autem hallucinatio, inquit Anianus, redarguitur ex in orbem redeunte tempore Paſchæ, ſive ex Solari Cyclo 532 annorum &c.*

V I I.

Anianus Cyclo ſuo Paſchali adjunxit Scholia ſeu annotationes ad ejus illuſtrationem.

Hoc expreſſe teſtatur Syncellus in locis ſupra, §° 6, adductis.

Nam p. 35. A. loquitur de τῷ ὑπ' αὐτοῦ συςάντι Πασχαλίῳ τῶν φλβʹ ἐτῶν ΜΕΤΑ ΤΙΝΩΝ ΣΧΟΛΑΣΤΙΚΩΝ ΕΠΙΣΤΑΣΕΩΝ. hoc eſt, *cum quibusdam brevibus annotationibus.*

Et p. 315. D. dicit Anianum religioſiſſimum monachum, compoſuiſſe Cyclum 532 annorum, ΑΜΑ ΣΧΟΛΙΟΙΣ ΑΚΡΙΒΕΣΙ, hoc eſt, *una cum Scholiis accuratis.*

V I I I.

Aniani Cyclus Paſchalis, cum Scholiis ab ipſo editus ejusque Chronographiæ adjunctus, ſeparatum tamen Tomum iſtius Operis conſtituebat.

Anianum Cyclum ſuum Paſchalem una cum ſua Chronographia edidiſſe, eique adjunxiſſe, ita ut Cyclus Paſchalis & Chronographia eodem συντάγματι continerentur, ſi non certum, admodum tamen probabile eſt. Videtur enim ipſa temporum putatio & collectio, inde a Condito Mundo, ab Aniano inſtituta, eum, inter alia, in finem facta eſſe, ut Cyclo & computo ejus Paſchali inſerviret.

Licet autem Cyclus Paſchalis, quem Anianus compoſuit & cum brevibus annotationibus edidit, ipſius Chronographiæ adjunctus fuerit, non tamen eidem intermixtus fuit, ſed ab ipſa Chronographia diſtinctus, ſeparatum Tomum, ſive diſtinctam Sectionem, ſeu partem iſtius Syntagmatis, ſeu Operis conſtituebat.

Syncellus enim p. 35. A. Cyclum Paſchalem 532 annorum ab Aniano conſtitutum, & brevibus annotationibus illuſtratum, ab ejus Chronographiâ clare, ut videtur, diſtinguit. *Illorum autem* (inquit) *ante me-*

memoratorum Deo dilectissimorum Monachorum Historiæ scriptorum (Chronographias quod attinet,) *sciendum est*, *Aniani quidem editionem* (hoc est Chronographiam ab eo editam) *esse compendiosiorem & accuratiorem*, *Apostolicæque & Patrum traditioni convenientem*; *in qua divinam incarnationem anno* 5500° *completo*, *& ineunte* 5501° (contigisse) *indicat*, *sanctum vero & undiquaque lucidum diem resurrectionis* 25° *apud Romanos Martii mensis*, *apud Ægyptios vero Phamenoth* 29° (contigisse.) *Quem etiam primo creatum diem* (scilicet Martii 25um) *in Paschali* 532 *annorum*, *ab ipso constituto*, (seu composito) *cum quibusdam brevibus annotationibus*, *clare ostendit*, 5534° *anno Mundi ineunte*, *illo ipso vivifico primi Dominici Paschatis die* (incidere) Syncellus hic duo dicit, quorum prius Anianus in sua Chronographia *indicabat*, posterius vero in suo Paschali 532 annorum Cyclo, Scholiis illustrato, *clare ostendebat*. Nempe, in Chronographia *indicabat* Christum resurrexisse die Phamenoth 29°, Martii 25°. In Cyclo Paschali *clare ostendebat*, illum resurrectionis Christi diem Martii 25um cadere in annum Mundi 5534um, & in illum eo anno incurrere primum Pascha Christianum, quod in memoriam resurrectionis, die Dominicâ celebratur.

Præterea ipse Anianus, teste Syncello p. 36. A. B. ita scribit: *Hæc autem hallucinatio* (Eusebii, qui in Constantini Vicennalibus computabat annum a Mundo C. 5526, cum judice Aniano, debuisset computare annum M. 5816) *redarguitur ex in orbem redeunte tempore Paschatis*, *sive ex Solari Cyclo* 532 *annorum*. *Per illos* (532) *enim partientes illos* 5526 *annos*, *invenimus Periodos decem* (elapsas) *& annos* 206 *reliquos* (esse) ταῦτα (σϛ' ἔτη) ΕΙΣΑΓΑΓΟΝΤΕΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΤΟΜΟΝ ἀκόλουθον εὑρίσκομεν τὴν ιδ' τῆς σελήνης, καὶ τὴν ἀναστάσιμον ἡμέραν τῆς κυριακῆς. hoc est, *hos* (206 annos) *introducentes in Paschatis Tomum*, *invenimus respondentem* (huic 206° Periodi anno) *XIVam Lunæ*, *& resurrectionis diem Dominicam*. *Similiter illos* 5816 (annos) *partientes per* 532, *invenimus Periodos decem* (elapsas) *&* 496 *annos reliquos* (esse) ταῦτα ΕΙΣΕΝΕΓΚΑΝΤΕΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΤΟΜΟΝ, εὑρίσκομεν τὴν ιδ' σύμφωνον τῇ Φαμενὼθ κθ', ὅ ἐστι τῇ Μαρτίου κε', τὴν κυριακὴν Φαρμουθὶ τρίτῃ τοῦτ' ἐστι Μαρτίου κθ'. hoc est, *hos* (496) *inferentes in Paschatis Tomum*, *invenimus* (Lunam) *XIVam consonantem* (non tantum huic 496° Periodi anno, sed etiam rei veritati) *mensis Phamenoth die* 29°, *quod est Martii* 25°, *Dominicam* (Paschalem) *autem mensis Pharmuthi die* 3°, *hoc est Martii* 29°. Ex his Aniani verbis videtur merito colligi posse, in Syntagmate ab eo edito, præter Chronographiam, fuisse Tomum, Sectionem,

ctionem, Partem, continentem ea quæ Paſcha ſpectabant, & in ſpecie Periodum Paſchalem 532 annorum, ad cujus annos ſingulos Lunæ XIV^a & dies Dominicæ Paſchales adnotatæ erant, ita, ut, dato aliquo anno a Mundo condito, nihil aliud agendum eſſet, quam annum Mundi datum partiri per 532, & cum numero, qui ex hac diviſione reliquus erat, quique exprimebat quotus Periodi labentis annus eſſet, ingredi hunc τ̃ Πάσχα τόμον, & inſpicere illam Periodum Paſchalem 532 annorum, & obſervare quænam Luna XIV^a, & Dominica Paſchalis ad illum Periodi labentis annum adnotatæ eſſent.

L X.

An Anianus ediderit Cyclum magnum Paſchalem per plures Periodos, 532 annorum, continuatum.

Hæc quæſtio determinanda ex loco Syncelli, qui occurrit p. 315. D. ubi Syncellus dicit, ſe ea, quæ ſpectant ordinationem anni natalis Chriſti, ejusque characteres, hauſiſſe etiam *ex traditionibus Aniani religioſiſſimi monachi* τ̃ συντάξαντ☉ κύκλον ια' Πασχάλια φλβ" ἐτῶν ἅμα σχολίοις ἀκριβέσι.

Vitium hoc in loco irrepſiſſe per ſe patet.

In Obſervationibus ad Syncellum §° 21, monui notam Græcam marginalem legere Πασχάλιον, loco Πασχάλια; & interpretem vertiſſe, *Cyclum Paſchalem XI^um, 532 annorum.* Et præterea hæc addidi, poſſet etiam legi κύκλυς ια" Πασχαλίυς, *Cyclos XI Paſchales*, vel κύκλον ια" Πασχαλίων, *Cyclum conſtantem XI Paſchalibus, ſeu Periodis 532 annorum*, nam Aniani Chronographia ſe extendens non tantum ad Conſtantini annum 20^um, Mundi 5816^um, ſed etiam ad Theophilum Alexandrinum, comprehendebat XI Periodos 532 annorum.

Sed nunc, re accuratius perpenſa, meam illam de hujus loci correctione conjecturam miſſam facio, & eam, quam nota marginalis exhibet, correctionem amplector; idque ob has rationes:

1° Quia illa correctio, quæ Πασχάλια mutat in Πασχάλιον, facilis eſt, & minimam in Textum mutationem infert.

2° Quia Textus ita correctus ſatis clarum fundit ſenſum, nempe *Anianum compoſuiſſe, conſtruxiſſe, vel ordinaſſe Cyclum XI^um Paſchalem 532 annorum.*

 3° Quia

3° Quia Textui ex mea conjectura correcto, non ſatisfacit illa a me addita explicatio: aliud enim eſt componere, conſtruere, vel ordinare Cyclos XI Paſchales 532 annorum, aliud eſt Chronographiam conſcribere, quæ a Condito Mundo eouſque ſe extendit, ut Periodus 532 annorum illi Æræ Mundanæ innexa, & cum Mundi anno 1° prima vice iniens, undecies in ea comprehendatur.

4° Quia plane incredibile eſt, Anianum XI Periodos 532 annorum ſibi invicem ſubjunxiſſe, quæ ſimul faciunt annos 5852, & ad ſingulos annos Lunam XIV^am & Dominicam Paſchalem adnotaſſe. Hoc enim συνλάξαι κύκλυς ια' Πασχαλίυς naturaliter videtur ſignificare.

X.

Anianus compoſuit & edidit unam & quidem XI^am Periodum DXXXII annorum.

Hoc ex iis, quæ ſupra §° 9. diximus, per ſe patet: locus enim ille Syncelli p. 315. D., modo adductus, alterutrum indicat, nempe Anianum compoſuiſſe vel *Cyclos undecim*, vel *Cyclum undecimum*, 532 annorum. Cum autem ob rationes ſupra allatas, legendum ſit non κύκλυς ια', Πασχαλίυς, ſed κύκλον ια' Πασχάλιον, φλβ' ἐτῶν; ſequitur Anianum compoſuiſſe unam tantum, & quidem XI^am Periodum 532 annorum.

X I.

Quo ſenſu Anianus dicatur compoſuiſſe XI^am Periodum 532 annorum.

Cum Periodus 532 annorum in orbem redeat, & non tantum easdem Lunas XIV^as, ſed easdem quoque Dominicas Paſchales, & quidem eodem ordine reducat, & per conſequens una Periodus alteri plane ſimilis ſit: merito quæritur, quo ſenſu Anianus dicatur συνλάξας Cyclum XI^um Paſchalem 532 annorum.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, Cyclum Paſchalem 532 annorum ab Aniano compoſitum, dici XI^um, propter Æram Mundanam illi innexam, ſive annos Mundi annis hujus Cycli prænotatos, quia ſcilicet hanc Periodum

riodum ſuam 532 annorum inchoabat ab anno Mundi 5321°, poſtquam in Æra Mundana anni 5320, quod eſt ſpatium decem Periodorum, elapſi eſſent.

X I I.

Cur Anianus ediderit Periodum XI^am^.

Mirum alicui videri poſſet, quod Anianus ediderit Periodum Paſchalem XI^am^, quæ ejus ætate jam elapſa erat, & non potius Periodum Paſchalem XII^am^, quæ ejus ætate labebatur, & ſic Eccleſiæ in futurum proſpexerit, ut Paſchalium editores facere ſolebant.

Sed hujus rei rationes dari probabiles poſſunt.

1^a^ Quia forte in annotandis Paſchatibus noluerit terminos Chronographiæ ſuæ excedere, & hoc tantum curare, ut illa in promptu eſſent Paſchata Chriſtiana, quæ celebrata erant inde a primis Chriſtianiſmi temporibus uſque ad finem hujus Periodi, hoc eſt, annum Mundi 5852^um^ incluſive.

2^a^ Quia in hanc XI^am^ Periodum incurrunt tempora Chriſti, imprimis tempus Chriſti emortuale, ejusque reſurrectio, nec non primum Paſcha Chriſtianum in die reſurrectionis Chriſti, Martii 25°, Lunâ XVII^a^: ut nempe oſtenderet Cyclum ſuum Paſchalem, & huic innexum Cyclum Alexandrinorum decemnovalem, prodere convenienter Hiſtoriæ Euangelicæ Paſcha legale, ſeu Lunam XIV^am^, in die Jovis, ad cujus veſperam Chriſtus cum diſcipulis ſuis Paſcha ſuum emortuale comedit, nec non reſurrectionem Chriſti & primum Paſcha Chriſtianum, Martii 25, die Dominicâ, Luna XVII^a^, convenienter traditioni Eccleſiaſticæ ſuo tempore prævalenti. Confer Theophili Prologum Paſchalem, prout Latine ex verſione antiqua a Bucherio & Petavio editus eſt, quique vere Theophili eſt, non autem Prologum Græce a Petavio editum, qui non eſt ſincerus Theophili Prologus, ſed prout ab Auctore Chronici Paſchalis abſque nomine Theophili editus, &, imprimis circa deſignationem temporis emortualis Chriſti, interpolatus, & ad proprias ſuas rationes Paſchales inflexus & immutatus eſt. In quo Prologo, ex verſione Latina antiqua, Theophilus ita ſcribit: *Aliter autem, quod & Salvator noſter decima quarta quidem eſt traditus Luna, hoc eſt, quinta poſt Sabbatum; decima quinta autem crucifixus, die tertio reſurrexit, hoc eſt decima ſeptima Luna, quæ tunc in Dominica die inventa eſt; ſicut & ex Evangeliorum*

liorum notatione comperimus. Confer quoque Syncellum p. 35. A. quem locum supra §° 8° adduximus, ubi hoc in genere videtur innuere.

XIII.

Quando Anianus Cyclum suum Paschalem 532 annorum ediderit.

Anianus Cyclum suum Paschalem 532 annorum edidit eodem tempore quo Chronographiam edidit. Cyclus enim Paschalis, ut supra, §° 8., vidimus, Chronographiæ adjunctus, & ejusdem Operis pars erat.

Quia autem, ut supra, §° 5, observavimus, Anianus, teste Syncello, coætaneus fuit Panodoro, & ambo floruerint sub Theophilo 22° Alexandriæ Archiepiscopo, qui hanc sedem tenuit ab anno Christi 385°, mensis Julii die 20°, usque ad annum Christi 412^um^ mensis Octobris diem 15^um^, quo obiit; sequitur Anianum Chronographiam suam, una cum Cyclo suo Paschali, edidisse temporibus Theophili Alexandrini, si nempe tempus, quo floruit, & tempus, quo hoc Opus edidit, coincidant.

Syncellus p. 32. D. & 33. A. adducit verba, vel Aniani, vel Panodori, (sunt enim certo alterutrius) ex quibus quam clarissime patet, eum, cujus hæc verba sunt, Chronographiam suam non edidisse ante annum Æræ suæ Mundanæ 5904^um^, qui cum Æræ Christi Vulg. anno 412°, a seq. Jan. concurrit, sed illo Mundi anno labente, vel potius jam elapso, in scribenda Chronographia sua, & quidem in Operis initio, adhuc occupatum fuisse; dicit enim *se in illo opere collecturum ab Adam usque ad finem Chronographiæ annos* 5904; & patet illam summam etiam ingredi annos Archiepiscopatus Theophili Alexandrini, qui in hac summa annorum collecta ultimi erant, eamque complebant. Theophilus enim Alexandrinus annum Mundi 5904^um^ elapsum paucis septimanis supervixit; si nempe anni illi Mundani concipiantur inire a mense Thoth.

Si itaque illa verba, a Syncello adducta, essent Aniani, ut putavi in Observationibus nostris ad Syncellum, tum Anianus Chronographiam suam, & huic adjunctum Cyclum suum Paschalem, edidisset post annum Mundi 5904^um^ jam elapsum, mortuo jam Theophilo Alexandriæ Archiepiscopo.

Sed

Sed quando verba illa, a Syncello adducta. & quæ ille, cujus verba ſunt, ibi de ſua Chronographia dicit, attentius conſidero, & cum iis, quæ Syncellus p. 35. A. B, de utriusque tam Aniani, quam Panodori Chronographia dicit, comparo; tum cogor ſententiam mutare, & illa verba non Aniano, ſed Panodoro tribuere, quia Chronographiæ non Aniani, quæ *conciſior* (ἐπιτομωτέρα) ſed Panodori, quæ *multipartita & multiformis* (πολυμερὴς καὶ πολυειδὴς) erat, apprime conveniunt.

Verum quidem eſt Syncellum facere Anianum Panodoro σύγχρονον, & ambos ὁμοχρόνους, ſub Theophilo Alexandrino florentes; ſed illa locutio Syncelli, de tempore a ſua ætate circiter quadringentis annis diſtante, aliquam latitudinem patitur, neque requirit, ut præciſe fuerint coætanei, & præciſe eodem tempore clari fuerint habiti, multo minus, ut præciſe eodem tempore Chronographias ſuas ediderint, ſufficit, ſi ambo attigerint tempus Archiepiſcopatus Theophili, & eodem circiter tempore inclaruerint, licet unus altero major natu fuerit, & aliquot annis citius inclareſcere cœperit, adeoque etiam Chronographias ſuas, quibus famam adepti ſunt, diverſo & aliquot annis, a ſe invicem diſtanti tempore ediderint. His accedit, quod ipſe Syncellus p. 326. D. videatur Panodorum facere Aniano juniorem, dicit enim de *Panodoro*, *quod floruerit temporibus Arcadii Imperatoris*, *& Theophili Archiepiſcopi Alexandrini*. Arcadius enim, mortuo patre Theodoſio, imperium ſuſcepit anno Chriſti 395, Jan. 17, & obiit anno Chriſti 408 Kal. Maji. Petav. & Pagius.

Quicquid ſit, hoc patet, præciſum tempus, quo Anianus Chronographiam ſuam, una cum Cyclo ſuo Paſchali, edidit, ex verbis Syncelli certo determinari non poſſe: præſertim cum tempus, quo floruit, non neceſſario coincidat cum tempore, quo Chronographiam ſuam edidit; potuit enim editio Chronographiæ, per quam inclaruit, aliquo tempore præcedere illud tempus, quo clarus habitus fuit, & floruiſſe dicitur.

Cum autem præciſum tempus editæ ab Aniano Chronographiæ certo determinari non poſſit, etiam certo determinari non poteſt, an Anianus Cyclum ſuum Paſchalem edidit ante, an vero poſt editum a Theophilo Alexandrino Laterculum Paſchalem centum annorum, & Cyclum CCCCXVIII annorum.

Hoc tamen notandum, quod, ſi ſtatuatur, Anianum Cyclum ſuum Paſchalem edidiſſe ante editum á Theophilo Laterculum centum annorum, tum agnoſcendum ſit, Anianum viginti annis & ultra ante editam a Panodoro Chronographiam, ſuam Chronographiam edidiſſe.

XIV.

Cyclus Paschalis Aniani adhuc exstabat tempore Syncelli.

Non tantum Chronographia Aniani, sed & ipse Cyclus ejus Paschalis 532 annorum, adhuc exstabat tempore Syncelli.

Syncellus enim, postquam locutus erat de τῷ ὑπ᾽ αὐτοῦ συστάντι Πασχαλίῳ τῶν φλβʹ ἐτῶν, μετά τινων σχολαστικῶν ἐπιστασιῶν, hæc subjungit p. 25. B. οὗτινος Πασχαλίου φιλαληθεστάτην ἔκδοσιν εὑρήσει ὁ φιλομαθὴς ἐν τῷδε τῷ πονήματι κατὰ τὸν δέοντα τόπον, hoc est: *Cujus* (Cycli magni) *Paschalis sinceram editionem inveniet studiosus lector in hoc ipso Opere loco debito.*

XV.

Cyclo Paschali Aniani æquivalens erat Cyclus Paschalis Syncelli.

Hoc Syncellus, loco citato, p. 35. B. testatur, *Cujus* (Cycli magni) *Paschalis* (Aniani) *sinceram editionem inveniet studiosus Lector in hoc ipso Opere loco debito*, μετὰ καὶ τοῦ παρ᾽ ἡμῶν πονηθέντος ΙΣΟΔΥΝΑΜΟΥ ΑΥΤΟῦ, hoc est, *una cum illo a nobis elaborato, isti æquivalente.* Confer Syncellum p. 315. D.

XVI.

An Cyclus Paschalis Aniani fuerit Cyclus Paschalis per 532 annos expansus.

Quæritur hic an Cyclus Paschalis Aniani fuerit Cyclus per 532 annos expansus, exhibens ad singulos annos ipsa Paschata, una cum aliis characteribus Paschalibus, quemadmodum id in Cyclo magno Victorii, a Bucherio edito, & in Cyclis Bedæ videre licet.

De eo dubitavi in observationibus nostris ad Syncellum, §o 21, neque id mihi tunc temporis persuadere poteram.

Sed nunc, postquam loca Syncelli, de Aniani Cyclo Paschali agentia, accu-

accuratius consideravi, de eo non dubito, sed persuasus sum Cyclum Aniani Paschalem fuisse Cyclum per 532 annos expansum.

1° Cyclus Aniani vocatur a Syncello Πασχάλιον p. 35. A. & Κύκλος Πασχάλιος, p. 315. D. quæ denominatio naturaliter indicat talem Cyclum, in quo ipsa Paschata exhibentur.

2° Cyclus Aniani expresse vocatur a Syncello Πασχάλιον τῶν φλβ ἐτῶν p. 35. A. & Κύκλος Πασχάλιος φλβʹʹ ἐτῶν. p. 315. D. quæ appellatio naturaliter indicat Cyclum Paschalem per 532 annos expansum.

3° Ipse Anianus, apud Syncellum p. 36 dicit, Hallucinationem Eusebii redargui ἐκ τοῦ ἀνακυκλευτικοῦ χρόνου τοῦ Πάσχα, ἤτοι ἐκ τοῦ ἡλιακοῦ Κύκλου τῶν φλβʹʹ ἐτῶν. Ubi Cyclum Paschalem, qualem ipse ediderat, 1° vocat τὸν ἀνακυκλευτικὸν χρόνον τοῦ Πάσχα, quia continebat spatium temporis, quo, non tantum Lunæ XIVæ, sed etiam ipsa Paschata seu ipsæ Dominicæ Paschales in orbem redibant; 2° explicationis gratia vocat τὸν ἡλιακὸν κύκλον τῶν φλβʹʹ ἐτῶν, quia in illa Periodo ad Cyclum Lunæ decemnovalem, accedit Cyclus Solis viginti octo-annalis, qui Cyclum Lunæ vigesies & octies repetere jubet, quique toties repetitus, annos 532 conficit. Vel, quia ille Cyclus dies Solis, quo Sol justitiæ resurrexit, & Pascha Christianum celebratur, hoc est, *Dominicas dies Paschales*, spatio 532 annorum, in orbem ducit.

4° Syncellus tribuit Aniano σύστασιν τοῦ Πασχαλίου τῶν φλβʹʹ ἐτῶν μετά τινων σχολαστικῶν ἐπιστασιῶν, hoc est, *compositionem*, vel *constructionem Paschalis* (Cycli) 532 *annorum cum quibusdam animadversionibus in modum Scholiorum*. p. 35. A. & σύνταξιν Κύκλου . . . Πασχαλίου φλβʹʹ ἐτῶν ἅμα σχολίοις ἀκριβέσι, hoc est, *compositionem*, vel, *concinnationem*, vel *ordinationem Cycli Paschalis* 532 *annorum*, *cum Scholiis accuratis*. p. 315. D. Quibus verbis, meo judicio, clare indicatur, quod Anianus composuerit, construxerit, & concinnaverit Cyclum Paschalem per 532 annos expansum, exhibens ad singulos annos ipsa Paschata, seu ipsas Dominicas Paschales, his annis congruas. Quid enim aliud est construere Cyclum Paschalem 532 annorum.

5° Syncellus, quod adhuc magis stringit, tribuit, loco citato, p. 315. D. Aniano σύνταξιν Κύκλου ιαʹʹ Πασχαλίου φλβʹʹ ἐτῶν, hoc est, *compositionem*, vel, *concinnationem Cycli XImi Paschalis*, 532 *annorum*. Quomodo enim, quæso, concinnare potuit Periodum XIam Paschalem, 532 annorum, nisi exhibendo Paschata per 532 annos, & ducendo initium a Mundi anno 5321°, postquam in Æra ejus Mundana elapsi jam essent anni 5320, quod est spatium decem Periodorum. Confer ante dicta, §° 9–12.

 6° Ipsa

6° Ipsa methodus Paschalis, qua utitur Anianus, ad inveniendam in Mundi anno dato Lunam XIV^{am} & Dominicam Paschalem, hoc quàm clarissime ostendit. Hæc Aniani methodus continetur in illis ipsius Aniani verbis, quæ Syncellus adducit p. 36. A. B. quæque supra §° 8, descripsimus. Illa autem methodus jubet annum Mundi datum, exempli gratia, 5816^{um} partiri per 532, & numerum annorum, qui ex hac divisione reliquus est, quique est 496, & exprimit quotus Periodi labentis sit Mundi annus 5816^{us}, introducere vel inferre in τὸν τοῦ Πάσχα τόμον, hoc est, in illam Operis sui partem vel Sectionem, in qua ea, quæ Pascha spectabant, reperiebantur, & Cyclus Paschalis, 532 annorum, descriptus erat; & dicit eum, qui hoc facit, inventurum Lunam XIV^{am} in die Phamenoth 29°, Martii 25°, & Dominicam Paschalem in die Pharmuthi 3°, Martii 29°. Ex hac methodo, inquam, quam clarissime patet, Cyclum Paschalem Aniani fuisse Cyclum per 532 annos expansum. Nam si invento per divisionem annorum Mundi per 532, anno Periodi labentis, nihil aliud agendum est, quam illum Periodi annum quærere in Paschali Canone vel Tabulâ, & observare, quænam Luna XIV^{a} & quænam porro Dominica Paschalis ad illum Periodi annum adnotata sit, tum sequitur illum Canonem, & Cyclum Paschalem expandi per 532 annos. Confer supra §° 8. Quod autem illa phraseologia seu loquendi formula, ταῦτα (τὰ λοιπὰ ἔτη) εἰσαγαγόντες, vel, εἰσενέγκαντες εἰς τὸν τοῦ Πάσχα τόμον εὑρίσκομεν &c. idem valeat, ac, *si illum numerum annorum, qui ex hac divisione reliqui sunt, quæramus in Cyclo, Canone, vel Tabula Paschali, inveniemus ad illum annum Periodi adnotatum, adscriptum esse*, &c. hoc patet, quia etiam alibi hæc vel similis locutio eo sensu occurrit; vide Ptolemæum, in magna constructione, L. 6. C. 9. p. 156 lin 6, & 9. edit. Gr. & Theonem Alexandrin., in fragmento a Dodwello edito, §° 3 & 5.

X V I I.

De Contentis hujus Cycli Paschalis, 532 *annorum, ab Aniano compositi.*

Hic Cyclus Aniani Paschalis, 532 annorum, continebat quatuor ad minimum columnas, & habebat (ut Computistæ loquuntur) quatuor Titulos Paschales.

1^{a} Colum-

1ª Columna exhibebat annos a Mundo Condito, ab anno M. 5321°, initium ducentes, cum hoc Titulo Κόσμου ἔτη. Compoſuit enim Cyclum XIum Paſchalem 532 annorum. Vide ſupra §° 11.

2ª Columna continebat annos Periodi, ab 1—532 progredientes, cum hoc Titulo, Περιόδου ἔτη. Nam methodus ejus jubet annum Mundi datum partiri per 532, & cum numero, qui ex hac diviſione reliquus eſt, & annum Periodi labentis exprimit, ingredi Cyclum, Canonem, vel Tabulam Paſchalem. Vide ſupra §° 8 & 16.

3ª Columna exhibebat Lunas XIVas Paſchales, cum hoc Titulo Ιδ″ τῆς σελήνης. Nam ejus methodus dicit, eum, qui cum numero reliquo, ſive anno Periodi labentis ingreditur Paſchalem Tabulam, invenire adnotatam ad illum annum τὴν ιδ″ τῆς σελήνης. Vide ſupra §° 8. & 16.

4ª Columna continebat Dominicas Paſchales, cum hoc Titulo Κυριακὴ τοῦ Πάσχα. Nam eadem methodus dicit eum, qui cum anno Periodi labentis Paſchalem Tabulam ingreditur, invenire adnotatam ad illum annum, præter Lunam XIVam, τὴν ἀναστάσιμον ἡμέραν τὴν κυριακήν. Vide ſupra §° 8 & 16.

An plures Columnas & Titulos Paſchales habuerit, non determino.

XVIII.

Cyclus Aniani Paſchalis, proleptice conſideratus, inibat Mundi anno 1°.

Cyclus Aniani Paſchalis ejus Æræ Mundanæ innexus erat, & quidem ita innexus, ut, ſi proleptice conſideretur, inierit a Mundi anno 1°, hoc eſt, ut primæ Periodi, 532 annorum, primus annus fuerit quoque primus Æræ ejus Mundanæ annus.

Syncellus enim p. 315. D. dicit, *eum compoſuiſſe Cyclum XIum Paſchalem, 532 annorum.* Adeoque decem in ejus Æra Mundana Periodi elapſæ erant, antequam Cyclus Paſchalis 532 annorum, ab eo compoſitus, iniret.

Anianus ipſe, teſte Syncello p. 36. A. carpit Euſebium, quod in ſumma annorum, quam in Chronico ſuo colligit ab Adam uſque ad vicennalia Conſtantini, annis 290 aberraverat, quia tantum annos 5526 colligit, cum, judice Aniano, debuiſſet colligere annos 5816, quot annos ipſe Anianus in ſua Chronographia colligebat: hoc probat, primo

ἐκ τοῦ ἀνακυκλευτικοῦ χρόνου τοῦ Πάσχα, ἤτοι ἐκ τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου τῶν φλβ″ ἐτῶν; quia nempe anni ab Adam ad Vicennalia Constantini ab Eusebio collecti 5526, si dividantur per 532, relinquunt annum Periodi XIæ labentis 206um, quo non vera, sed a vicennalibus Constantini aliena Luna XIVa & Dominica Paschalis proditur; cum contra anni, ab Aniano in sua Chronographia collecti, 5816, si dividantur per 532, relinquant annum XIæ Periodi labentis 496um, quo vera proditur Luna XIVa in die Phamenoth 29°, Martii 25°; & vera Dominica Paschalis in die Pharmuthi 3°, Martii 29°, quæ illi anno, quo vicennalia Constantini celebrata erant, revera conveniebat. Hoc Aniani ratiocinium non tantum ostendit Æram suam Mundanam ita esse comparatam, ut annus Mundi labens, si per 532 dividatur, relinquat annum Periodi labentis, & per consequens prodat annum Cycli Lunæ & Solis labentis; sed, quod mireris, etiam supponit rem ita esse debere, & propterea Æram Eusebii Mundanam, quæ ita comparata non erat, erroneam esse, & quidem præcise tot annis aberrare, quot illi deficiebant ad numerum annorum quem Anianus in vicennalibus Constantini (in quibus Eusebii Chronicon terminabatur) colligebat, complendum. Ita scilicet hypothesis illa de Cyclorum, ab Alexandrinis receptorum, Lunæ & Solis, & quæ inde oritur, Periodi, 532 annorum, perfectione, etiam retrograda usque ad Mundi natales, Aniani animum obsidebat, & obfuscaverat. Quicquid sit, hoc saltem ex illo Aniani ratiocinio, & ex illa ejus methodo ad deprehendendum Periodi labentis annum, & congruam illi anno Lunam XIVam & Dominicam Paschalem, in Canone adnotatam, quam clarissime patet, Cyclum Aniani Paschalem, proleptice consideratum, prima vice, inire Æræ ejus Mundanæ anno 1°.

XIX.

De Aniani Cyclo Lunæ decemnovali.

Cyclus Lunæ Aniani primus inibat Periodi ejus anno 1°. Periodus enim 532 annorum, ex viginti octo Cyclis Lunæ decemnovalibus conflatur.

Cycli Lunæ Aniani annus primus habet Neomeniam Paschalem Martii die 23°, & Lunam XIVam Paschalem Aprilis die 5°.

Hoc probatur ex verbis Aniani quæ Syncellus adducit p. 36. A. B.

Si annos, inquit, 5816 *partimur per* 532, *invenimus Periodos decem*, *& reliquos* 496 *annos. Hos inferentes* εἰς τ̃ τ̃ Πάσχα τόμον, *invenimus consonam* (Lunam) *XIV^am* (in die) *Phamenoth* 29°, *quod est Martii* 25°, *Dominicam vero* (Paschalem) *Pharmuthi* (die) *tertio*, *hoc est Martii* 29°. Est itaque Æræ Aniani Mundanæ annus 5816^us Periodi ejus XI^æ annus 496^us. Periodi autem annus 496^us est Cycli Lunæ labentis annus 2^us. Si autem Cycli Lunæ annus 2^us habet Lunam XIV^am Paschalem, Martii 25°, sequitur Cycli Lunæ annum 1^um habuisse Lunam XIV^am Paschalem Aprilis die 5°, & proinde Neomeniam Paschalem, Martii die 23°.

Idem probari posset ex iis, quæ Syncellus de Aniano testatur p. 35. A. B. si conferantur cum iis, quæ Syncellus dicit p. 325. D. Vide Observationes nostras ad Syncellum, §° 8. 22.

Imprimis, si ponamus, quod admodum probabile est, Anianum in eadem cum Theophilo Alexandrino fuisse sententia, quod Christus resurrexerit Luna XVII^a. Vide quæ supra §° 12 notavimus.

Nam si Christus juxta Anianum resurrexit Æræ ejus Mundanæ anno 5534°, qui est XI^æ Periodi annus 214^us, & Cycli Lunæ annus 5^us, in Martii die 25°, Phamenoth 29°, Luna XVII^a sequitur Lunam XIV^am Paschalem illo anno Mundi 5534°, XI^æ Periodi 214°, Cycli Lunæ 5° cadere in Martii diem 22^um, Feria V^a. & per consequens Cycli Lunæ annum 1^um habere Lunam XIV^am Paschalem April. 5°, & Neomeniam Paschalem Mart. 23°.

Convenit itaque Cyclus Lunæ Aniani cum Cyclo Lunæ Theophili, Cyrilli, Dionysii, Heraclii, Maximi & aliorum.

X X.

Pascha illud Aniani, quod anno Æræ ejus Mundanæ 5816°, *cadit in Martii* 29^um, *Luna XVIII^a Cycli Lunæ anno* 2°, *incurrit in Æræ Christi Vulg. annum* 324^um, *qui habet Lit. Dom. E D.*

Pascha illud habet hos characteres:

1° Ab Adam usque ad Vicennalia Constantini colliguntur ab Aniano anni 5816.

2° Ille Mundi annus 5816^us est XI^æ Periodi, 532 annorum, ab Aniano

niano constructæ, annus 496^{us}, & per consequens etiam Cycli Lunæ Aniani annus 2^{us}, habens Lunam XIV^{am} Martii 25°, hoc est, VIII Kal. Apr. & Dominicam Paschalem Martii 29°, hoc est, IV Kal. Apr. Lunâ XVIII^{a}. Vide supra §° 19.

3° Cyclus Lunæ Aniani convenit cum Cyclo Lunæ Alexandrinorum & Dionysii. Vide supra §° 19, & inspice Cyclos Lunæ Dionysii, a Beda continuatos.

4° Quia Dominica Paschalis cadit in Martii diem 29^{um}, & in Kalendario Juliano cum literis Dominicalibus, exempli gratia, Beveregii, ad diem Martii 29^{um} adscribitur litera D, sequitur illum annum Æræ Christi Vulg., in quem hoc Pascha incidit, habere in Martio literam Dominicalem D.

Quærendus itaque talis in Periodo Juliana, sive in Æra Christi Vulg. annus, qui habet Cycli Lunæ annum 2^{um}, & in Martio lit. Dom. D.

Talis autem annus, habens duos hos characteres simul, spatio 532 annorum, quater tantum occurrit: quod quisque percurrendo Periodum 532 annorum, quæ Dionysiana dicitur, & ab anno ante Christum natum 1° init, & in anno post Christum natum 531° terminatur, experiri potest: & præterea ex eo patet, quod in Cyclo Solis, seu literarum Dominicalium, qui Periodo Julianæ innexus est, litera D, ut Dominicalis in Martio, quater tantum occurrit, nempe illius Cycli anno 3°, 14°, 20°, & 25°. & unusquisque Cycli Lunæ annus unamquamque ex septem literis Dominicalibus, quater tantum ut Dominicalem in Martio habere potest.

Anni autem Æræ Christi Vulg., in quibus duo hi characteres concurrunt, sunt sequentes:

Æræ Vulg. Christi annus	Cycli Lunæ annus	Cycli Solis annus	in Martio litera Dom.
39	2	20	D
134	2	3	D
229	2	14	D
324	2	25	D
571	2	20	D

Ex his annis solus annus Æræ Christi Vulg. 324. in considerationem venire

venire poteſt, quia reliqui omnes nimis longe a Vicennalibus Conſtantini abſunt, quam ut ullo modo in conſiderationem venire poſſint.

Annus autem Chriſti Æræ Vulgaris 324us, ut & Cycli Solis, qui Periodo Julianæ innexus eſt, annus 25us ſunt Biſſextiles, & habent literam Dominicalem ED.

XXI.

De Aniani Cyclo Solis viginti-octo-annali.

Cyclus Solis Aniani primus inibat Periodi ejus anno 10. Periodus enim 532 annorum, ex novendecim Cyclis Solis viginti-octo-annalibus conflatur.

Cycli Solis Aniani annus primus habet concurrentem cum Martii die 24° Feriam VIIam, & literam Dom. G, poſt BA. hoc eſt, concurrit cum tali anno Periodi Julianæ, qui habet lit. Dom. G, & ab anno Biſſextili primus eſt, & in quo Feria VII concurrit cum Martii die 24°.

Hoc probatur ex iis, quæ ſupra, §° 20, oſtendimus.

Nam Æræ Mundanæ Aniani annus 5816us, quia eſt XIa Periodi, ab eo conſtructæ, annus 496us, eſt quoque Cycli Solis illi Periodo innexi annus 20us, adeoque ille annus Cycli Solis 20us concurrit cum anno Æræ Chriſti Vulg. 324°, qui habet lit. Dom. ED. & per conſequens annus illius Cycli Solis 1us concurrit cum anno Æræ Chriſti Vulg. 305°, qui habet lit. Dom. G, & ab anno Biſſextili primus eſt, quique habet Feriam VIIam concurrentem cum Martii die 24°.

Confer Obſervationes noſtras ad Syncellum §° 23.

Confer quoque, quæ infra §° 22—25 dicentur.

Convenit itaque Cyclus Solis Aniani cum Cyclo Solis Pauli Alexandrini, Theophili, Heraclii, & aliorum.

Vide Schema Cycli Solis Pauli Alexandrini, in Diſſertatione noſtrâ de ejus Computo Solari §° 19, 20.

XXII.

Æræ Aniani Mundanæ annus 1us concurrit cum Periodi Julianæ prolepticæ anno 7202°.

Hoc quam clariſſime patet ex iis quæ demonſtravimus §° 20.

Observa solummodo Æræ Christi Vulg. annum 324^{um} esse Periodi Julianæ annum 5037^{um}.

	Per. Jul. Prolepticæ annus	Æræ Mundi Aniani annus	Æræ Vulg. Christi annus
	7202^{us}	1^{us}	
adde	5815	5815	
	13017		
Integra Per. Jul.	7980		
Per. Jul. annus	5037^{us}	5816^{us}	324^{us}

Adeoque Æræ Mundi annus 1^{us}, juxta Anianum, concurrit cum Periodi Julianæ prolepticæ anno 7202$_{o}$.

XXIII.

De initio singulorum annorum in Aniani Æra Mundana.

Admodum probabile est Anianum, utpote Monachum Ægyptium, in sua Chronographia usum esse anno solari Alexandrinorum fixo, qui sua ætate Ægyptiis in Civili usu erat: adeoque annos Æræ ejus Mundanæ initium sumere a mense Thoth.

Huic sententiæ obstare videtur quod Syncellus dicit p. 35. A. Anianum in Chronographia *indicare divinam incarnationem* (contigisse) *anno Mundi* 5500° *completo & ineunte* 5501°. Et in Πασχαλίῳ ὑπ' αὐτοῦ συστάντι, *perspicue ostendisse diem Martii* 25^{um}, *quo Christus resurrexerit*, *anno Mundi* 5534° *ineunte incidere illo vivifico primi* Κυριακοῦ *Paschatis die*.

Nam inde concluderes primo intuitu, Anianum æque ac Syncellum annos Æræ Mundanæ ordiri a Martii die 25°.

Sed notandum Syncellum hic loqui ex sua hypothesi de initio anni. Syncellus enim annos Æræ suæ Mundanæ orditur a Martii die 25°.

Quem in finem observandum, quod Syncellus non dicat, Anianum hoc *dicere*, sed hoc *indicare*, & hoc *perspicue ostendere*.

Pone enim Anianum usum esse anno Alexandrinorum civili, qui a mense Thoth init, eumque *dixisse* Christi incarnationem sive conceptionem

nem anno Æræ suæ Mundanæ 5501° labente, mensis Phamenoth die 29° (qui est Martii 25us) contigisse, quo die Martii 25° Syncelli annus Mundi 5501us initium sumebat: tum potuit Syncellus ex sua illa hypothesi dicere, Anianum *indicare* divinam incarnationem contigisse anno Mundi 5500° completo ex sua hypothesi in Martii die 24°, & *ineunte* ex sua hypothesi in Martii die 25° anno Mundi 5501°. Confer infra §um 29.

XXIV.

Æræ Aniani Mundanæ annus 1us *init Periodi Julianæ prolepticæ anno* 7201° *labente.*

Hoc ex iis, quæ supra §° 22 & 23 dicta sunt, per se patet.

Nam si admittatur annos Aniani Mundanos initium ducere, more Ægyptiorum, a mense Thoth, & si Æræ Aniani Mundanæ 1us concurrat a sequenti Januario cum Periodi Julianæ prolepticæ anno 7202°. Sequitur ejus Æræ Mundanæ annum 1um inire labente Periodi Julianæ prolepticæ anno 7201°.

Adeoque

labente Per. Jul. Prolepticæ anno	init Æræ Mundi Aniani annus	& concurrit cum Per. Jul. Prolepticæ anno
7201°. B A.	1us Aug. 29°.	7202°. G.

XXV.

Characteres Lunares & Solares, quos habet Æræ Aniani Mundanæ annus 1us *iniens a mense Thoth.*

Annus juxta Anianum Mundi 1us, & simul Periodi ejus, 532 annorum, 1us, nec non Cycli tam Lunæ, quam Solis 1us, posito quod ineat, more Ægyptiorum, a mensis Thoth die 1°, habet hos characteres Lunares, & Solares.

1° Annus M. 1^{us} habet in menſis Thoth die 1° Lunam II^{dam}. Quia habet, utpote Cycli Lunæ 1^{us}, in ſequenti menſe Phamenoth, die 27° (Martii 23°) Neomeniam Paſchalem; & in menſis Pharmuthi die 10° (Apr. 5°) Lunam XIV^{am} Paſchalem. Vide ſupra §° 19.

2° Annus M. 1^{us} habet in menſis Thoth die 1° (Aug. 29°) Feriam *tertiam*, ſive diem *Martis*. Quia init in tali Periodi Julianæ anno, qui habet lit. Dom. B A. ut ſupra, §° 24, vidimus: & quia concurrit cum tali Per. Jul. anno, qui habet lit. Dom. G. poſt B A. & in Martii die 24° (Phamenoth 28°) Feriam VII^{am}, ut ſupra §° 24, 22, 21, vidimus.

Eſtque hic annus M. 1^{us} iniens a menſis Thoth die 1° (Aug. 29°) *ſecundus* ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto. Quod ex conſtitutione anni Ægyptiaci, & ſitu diei intercalaris in illo anno clarum eſt. Quia enim annus M. 1^{us} in tali Per. Jul. anno, qui Biſſextilis eſt, & habet lit. Dom. B A. initium ſumit ab Auguſti die 29°, ſequitur annum, qui annum M. 1^{um} immediate præcedit, initium ſumpſiſſe ab Auguſti die 30°; adeoque illum annum qui hunc præceſſerat, habuiſſe in ſui fine ſextam Epagomenam in die Auguſti 29° & proinde fuiſſe intercalarem, dierum 366. Dies enim intercalaris in fine anni Ægyptiaci adjicitur, & ſemper occupat Auguſti diem 29^{um}, immediate ante menſis Thoth diem 1^{um} qui tunc in Auguſti diem 30^{um} protruditur, adeoque annus Ægyptiacus cujus Thoth incurrit in diem Aug. 30^{um}, licet Biſſextilis ſeu Intercalaris appelletur, & ut Biſſextilis ſeu intercalaris ſignetur, non tamen revera intercalaris eſt, hoc eſt, non eſt annus dierum 366, ſed 365; ſed qui hunc præcedit eſt annus revera intercalaris, dierum 366. & per conſequens annus Ægyptiacus, cujus Thoth incurrit in Auguſti diem 30^{um}, eſt *primus*, &, qui hunc ſequitur, eſt *ſecundus* ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto.

XXVI.

De Mundi Die Natali juxta Anianum.

Aniani Æra Mundi hoc permittit, ut Mundi dies natalis figatur in menſis Phamenoth die 29°, Martii 25°. Nam labente anno Mundi, juxta Anianum 1°, cadit Martii dies 25^{us} in Dominicam.

Videtur etiam Syncellus p. 35. A. tale quid de Aniano innuere, ſed ita obſcure, ut hac in re nihil auſim determinare.

Quic-

Quicquid ſit, ſi Anianus ſtatuerit Mundum creatum tempore vernali, de quo tamen mihi nihil certi conſtat, tum annus Æræ Aniani Mundanæ 1us proleptice init a menſe Thoth, qui natales Mundi præcedit.

XXVII.

De reſurrectionis Chriſti anno & die, & de primo Paſchate Chriſtiano.

Anianus ſtatuit Chriſtum reſurrexiſſe menſis Phamenoth 29°, qui eſt Martii 25us, anno Æræ ſuæ Mundanæ 5534°, *labente*, ut mihi videtur, ſed ex hypotheſi Syncelli, ab illo die Martii 25° *ineunte*;

Et præterea ſtatuit in illum diem menſis Phamenoth 29um, Martii 25um, cadere primum Paſcha Chriſtianum, quod in die Dominicâ in memoriam Domini, qui eo die Septimanæ reſurrexit, celebratur, & propterea Κυριακὸν Πάσχα vocatur.

Ita enim Syncellus ſcribit p. 35. A. loquens de Chronographia ab Aniano edita, ἐν ᾗ . . . ἀποδείκνυσι . . τὴν ἁγίαν καὶ ὁλόφωτον ἡμέραν τῆς ἀναστάσεως κε΄ οὖσαν παρὰ Ῥωμαίοις Μαρτίου μηνὸς, οὖσαν δὲ παρ᾽ Αἰγυπτίοις Φαμενὼθ κθ΄. ἣν καὶ πρωτόκτιστον ἡμέραν ἐν τῷ ὑπ᾽ αὐτοῦ συστάντι Πασχαλίῳ τῶν φλβ΄ ἐτῶν, μετά τινων σχολαστικῶν ἐπιστασιῶν, διεσάφησε τῷ εφλδ΄ ἔτει τοῦ κόσμου ἀρξαμένῳ κατὰ τὴν αὐτὴν τὴν ζωοποιὸν τοῦ πρώτου Κυριακοῦ Πάσχα ἡμέραν. hoc eſt, *in qua* (Chronographia) *demonſtrat „ oſtendit „ repræſentat „ indicat ſanctum & undiquaque lucidum diem reſurrectionis 25° apud Romanos Martii menſis, apud Ægyptios vero Phamenoth 29° contigiſſe. Quem & primocreatum diem* (hoc eſt, quem diem, Martii ſcilicet 25um, qui etiam primus Mundi Conditi dies eſt) *in* (*Cyclo*) *Paſchali, 532 annorum, ab ipſo compoſito, cum quibuſdam animadverſionibus, annotationibus ad modum Scholiorum, perſpicue oſtendit 5534° anno Mundi ineunte, in illo ipſo vivifico primi Dominici Paſchatis die cadere.*

Annus Mundi juxta Anianum 5534us eſt XIæ Periodi, 532 annorum, annus 214us, & Cycli Lunæ annus 5us, Cycli Solis autem annus 18us.

Cycli Lunæ annus 5us juxta Anianum, habet Lunam XIVam Paſchalem Martii 22°. Vide ſupra §° 19.

Cycli Solis annus 18us juxta Anianum, habet concurrentem cum die Martii 24° Feriam VIIam. Vide ſupra §° 21. Adeoque prodit in Martii die 22° Feriam Vam ſeu diem Jovis, & in Martii die 25° Feriam Iam, ſeu ipſam Dominicam Paſchalem, Luna XVIIa.

XXVIII.

Quando Christus Pascha cum discipulis suis comederit, & qua Luna crucifixus sit & resurrexerit.

Aniani ſententia hac de re patet ex iis, quæ ſupra §° 27 dicta ſunt.

Chriſtus, juxta Anianum, juſto tempore Paſcha cum diſcipulis comedit Luna XIVª, die Jovis ad veſperam.

Crucifixus & mortuus eſt Luna XVª, die Veneris.

Reſurrexit autem e mortuis Luna XVIIª, die Dominica.

Confer ſupra §um 12.

XXIX.

De Incarnationis Christi anno & die.

Per incarnationem hic intelligimus conceptionem, non autem nativitatem Chriſti.

Quid Anianus de anno & die incarnationis Chriſti ſenſerit petendum, ex unico apud Syncellum loco, qui occurrit p. 35. A, ubi de Chronographia ab Aniano edita hæc habet: *Sciendum eſt,* (inquit) *Aniani quidem editionem* (hoc eſt, Chronographiam ab eo editam) *compendioſiorem & accuratiorem, Apoſtolicæque & Patrum traditioni convenientem (eſſe)* ἐν ᾗ τὴν θείαν σάρκωσιν τῷ εφ" πληρουμένῳ καὶ ἀρξαμένῳ τῷ εφα" ἀποδείκνυσιν, hoc eſt, *in qua divinam incarnationem (anno)* 5500° *completo & ineunte* 5501° *contigiſſe demonſtrat „ oſtendit „ repræſentat „ indicat.*

Notandum annos Æræ Syncelli Mundanæ initium ſumere a menſis Martii die 25°, & Syncellum ſtatuere θείαν σάρκωσιν, hoc eſt, conceptionem Chriſti contigiſſe anno M. 5500° completo, & ineunte 5501°, in die hujus anni 1°, Martii 25°, Periodi, 532 annorum, anno 181° ineunte: ut videre licet p. 315, tota. Vide quoque Obſervationes noſtras ad Syncellum §° 11, 12.

Quæri itaque poteſt, an Syncellus, quando dicit, *Anianum* in ſua Chronographia *divinam incarnationem anno* 5500° *completo & ineunte* 5501° *contigiſſe* ἀποδεικνύειν, loquatur de *anno ineunte* ex propria hypotheſi, an vero ex ipſius Aniani computo.

Mihi, ſi non certum, admodum tamen probabile videtur, Syncellum

hic

hic loqui de *anno ineunte* ex propria hypothesi, non autem ex ipsius Aniani computo. Vide supra §° 23.

Hoc autem mihi ita videtur ob has rationes:

1° Quia hoc Syncello privum est, annos Mundi in ejus Chronographia initium ducere a Martii die 25°. Unde p. 6. D. Lectores suos expresse monet, *initium uniuscujusque anni* in hoc Chronico *esse primum diem mensis Nisan*, (qui ipsi est Martii 25us) *& non secundum Ægyptios primum diem mensis Thoth, aut secundum Romanos primum diem Januarii mensis, aut alius cujuscunque gentis aliunde* (annum) *incipientis*.

2° Quia in designando tempore, quo incarnatio, hoc est, conceptio Christi contigit, hæc formula loquendi, anno 5500° *completo & ineunte* 5501°, Syncello familiaris est, eâque uti amat. Vide p. 312. A. p. 315. B. & p. 316. B.

3° Quia ipsa illa locutio alias per se satis singularis, & superflue accurata videtur, in qua tempus designatur a duplici anno, uno completo altero ineunte, cum dicere aliquid contigisse hoc vel illo anno ineunte, tempus satis determinet.

4° Quia, ut supra, §° 23 jam monui, probabile est, Anianum, utpote monachum Ægyptium, in sua Chronographia usum esse anno, qui suis Ægyptiis tunc in civili usu receptus erat & a mense Thoth inibat, & contrarium non videtur admittendum esse, nisi ob prægnantes rationes.

5° Quia, ut ibidem jam ostendi, ex eo, quod Syncellus dicit, Anianum in sua Chronographia hoc ἀποδεικνύειν, non sequitur Anianum, æque ac Syncellum, in sua Chronographia annos Mundi ordiri a mensis Martii die 25°. Nam, qui, utens anno Ægyptio a mense Thoth ineunte, ἀποδεικνύς incarnationem contigisse anno Mundi 5501° labente, in mensis Phamenoth die 29°, eo ipso ἀποδεικνύς incarnationem contigisse anno Mundi 5501° ineunte juxta computum alterius, qui annos suos inire facit a Martii die 25°; quia dies Phamenoth 29us anni 5501mi *labentis* in Computo unius, exacte concurrit cum die Martii 25° anni 5501mi *ineuntis* in computo alterius. Aliud enim est, hoc ΑΠΟΔΕΙΚΝΥΕΙΝ, *demonstrare*, *ostendere*, *indicare*; aliud, hoc expressis verbis *dicere*.

Syncellus itaque in illo, de quo agimus, loco, nos docet, quid Anianus senserit de anno & die incarnationis, hoc est, conceptionis Christi.

A. Quod *annum* attinet, ex illo Syncelli loco concludimus,

א. Anianum in Chronographia sua collegisse & numerasse annos 5500 completos & elapsos ante incarnationem Christi.

ב. Ania-

ב. Anianum in ſua Chronographia incarnationem Chriſti illigaſſe anno Æræ ſuæ Mundanæ 5501°.

B. Quod *diem* attinet, ex eodem loco concludimus,

Anianum ſtatuere in ſua Chronographia, incarnationem, hoc eſt, conceptionem Chriſti contigiſſe in menſis Phamenoth die 29°, qui eſt Martii dies 25us.

Rationes hujus meæ concluſionis hæ ſunt:

a. Quia alias Anianus non poteſt dici in ſua Chronographia ἀποδεικνύειν *divinam incarnationem contigiſſe anno Mundi* (juxta hypotheſin & computum Syncelli) 5500° *completo & ineunte* 5501°, & quidem a Martii die 25°. Hoc enim requirit, & præſupponit Anianum ſtatuiſſe, quod Chriſtus conceptus ſit anno M. juxta computum ſuum a menſe Thoth labente, 5501°, in menſis Phamenoth die 29°, qui eſt Martii 25us. Anni enim Æræ Mundanæ Aniani aliquot menſibus prævertunt annos Æræ Mundanæ Syncelli.

b. Quia alias Syncellus Chronographiam Aniani non laudaſſet, *ut Apoſtolicæ & Patrum traditioni conſonantem*, ut hoc ipſo loco facit: præſertim cum paulo poſt, Panodori Chronographiam carpat ut λειπομένην ἔτεσι ζʹ τῶν εφʹ ἐτῶν τῆς ἀῤῥήτου ἐνανθρωπήσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ . . . ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τὸ γενέθλιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἔτος οὐκ ὑγιῶς ἔχουσαν. Confer Sync. p. 326. D. Hoc enim Syncellus putabat eſſe *Apoſtolicæ & patrum traditioni conſonum*, ſtatuere Chriſti incarnationem contigiſſe poſt annos a Mundo condito 5500 elapſos, anno Mundi 5501°, & quidem Martii die 25°. Unde de Africano dicit p. 326. A. ὁ μὲν οὖν Ἀφρικανὸς ΣΥΜΦΩΝΩΣ ΤΗ ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟΣΕΙ τῷ εφʹ ἔτει (completo) τὴν θείαν Χρονολογήσας σάρκωσιν, &c. Et hoc oſtendere præcipuus quoque Chronographiæ Syncellianæ ſcopus erat, ut videre licet p. 2. B. p. 3. B. p. 312. A. Vide noſtras in Syncellum Obſervationes §° 11, 12.

c. Quia alias p. 315. D. non provocaſſet ad Anianum, ut ad Hippolytum, & Maximum, tanquam ſibi ὁμοψήφους, quorum traditiones ſecutus erat in ordinando tempore Incarnationis & Nativitatis Chriſti. Hippolytus enim ab Adam uſque ad Chriſtum colligebat annos 5500 elapſos; Maximus etiam totidem annos elapſos numerat, & ſtatuit Chriſtum incarnatum per conceptionem anno, juxta computum ſuum a Septembri labente, 5501° in die Martii 25°, Feria IIda, Cycli Solis anno 13° Lunæ 10°, adeoque Periodi 532 annorum, anno 181°. Et cum Maximo præciſe in omnibus his characteribus convenit Anianus, ſi id admittatur, quod ex illo Syncelli loco concludimus.

XXX. *De*

XXX.

De tempore vitæ Christi, quot annos scilicet & dies vixerit.

Hoc ex iis, quæ supra §° 27, 28 & 29, vidimus, per se patet.

Si tempus vitæ Christi computetur ab illo, quo incarnatus, hoc est conceptus est, die inclusive, usque ad diem, in quo crucifixus & mortuus est, inclusive; vixit annos 33, dempto uno die.

Nam conceptus est anno Mundi 5501° labente, in Martii die 25°, & crucifixus ac mortuus est anno M. 5534° labente, in Martii die 23°.

Sin vero tempus vitæ Christi computetur ab illo, quo natus est, die, inclusive (& dies ille natalis ponatur in die *Choiac* 29°, *Decemb.* 25°) usque ad diem mortis inclusive; vixit annos 32 & dies 89, sive vixit usque ad anni 33^tii^ diem 89^um^.

Nam a Martii die 25° usque ad Decembris diem 25^um^ exclusive sunt dies 275; qui ablati a 365 ÷ 1, hoc est a 364, relinquunt 89.

Quia autem Anianus conceptionem Christi confert in mensis Phamenoth diem 29 (Martii 25^um^) licet etiam ponere, quod Nativitatem Christi, post IX menses, conferat in mensis Choiac diem 29^um^ (Decembris 25^um^.) Vide Sync. p. 315. B.

Sed notandum hunc diem Choiac 29^um^, adeoque Nativitatem Christi, cadere in annum Æræ Aniani Mundanæ 5502^um^, labentem a præcedenti mense Thoth.

XXXI.

De Æra Incarnationis Christi juxta Anianum.

An Anianus in sua Chronographia, præter Æram Mundanam, etiam usus sit Æra incarnationis, & non tantum annos Mundi, sed etiam annos incarnationis adscripserit, mihi plane incompertum est, & vehementer de eo dubito.

Videtur tamen Anianus annum Æræ suæ Mundanæ 5501^um^, quo labente incarnatio in die Phamenoth 29° contigit, numerasse incarnationis annum 1^um^.

Quo posito sequitur Æram incarnationis juxta Anianum non a Nati-

vitate Christi, quæ labente Æræ ejus Mundanæ anno 5502°, in die Choiac 29° contigit, sed a conceptione Christi initium ducere.

Et præterea inde sequitur initium anni incarnationis 1^mi^ retrahi a mensis Phamenoth die 29°, quo Christus conceptus est, ad mensis Thoth diem 1^um^, a quo anni Ægyptii, &, juxta Anianum, etiam anni Mundi ineunt, alias enim anni Mundi non pari passu ambularent cum annis incarnationis.

XXXII.

De Æræ Incarnationis Christi juxta Anianum concursu cum Æra Christi Vulgari.

Hic concursus ex iis, quæ supra dicta sunt, per se patet: imprimis §° 20. 22. 24. 25. 27. 29. 31.

Si enim Æræ incarnationis Christi juxta Anianum, annus 1^us^ est Æræ M. juxta Anianum, 5501^us^; & Æræ Mundi juxta Anianum annus 1^us^, iniens a mense Thoth, in die Aug. 29°, concurrat a sequente Januario cum Periodi Julianæ prolepticæ anno 7202°: sequitur Æræ Mundi, juxta Anianum, annum 5501^um^ & per consequens etiam Æræ incarnationis, juxta Anianum, annum 1^um^ concurrere, a seq. Jan., cum Periodi Julianæ anno 4722°, & Æræ Vulgaris Christi anno 9°.

Adeoque

labente Periodi Julianæ anno		labente Æræ Vulg. Christi anno	ineunt——— Æræ M. Aniani annus &	Æræ Incarn. Aniani annus	& Concurrunt cum Periodi Julianæ anno		Æræ Vulg. Christi anno
4721°	A. G.	8°	5501^us^	1^us^	4722°	F.	9°
4754°	A.	41°	5534^us^	34^us^	4755°	G.	42°
5036°	F.	323°	5816^us^	316^us^	5037°	E.D.	324°

XXXIII.

Characteres Lunares & Solares juxta Anianum anni Mundi 5501^mi^, Incarnat. 1^mi^, quo Christus conceptus est in die Phamenoth 29°, Martii 25°.

Hi characteres ex supradictis eruuntur, & sunt sequentes

1° Annus

1° Annus Mundi 5501^us. & incarnationis 1^us est XI^a Periodi, 532 annorum, annus 181^us.

2° Idem annus est Cycli Lunæ annus 10^us, habens Lunam XIV^am Paschalem in die Pharmuthi 1°, Martii 27°.

3° Idem annus est Cycli Solis annus 13^us, habens concurrentem cum die Phamenoth 28°, Martii 24°, IX Kal. April., Feriam I^am. Adeoque in ipso die conceptionis Christi, Martii 25° Feriam II^dam. Estque hic annus Cycli Solis 13^us æque ac annus Mundi, Periodi, & Cycli Solis 1^us, iniens a mense Thoth, secundus ab anno intercalari (qui habuit sextam Epagomenam, & fuit dierum 366) proxime transacto. Vide supra §° 25. Et ille hujus anni dies Phamenoth 29^us, Martii 25^us, quo Christus conceptus est, cadit in talem Periodi Julianæ & Æræ Vulg. Christi annum, qui habet literam Dominicalem F, & primus est ab anno Bissextili proxime transacto, quique in Periodo Juliana est Periodi Julianæ 4722^us Cycli Solis 18^us, Lunæ 10^us, Indictionis 12^us, & Æræ Vulg. Christi 9^us annus.

XXXIV.

Characteres Lunares & Solares juxta Anianum anni Mundi 5534^ti, Incarn. 34^ti quo Christus resurrexit in die Phamenoth 29°, Martii 25°.

Hi characteres ex supra dictis, imprimis §° 27, eruuntur, & sunt sequentes:

1° Annus Mundi 5534^us, & incarnationis 34^us est XI^a Periodi 532 annorum, annus 214^us.

2° Idem annus est Cycli Lunæ annus 5^us, habens Lunam XIV^am Paschalem in die Phamenoth 26°, Martii 22°. & proinde in ipso resurrectionis Christi die, Martii 25°, Lunam XVII^am.

3° Idem annus est Cycli Solis annus 18^us, habens concurrentem cum die Phamenoth 28°, Martii 24°, IX Kal. Apr., Feriam VII^am. Adeoque in ipso die resurrectionis, Martii 25°, Feriam I^am seu Dominicam; & in die Paschatis Legalis, seu Lunæ XIV^a (ad cujus vesperam Christus Pascha cum discipulis comedit) Martii 22°, Feriam V^am, seu diem Jovis. Estque hic annus Cycli Solis 18^us, iniens a mense Thoth, tertius ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto.

 Et

Et ille hujus anni dies Phamenoth 29us, Martii 25us, quo Christus resurrexit, cadit in talem Periodi Julianæ & Æræ Vulg. Christi annum, qui habet lit. Dom. G, & secundus est ab anno Bissext. proxime transacto; quique in Periodo Julianâ est Periodi Julianæ annus 4755us, Cycli Solis 23us, Lunæ 5us, & Æræ Vulg. Christi 42us.

X X X V.

Anianus in Æra sua Incarnationis colligit annos 316 usque ad Vicennalia Constantini.

Hoc ex iis, quæ supra, imprimis §o 20, vidimus, per se patet.

Colligit enim ab Adam usque ad Vicennalia Constantini, annos 5816. teste Syncello p. 36. A.

Colligit autem ab Adam usque ad annum, quo Christus incarnatus, hoc est, conceptus est, exclusive, annos 5500. Teste eodem Syncello p. 35. A.

Et per consequens, colligit ab anno incarnationis inclusive, usque ad Vicennalia Constantini, annos 316.

Nam si ab annis 5816, qui ab Adam usque ad Vicennalia Constantini decurrunt, demas annos 5500 ante incarnationem elapsos, remanent anni 316 ab incarnatione ad Vicennalia Constantini ab Aniano collecti.

DE

DE CYCLO MAGNO PASCHALI,

Seu

DE PERIODO DXXXII ANNORUM

P A N O D O R I,

Monachi Ægyptii.

I.

Quinam veterum de Panodoro, ejusque Chronographia, Æra Mundi & Incarnationis, & Cyclo Paschali agunt.

Georgius Syncellus in sua Chronographia, variis in locis.

II.

De Panodoro, ejusque Chronographia, Æris, & Cyclo Paschali ipse jam antea egi.

In Observationibus ad Syncellum nondum editis, imprimis §° 20. §° 26–31. §° 35–38.

III.

Quinam recentiorum de Panodoro, ejusque Chronographia, Æra Mundi & Incarnationis, & Cyclo Paschali agunt.

Pagius in Dissertatione de Periodo Græco-Romana, §°

Petavius, post Uranologium, in Auctario, L. 8. C. 1. p. 291. & C. 3. p. 297. & C. 4. p. 301.

IV.

De Panodoro, ejusque ætate.

Panodorus fuit Monachus Ægyptius. Syncellus p. 34. A. p. 326. D. p. 35. A.

Panodorus fuit σύγχρονος Aniani. Sync. p. 34. A. & ambo ὁμόχρονοι. Sync. p. 34. e.

Panodorus fuit Hiſtoricus & Chronologus. Sync. p. 34. A. C. p. 35. A. p. 35. B. p. 326. D.

Panodorus floruit ſub Theophilo vigeſimo ſecundo Alexandriæ Archiepiſcopo. Sync. p. 34. C. Floruit temporibus Arcadii Imperatoris & Theophili Archiepiſcopi Alexandrini. Sync. p. 326. D.

Theophilus autem Alexandrinus ſedem Archiepiſcopalem tenuit ab anno Chriſti 385° menſis Julii die 20° uſque ad annum Chriſti 412^{um}, menſis Octobris diem 15^{um}, quo obiit. Pagius.

Arcadius Imperator, mortuo Theodoſio patre, imperium ſuſcepit anno Chriſti 395° Januarii die 17°, & obiit anno Chriſti 408 Kalendis Maji. Petav. & Pagius.

Panodorus fuit, ut mihi videtur, aliquot annis junior Aniano. Vide Diſſ. noſtram de Aniani Cyclo Paſchali §° 13.

Panodorus labente vel potius jam elapſo anno Æræ ejus Mundanæ 5904° (qui a menſe Thoth iniens concurrit a ſequenti Januario, cum anno Chriſti 412°) adhuc in ſcribenda ſua Chronographia occupatus erat, & in hujus Operis initio verſabatur; teſte Syncello p. 32. D. & p. 33. A. Verba enim, quæ Syncellus illo in loco adducit, quæque procul omni dubio vel Panodori vel Aniani verba ſunt, non Aniano, ut antea putabam, ſed Panodoro adſcribenda eſſe, ſuadet collatio alterius loci apud Syncellum p. 35. A. B. ubi utriusque Chronographia deſcribitur: nam inde patebit hæc verba Chronographiæ non Aniani, quæ *compendioſior* (ἐπιτομώτερα) ſed Panodori, quæ *multipartita & multiformis*, (πολυμερὴς καὶ πολυειδής) erat, apprime convenire. Vide Diſſ. noſtram de Aniani Cyclo Paſchali §° 13.

Panodorus mortuo jam Theophilo, adhuc in ſcribenda Chronographia ſua occupatus erat, ut patet ex loco Syncelli modo citato p. 32. D. & 33. A. Dicit enim ſe collecturum ab Adam uſque ad Theophilum annos 5904. In qua collectione anni Archiepiſcopatus Theophili a ſum-

ma

ma collecta excludi non possunt, sed eam necessario ingrediuntur, & ejus terminum ultimum constituunt, eamque complent. Annus enim Mundi 5904us, in Æra Mundi Panodoriana, terminatur in die Augusti 28° anni Æræ Christi Vulgaris 412mi, adeoque Theophilus, qui die Octobris 15° ejusdem anni 412mi obiit, annum Mundi 5904um elapsum paucis tantum Septimanis supervixit, quæ in hac collectione annorum in censum non veniunt, more veterum Chronographorum consueto, qui per annos completos collectionem instituebant, & annos regiminis vel Episcopatus, quorum continua aggregatione summa annorum collecta exurgebat, considerabant ut cum annis Æræ suæ pari passu ambulantes.

Verba Panodori, de sua Chronographia loquentis, a Syncello adducta, hæc sunt: Ἀναγκαῖον ἡγησάμην . . . εἶτα ἑξῆς ἐπὶ τὴν ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ἕως τῆς εἰκοσαετηρίδος Κωνσταντίνου στοιχείωσιν ὁρμῆσαι, ἵνα διὰ τῆς τῶν κρατησάντων καθ' (ἕκαστον) ἔθνος βασιλέων ὀνομασίας, τὸν τῶν ,εωις" ἐτῶν (ἀριθμὸν) ἀπαραλείπτως συνάξας, ἐπιδείξω. ἔτι δὲ καὶ ἐκ τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις γραφαῖς γενεαλογουμένων ἀνδρῶν τῶν ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τοῦ πανευφήμου δευτέρου καὶ εἰκοστοῦ Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ Αἰγύπτου καὶ τῶν δύο Λιβύων, εἰδολοκτόνου Θεοφίλου, τοὺς χρόνους συνάξας, παραθήσομαι ἀριθμὸν ἐτῶν ,εϡδ". hoc est, *Necessarium duxi. . . . deinceps porro in annorum ab Adam usque ad Vicennalia Constantini delineationem* (vel, *enumerationem ordine dispositam*) *incumbere, ut per regum unicuique genti imperantium nomina* (cum annis imperii proposita) *numerum 5816 annorum, continua aggregatione collectum, exhibeam :* (vel, *continua aggregatione, me collegisse ostendam :*) *Præterea etiam ex virorum, quorum in Sacris Scripturis Genealogiæ* (*sive generationes*) *recensentur, ætatibus ab Adam usque ad inclitum vigesimum secundum Archiepiscopum Alexandriæ & Ægypti, & utriusque Lybiæ, Theophilum, Idolorum exstirpatorem, tempora colligens, exhibebo numerum annorum 5904.*

V.

De Panodori Chronographia.

Quicquid de Panodoro, ut & de Aniano, & de utriusque Chronographia cognoscimus, Georgio Syncello debemus.

Quæ de utriusque, sed imprimis de Panodori Chronographia, jam notavimus in nostris ad Syncellum observationibus, hic non repetemus.

Quædam-

Quædam tamen hic notabimus vel ante non ita obſervata, vel ad hunc hujus Diſſ. ſcopum neceſſaria: generalia tamen.

Chaldæorum & Ægyptiorum narrationes de gentis ſuæ nimia antiquitate, & de antiquis regibus in Chaldæa & in Ægypto, per aliquot millia annorum regnantibus, cum Chronologia S. Scripturæ conciliare voluerunt Anianus & imprimis Panodorus: teſte Syncello p. 32. A. B. C. p. 34. tota. p. 35. C. p. 40. D. p. 41. A. B. C. & alibi. Imo teſte ipſo Panodoro, cujus verba adducit, p. 32. B. C. D. & p. 41. A. B. C.

Anianum & Panodorum πολλὰ χρήσιμα κεφάλαια ἱςορικὰ πεποιηκέναι, dicit Sync. p. 34. C. ubi per κεφάλαια ἱςορικὰ non intelligo cum Latino interprete, *tractatus hiſtoricos*, ſed *capita hiſtorica*, *dubia hiſtorica*, *quæſtiones hiſtoricas*.

De Panodori Chronographia dicit Syncellus p. 35. B. ἣν δὲ Πανοδώρου (ἔκδοσιν εἶναι) πολυμερῆ τε καὶ πολυειδῆ, πολλά τε Χρήσιμα ἔχουσαν, οὐ μόνον Χρονικῆς ἐχόμενα θεωρίας, ἀλλὰ καὶ τῆς Κανονικῆς τῶν δύο μεγάλων φωςήρων ἡλίου καὶ σελήνης κινήσεως. ἐν πολλοῖς δὲ ταυτολογοῦσαν &c.

De Panodoro ipſo dicit p. 326. C. quod fuerit ἱςορικὸς οὐκ ἄπειρος Χρονικῆς ἀκριβείας.

Addit ibidem p. 326. D. & p. 327. A. B. quod Canonem regum Mathematicum Ptolemæi ſecutus fuerit in ſua Chronographia. Confer quoque p. 312. A. B.

Ipſe Panodorus apud Syncellum, p. 32. D. (verba ipſa protulimus ſupra §° 4.) nos docet Chronographiam ſuam continuiſſe duplicem computum, ſeu Canonem Chronologicum, quorum prior Canon Regum vel regnorum appellari poteſt, qui ab Adam initium ſumens uſque ad Vicennalia Conſtantini progrediebatur, & ibi terminabatur, quique ad modum, ut videtur, Canonis Euſebii diſpoſitus, colligebat a Mundo condito uſque ad Vicennalia Conſtantini, annos 5816: poſterior vero, Canon Patriarcharum & virorum Eccleſiaſticorum dici poteſt, qui itidem ab Adam initium ſumens uſque ad Theophili Alexandrini Archiepiſcopatum incluſive progrediebatur, quique ab Adam uſque ad finem Archiepiſcopatus Theophili colligebat annos 5904.

Anianus & Panodorus (teſte Syncello p. 35. D. & p 36, tota. Confer p. 35. C.) carpebant Euſebium, quod in Chronici ſui recapitulatione, 290 annis aberraverit, dum ab Adam uſque ad Vicennalia Conſtantini (in quibus Chronicon ejus terminabatur) colligeret tantum 5526 annos, cum, ex eorum ſententia, debuiſſet colligere 5816 annos. Anianus (cujus verba a Syncello p. 36, adducuntur) hunc Euſebii errorem redar-

redarguebat duplici argumento, quorum unum a Computo & Cyclo Paſchali 532 annorum, alterum ex S. Scriptura, ejusque Chronologia deſumptum erat. In priori argumento a Computo & Cyclo Paſchali 532 annorum, deſumpto, ita ratiocinatur: Numerus annorum, qui ab Adam uſque ad Vicennalia Conſtantini colliguntur, ſi per 532 dividatur, debet relinquere talem numerum, qui exprimit verum annum Periodi labentis, & ſic prodere veram Lunam XIV^{am} & veram Dominicam Paſchalem, in Vicennalibus Conſtantini ab Eccleſia celebrandam & celebratam: atqui numerus annorum 5526, qui ab Euſebio ab Adam uſque ad Vicennalia Conſtantini, colliguntur, hoc non facit; nam diviſus per 532, indicat annum Periodi labentis 206^{um} erroneum, quo proditur Luna XIV^{a} & Dominica Paſchalis erronea, & a Vicennalibus Conſtantini aliena: Sed numerus 5816 annorum (qui 290 annis numerum 5526 annorum excedit) hoc facit; nam diviſus per 532, indicat verum annum Periodi tunc labentis 496^{um}, quo proditur vera Luna XIV^{a}, in die Martii 25°, & vera Dominica Paſchalis in die Martii 29°, in Vicennalibus Conſtantini ab Eccleſia celebranda & celebrata. Ergo Euſebius, qui tantum 5526 annos colligit, 290 annis aberravit, & debuiſſet colligere annos 5816. Syncellus cum hoc Aniani argumentum propoſuiſſet, & alterum e S. Scriptura deſumptum, huic ſubjunxiſſet, ſic pergit p. 36. D. *Hæc Anianus ad verbum dicit, carpens Euſebium Pamphili juſte circa illam 290 annorum omiſſionem:* σύνωδα δὲ αὐτῷ ὁ Πανόδωρος περὶ τούτων ἐγκαλεῖ, οὗ τὰς χρήσεις περὶ τούτου παρέλκον ἡγούμεθα παραθέσθαι. hoc eſt. *Concinentia „ conſona autem cum ipſo* (Aniano ſcilicet) *Panodorus circa illa conqueritur „ expoſtulat, cujus verba hac de re ſuperfluum duxi adponere.*

V I.

De Æra Mundi Panodoriana.

Panodorus colligebat ab Adam uſque ad Vicennalia Conſtantini, annos 5816. Sync. p. 32. D. Et in eo conveniebat cum Aniano. Sync. p. 35. D. & 36. A. item p. 36. D. Vide ſupra §° 4, 5.

Panodorus colligebat ab Adam uſque ad Theophilum Alexandrinum, includens annos Archiepiſcopatus ejus, annos 5904. Vide ſupra, §° 4.

N Anni

Anni in Æra Mundi Panodoriana inibant, more Ægyptiorum, a menſe Thoth. Quod & per ſe admodum probabile eſt, quia Panodorus erat monachus Ægyptius, & præterea etiam inde colligitur, quia in ſua Chronographia ſequebatur Canonem Regum Mathematicum, teſte Syncello, p. 326. D. & 327. A. B. Confer p. 312. A. B. in illo enim Canone anni a menſe Thoth initium ducunt.

Annus itaque juxta Panodorum Mundi 1^{us} iniens a menſe Thoth, inibat labente Periodi Julianæ Prolepticæ anno 7201^{o}, lit. Dom. AB. in die Aug. 29^{o}, & concurrebat a ſequenti Januario cum ejusdem Periodi Julianæ Prolepticæ anno 7202^{o}, lit. Dom. G. Æque ac annus, juxta Anianum, Mundi 1^{us}. Vide Diſſertationem noſtram de Aniani Cyclo magno Paſchali.

Nam Panodori Æra Mundana cum Aniani Æra Mundana conveniebat; tot enim annos uſque ad Vicennalia Conſtantini colligebat, quot Anianus: & idem, procul dubio, Paſcha & eandem Lunam XIV^{am} inveniebat in illo anno Mundi 5816^{o}, quam Anianus dicit ſe in illo anno Mundi invenire: Vide infra §^{o} 11.

Præterea annus Mundi, juxta Panodorum, 5904^{us} & annus Archiepiſcopatus Theophili ultimus, in Canone Panodori Chronologico concurrunt. Theophilus autem obiit labente anno Æræ Chriſti Vulg. 412^{o} die Octob. 15^{o}. Et hoc anno Chriſti 412^{o} labente init Ægyptiorum annus in die menſis Auguſti 29^{o}. Omiſſis itaque illis 48 diebus, qui ab Auguſti die 29^{o} uſque ad Octobris diem 15^{um}, quo Theophilus obiit; inibit ille juxta Panodorum Mundi annus 5904^{us} anno Æræ Chriſti Vulgaris 411^{o} in die Aug. 30^{o}, & terminabitur anno Æræ Chriſti Vulg. 412^{o} in die Aug. 28^{o}. (Vide ſupra §^{o} 4.) Annus autem Æræ Chriſti Vulg. 411^{us} eſt Periodi Jul. annus 5124^{us}. Huic adjice integram Periodum Julianam, ſive annos 7980; ſumma erit 13104: ab hac ſumma aufer annos 5903, remanebit annus Per. Jul. Prolepticæ 7201^{us}, quo labente annus, juxta Panodorum, Mundi 1^{us} init in die Auguſti menſis 29^{o}.

Labente

Labente Per. Jul. Prolepticæ anno		labente Æræ Vulg. Christi anno	init Panodori Æræ Mundi annus	& Concurrit cum Per. Jul. Prolepticæ anno		Æræ Vulg. Christi anno
7201°	B A.	. . .	1us Aug 29.	7202°	G.	. . .
5903			5903	5903		
13104				13105		
7980				7980		
5124°	A.	411°	5904us Aug. 30.	5125°	G.F.	412°
88		88	88	88		88
5036°	F.	323°	5816us Aug. 30.	5037°	E.D.	324°
310		310	310	310		310
4726°	A.	13°	5506us Aug 29.	4727°	G.	14°
13		13	13	13		13
4713°	D.C.	. . .	5493us Aug. 29.	4714°	B.	1°

In hoc Schemate plura exhibentur, quam quæ ad confirmationem præcedentium requiruntur; quia ad confirmationem dicendorum opus erant; eaque uno eodemque Schemate exhibere volui.

Panodorus, teste Syncello, p. 327. B. C. *Canonem a Mathematicis editum sequens initium quidem imperii Augusti 5451° anno Mundi* ἐστοιχείωσεν; *finem autem 5506*'; *salutarem denique Nativitatem 5493°*; *non recte rem considerans.* In Canone regum seu regnorum, a Mathematicis Claudio Ptolemæo, & Theone Alexandrino, edito, annus Imperii Augusti ultimus, sive a morte Cleopatræ & capta Alexandria 43us est annus a Nabonassaro 761us, a morte autem Alexandri, sive ab initio imperii Philippi Aridæi 337us, iniens a mensis Thoth die 1°, qui cadit, in vago Ægyptiorum anno, in diem mensis Aug. 20um anni Periodi Julianæ 4726ti. Vide Petavii Chronicon. Adeoque annus Mundi, juxta Panodorum, 5506us, quo, in Canone suo Chronologico, ἐστοιχείωσεν finem, seu ultimum annum Imperii Cæsaris Augusti, init labente Periodi Julianæ anno 4726to: & per consequens annus Mundi, juxta Panodorum, 5493us, quo salutarem ἐστοιχείωσεν Nativitatem, init labente Periodi Julianæ anno 4713°, ante Æram Vulg. Christi 1°. Vide præcedens Schema.

VII.

De Æra Incarnationis Panodoriana.

Panodorus *Nativitatem* Christi non autem ejus Conceptionem, illigabat Æræ suæ Mundanæ anno 5493°, ut Syncellus testatur p. 327. C. Vide supra §um 6.

Nam Syncellus l. c. expresse dicit quod Panodorus τὴν σωτήριον ΓΕΝΝΗΣΙΝ τῷ ͵ευϟγʹ (ἔτει τοῦ κόσμου ΕΣΤΟΙΧΕΙΩΣΕΝ.) quibus verbis indicat, quod Panodorus *salutarem Nativitatem in Canone suo Chronologico ad annum M. 5493um adnotaverit.*

Quod & ex eodem loco confirmatur, quia Syncellus ibidem testatur, quod Panodorus, in Canone suo Chronologico, initium, hoc est primum annum, Imperii Cæsaris Augusti ad annum Mundi 5451um, & finem hoc est ultimum annum, ad annum M. 5506um adnotaverit; adeoque in Canone suo Chronologico Cæsari Augusto dederit annos imperii 56, unde patet Panodorum statuisse, quod Christi Nativitas contigerit anno M. 5493° *&* *Augusti* 43° labente a mense Thoth.

Nam si non Nativitatem, sed Conceptionem illigasset anno M. 5493°, tum Nativitas incidisset in sequentem Mundi annum 5494um & *Augusti* 44um, & quod adhuc magis stringit, tum anno Imperii Tiberii Cæsaris 15° elapso, Christus annum ætatis suæ 28um nondum complevisset.

Unde patet annum M. 5493um esse, juxta Panodorum, τὸ γενέθλιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἔτος, hoc est, *Servatoris nostri Natalis annus*, de quo Sync. dicit p. 35. C. quod Panodori Chronographia eum non recte constituerit.

Adeoque quando in initio illius loci, de quo agimus, p. 326. D. Syncellus dicit: *Panodorus septem aberravit annis* ἐλθὼν εἰς τὴν σωτήριον ΣΑΡΚΩΣΙΝ, τῷ ͵ευϟγʹ ἔτει ταύτην συλλογισάμενος, vocem σαρκώσεως latius sumit pro κατὰ σάρκα γεννήσει, ut sequentia ostendunt, & præterea non ad ἀκρίβειαν calculum instituit, quando dicit Panodorum septem aberrare annis. Confer Sync. p. 35. B. & p. 313. A. & vide Observ. nostras ad Syncellum §° 12, loco 4° & 5°. item §° 28.

Ex modo dictis recte deducitur annum Mundi, juxta Panodorum, 5493um esse Æræ Incarnationis Panodorianæ annum 1um, & per consequens annum Incarnationis, juxta Panodorum, 1um inire labente anno Per. Jul. 4713°, ante Æram Christi Vulg. 1°, a mense Thoth, die

Aug.

Aug. 29° & concurrere a ſequenti Januario, cum Per. Jul. anno 4714°, Æræ Chriſti Vulg. 1°. Vide ſupra §° 6.

Hæc Æra autem potius Æra Nativitatis, quam Incarnationis Chriſti dicenda eſſet, quia non ab anno, in quem Conceptio, ſed ab anno, in quem Nativitas Chriſti incurrit, initium ſumit.

Supponimus autem admodum probabile eſſe, quod Panodorus, æque ac Anianus, Conceptionem Chriſti diei Martii 25°, & Nativitatem ejus diei Decemb. 25° affixiſſe.

An autem Panodorus in ſua Chronographia, præter Æram Mundanam, etiam Æra Incarnationis uſus ſit, mihi non conſtat.

VIII.

An Panodorus in ſua Chronographia, etiam tractaverit ea, quæ Computum Paſchalem ſpectant.

Panodorum etiam ea, quæ Computum Paſchalem concernunt, in opere ſuo Chronographico tractaſſe, admodum probabile eſt.

Syncellus enim p. 35. B. dicit *Chronographiam Panodori eſſe multipartitam & multiformem, multaque utilia continentem*, οὐ μόνον χρονικῆς ἐχόμενα θεωρίας, ἀλλὰ καὶ τῆς Κανονικῆς τῶν δύο μεγάλων φωστήρων ἡλίου καὶ σελήνης κινήσεως. hoc eſt, *non tantum concernentia Chronologiam, ſed etiam regularem duorum magnorum luminarium, Solis & Lunæ, motum.* Ubi quidem per τὰ ἐχόμενα τῆς Κανονικῆς τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης κινήσεως intelligi poſſunt ea, quæ concernunt Aſtronomiam & calculum Aſtronomicum, qui juxta Κανόνας προχείρους, *Tabulas expeditas* peragitur, & quo curſus Solis & Lunæ, Novilunia & Plenilunia, nec non Eclipſes Solis & Lunæ calculantur; ſed etiam ea, quæ concernunt Computum Paſchalem, qui quoque per Κανόνας ſeu Κανόνια, hoc eſt, Tabulas peragitur, & in quo ope Cyclorum Solis & Lunæ tempus Paſchale detegitur.

Syncellus l. c. p. 35. B. C. ſic pergit: *In multis autem* (Chronographiam Panodori eſſe) ταυτολογοῦσαν, hoc eſt, *eadem* (cum Aniani Chronographia) *dicentem, ſed* (καὶ pro ἀλλὰ) *deficientem annis VII a numero* 5500 *annorum uſque ad ineffabilem Incarnationem Domini noſtri Jeſu Chriſti colligendorum, & propterea errantem circa Paſchalem diem.* τῷ γὰρ ͵εφκε″ ἔτει τοῦ Κόσμου ταύτην γεγενῆσθαι παραδίδωσιν μηνὸς Μαρτίου κ″, ἤτοι κατ᾽ Αἰγυπτίους Φαμενὼθ κ″. Ubi Syncellus *per* ΤΗΝ ΠΑΣΧΑΛΙΟΝ

ΗΜΕΡΑΝ *intelligit diem Resurrectionis Christi & simul primi Paschatis Christiani*, nam Syncellus & Anianus, ut loco citato ex anterioribus patet, statuebant Christum resurrexisse die Martii 25°, & in eundem illum resurrectionis diem incidisse primum Pascha Christianum, quod in memoriam Christi resurgentis celebratur in die Dominicâ. Dicit autem Panodorum circa τὴν Πασχάλιον ἡμέραν errasse, quia Panodorus resurrectionem Christi in alium Martii diem collocans, aberrabat a vero, juxta Syncellum, resurrectionis Christi die Martii 25° & a vero, juxta eundem, primi Paschatis Christiani die, in eundem illum Martii diem 25^{um} incidente. Dicit hunc Panodori errorem circa τὴν Πασχάλιον ἡμέραν ortum esse ex alio errore circa annum ἐνανθρωπήσεως Christi, quia Panodorus, eam annis VII citius in Ærâ sua Mundana collocans, non potuit resurrectionem Christi & primum Pascha Christianum justo loco, in die Martii 25° exhibere. Quando autem Syncellus dicit, quod Panodorus tradiderit ΤΑΥΤΗΝ (Πασχάλιον ἡμέραν) contigisse anno &c, id non videtur ita intelligendum esse, ac si Panodorus tradidisset in illo anno, mense, & die designato, non tantum resurrectionem Christi, sed etiam primum Pascha Christianum contigisse; potuit forte Syncellus hoc sibi de Panodoro imaginari, sed ego mihi persuadere non possum Panodorum de primo Paschate Christiano ad illum diem alligando cogitasse, sed puto eum solummodo resurrectionem Christi huic diei affixisse. Quod attinet tempus a Panodoro designatum; errorem in numeris occurrere per se patet; quomodo autem corrigendus sit, ut vera Lectio eruatur, non ita facile determinatur. Vide quæ notavimus in Observationibus ad Syncellum, §° 31. ubi varias ob rationes judicavi, pro τῷ ΕΦΚΕ' ἔτει τοῦ Κόσμου, μηνὸς Μαρτίου Κ'', ἤτοι Φαμενὼθ Κ'' legendum esse, τῷ ΕΦΚϚ'' ἔτει τοῦ Κόσμου, μηνὸς Μαρτίου ΚΑ'', ἤτοι Φαμενὼθ κε'', neque nunc sententiam muto. Certum enim est Μαρτίου κ'' & Φαμενὼθ κ'' simul consistere non posse: ipsa mensium nomina non sunt mutanda absque prægnanti ratione: si alterutrius mensis quotam retinere velis, legendum vel Martii 20 hoc est, Phamenoth 24, vel Martii 16, hoc est, Phamenoth 20, si priori modo legas, nempe Martii 20, Phamenoth 24, tum incides in Mundi annum 5527^{um}, lit. Dom. B. & vitæ Christi 35^{um} labentem, & Tiberii Cæsaris 21^{um} labentem, in quo anno Luna XIV^{a}, quæ vocatur Nicæna, proleptice computata, cadit in April. 9^{um}, Pharmuthi 14^{um}, Feria VII^{a}, ac proinde distat a Luna XIV^{a} Judaica, quæ eo anno emortuali Christi tum cadere debet in diem Martii 17, vel 18, diebus 23, vel 22. (NB. Luna XIV^{a} Judaica, hic & in sequentibus, per con-

consequentiam deducitur ex illa hypothesi, quod, in anno Passionis Christi, Luna XIVª Judaica incidit in diem Jovis, vel Veneris, triduo vel biduo ante Dominicam, in qua Christus resurrexit.) Si posteriori modo legas, nempe Martii 16, Phamenoth 20, tum incides in Mundi annum 5524ᵘᵐ, lit. Dom. F. E. & vitæ Christi 32ᵘᵐ labentem, & Tiberii Cæsaris 18ᵘᵐ labentem, in quo anno Luna XIVª Nicæna cadit Apr. 12, Pharm. 17, Feria VIIª, ac proinde distat a Luna XIVª Judaica, quæ tum cadere debet in Martii 13 vel 14, diebus 30 vel 29. Si, missis utriusque mensis quotis, retentis tamen mensium nominibus, correctio tentetur, tum hoc notandum, quod dies resurrectionis Christi ultra Martii diem 26ᵘᵐ protrudi non possit, quia mensis Phamenoth 30ᵘˢ cum Martii 26° concurrit. Si itaque Mundi annum designatum 5525ᵘᵐ retinere velis, qui habet lit. Dom. D, estque vitæ Christi 33ᵘˢ labens, & Tiberii Cæsaris 19ᵘˢ labens, tum legendum Martii 22, Phamenoth 26, & Luna XIVª Judaica cadet Martii 19, vel 20, eaque distabit a Luna XIVª Nicæna, quæ cadit in Aprilis diem 1ᵘᵐ, Pharmuthi 6ᵘᵐ, Feria IVª, diebus 13 vel 12. Sin vero, ut nota marginalis vult, legas 5526ᵘᵐ; qui habet lit. Dom. C, estque vitæ Christi annus 34ᵘˢ labens, & Tiberii Cæsaris 20ᵘˢ labens, tum legendum Martii 21, Phamen. 25, & Luna Judaica cadet Martii 18, vel 19, eaque tantum triduo vel biduo distabit a Luna XIVª Nicæna, quæ cadit in illum ipsum resurrectionis diem Martii 21ᵘᵐ, Phamen. 25ᵘᵐ, Feria Iª. Hic autem annus M. 5526ᵘˢ videtur eligendus, idque ob duas rationes, quarum prima est, quod tum Christo tribuantur anni vitæ completi 33, altera, quod tum Luna Judaica XIVª, a Nicæna XIVª tantum triduo vel biduo distet. Ex hoc itaque Syncelli loco non poterit, quantum mihi videtur, determinari. Panodorum in sua Chronographia etiam tractasse ea, quæ Computum Paschalem spectant; probabile tamen videtur eum hunc diem resurrectionis non simpliciter adnotasse, sed quia & in die, & in Luna eo die occurrente ab Aniano & ab ipso Theophilo dissentiebat, etiam rationes sui dissensus addidisse; quod fieri vix potuit, quin ea, quæ Paschalem Computum concernunt, attingeret. * Vide infra hoc ipso §° 8.

Est & alius apud Syncellum locus p. 35. D. & p. 36, totâ. (cujus contenta proposui supra §° 5.) qui hoc extra dubium ponere videtur. Sed tum supponitur, quod Panodorus, æque ac Anianus, culpans Eusebium, quod in Chronici sui recapitulatione 290 annis aberraverat, etiam utrumque illud Aniani argumentum, contra Eusebium urserit, tam pri-

mum

mum illud, quod a Computo & Cyclo Paſchali 532 annorum, quam ſecundum, quod a Chronologia S. Scripturæ deſumptum erat; dubitari autem poteſt an Panodorus etiam illud primum Aniani argumentum adhibuerit. Dicit quidem Syncellus, σύνῳδα δὲ αὐτῷ (Ανιανῷ) ὁ Πανόδωρος περὶ τούτων ἐγκαλεῖ, ſed hoc Syncellus dicere potuit, licet Panodorus non omnia Aniani argumenta adhibuerit, neque per omnia eodem modo, ac Anianus ratiocinatus fuerit. Ratio autem dubitandi hæc eſt; quod Panodorus non potuerit, ex ſuis principiis, hoc argumentum urgere, ſaltem non eodem modo, quo Anianus; quia ipſius Æra Mundi non prodebat in anno emortuali Chriſti, Lunam XIV^am^ Nicænam neque die Jovis, ad cujus veſperam Chriſtus Paſcha cum diſcipulis comedit, neque in die Paraſceves, in quo, ut verus agnus, in cruce immolatus eſt, ſed demum in ipſa Dominica reſurrectionis; unde etiam ille Æræ ejus Mundanæ annus 5526^us^ non prodebat primum Paſcha Chriſtianum in ipſo reſurrectionis Chriſti die, Luna XVII, ſed in ſequente Dominicâ, Luna XXI^a^. Fateor tamen hanc dubitandi rationem tanti non eſſe, ut non multo probabilius ex illis Syncelli verbis liceat concludere & ſupponere, quod Panodorus quoque utrumque illud argumentum adverſus Euſebium adhibuerit; potuit enim Panodorus, præter illud a S. Scripturæ Chronologia deſumptum argumentum, etiam hoc in genere urgere, quod Æra Mundi Euſebiana, propter illam 290 annorum omiſſionem, careret illa perfectione, quam ſua Mundi Æra habebat, ut diviſa per 532, relinqueret Periodi labentis annum, & ſic proderet eam Lunam XIV^am^ & Dominicam Paſchalem, quam Eccleſia, poſt receptam Enneadecaëteridem, celebrabat.

Quid, ſi per Πασχάλιον ἡμέραν intelligamus *diem Paſſionis Chriſti in die Paſchatis Legalis.*

Tum & annus Mundi 5525^us^, & Martii dies 20^us^ retineri poſſent; ſed pro Phamenoth κ″ legendum κδ″.

Et Chriſtus paſſus eſſet anno Mundi 5525° Nativitatis 33°, Martii 20°, Feria VI^a^.

Saltem hoc certum eſt, Epiphanium, in Hæreſi LI, *Alogorum* ſtatuere, Chriſtum natum eſſe (anno Æræ Mundi 5493°) anno Æræ Vulg. Chriſti 1°, Januarii die 6°; paſſum autem (anno Æræ Mundi 5525°) anno Æræ Vulg. Chriſti 33°, Martii 20°, vitæ ſuæ 33^tii^ die 74°.

Sed nota Epiphanium ſtatuere, Chriſtum natum anno Auguſti 42°, non 43°. paſſum vero Tiberii 18°.

Obſerva præterea Epiphanium mortuum eſſe ante Theophilum Alexan-

Alexandrinum, adeoque ante editam Panodori Chronographiam.

Verum tum Panodorus Lunæ Nicenæ in die Paſſionis Chriſti nullam habuit rationem. Nam anno Æræ Vulg. Chriſti 33°, in Martii die 20° erat Luna IIda. In Aprilis autem die 1° Luna XIVa. Neque hoc mirum in Panodoro videri debet: quippe qui Lunas XIVas Alexandrinorum, quas Nicænas vocant, demum ab eo tempore locum habuiſſe ſtatuebat, quando Enneadecaëteris Alexandrina ab Eccleſia recepta fuit.

Hæc ſolutio mihi maxime placet.

IX.

Æræ Mundi Panodorianæ innexus erat Cyclus magnus Paſchalis DXXXII annorum.

Æra Mundi Panodoriana ita comparata erat, ut, dato quovis Mundi anno, ſi per 532 divideretur, prodiret in hujus diviſionis reliquo, Periodi labentis annus, & ſi hoc reliquum porro divideretur per 19 & per 28, prodiret, eodem modo, Cycli Lunæ & Solis labentis annus, atque eo ipſo proderentur ipſa Paſchata, quæ ab Eccleſia, poſt receptam Enneadecaëteridem, celebrabantur.

Neque hoc caſu accidit, ſed hæc Æra a Computiſtis ſtudio ita ordinata & conſtituta erat, & a Panodoro ſtudio in eo ſtatu retenta fuit, ut hoc præſtare poſſet.

Atque hoc ſenſu dico Cyclum magnum Paſchalem, DXXXII annorum, innexum eſſe Æræ Mundi Panodorianæ.

Cyclus autem magnus Paſchalis, 532 annorum, qui Æræ Mundi Panodorianæ innexus erat, conveniebat cum Cyclo magno Paſchali, 532 annorum, qui Æræ Mundi Anianæ innexus erat.

Uterque enim conflatus erat ex Cyclis Lunæ & Solis Alexandrinorum, & in eodem Periodi Julianæ prolepticæ anno 7201°, ab eodem die Auguſti 29° inibat prima vice cum Æræ Mundi anno 1°. Ut videre licet, ſupra §° 6. & colligere licet ex Syncello p. 36, quem locum conſideravimus ſupra, §° 8. imprimis ſi conferantur, quæ obſervavimus in Diſſ. noſtra de Cyclo magno Paſchali Aniani.

X.

An Panodorus ediderit Cyclum magnum Paschalem per 532 annos expansum.

Quæritur hic an Panodorus ediderit Cyclum magnum Paschalem per 532 annos expansum, hoc est, qui exhibebat ipsa Paschata cum aliis characteribus Paschalibus per annos 532 se invicem sequentes.

Ad hanc quæstionem respondeo, mihi hac de re nihil certi constare.

Addo, mihi hoc non videri verisimile, quia Theophilus jam Laterculum suum centum annorum, & Cyclum suum CCCCXVIII annorum ediderat.

X I.

Panodorus colligit ab anno Christi natali usque ad Vicennalia Constantini annos 324.

Hoc ex præcedentibus clarum est, & in Schemate, supra §° 6 exhibito videre licet.

Panodorus enim, æque ac Anianus, colligit a Mundo Condito usque ad Constantini Vicennalia, annos 5816.

	Æræ Mundanæ Panodori annus	est	Æræ Nativ. Christi Panodori annus
	5493^us		1^us
adde	323		323
	5816^us		324^us.

DE CYCLO MAGNO PASCHALI,

Seu

DE PERIODO DXXXII ANNORUM METRODORI.

I.

Quinam veterum de Metrodoro, ejusque Cyclo magno Paschali egerunt.

SOlus, quantum mihi conſtat, Photius in ſua Bibliotheca, Codice CXV. p. 293, 294.

II.

Quinam recentiorum de Metrodoro, ejusque Cyclo magno Paſchali egerunt.

Pagius in Diſſertatione de Periodo Græco-Romana, §° 19. p. 7.
Du Freſne D° Du Cange in Præfatione ad Chronicon Paſchale, §° 31. p. 26.
Noris in Diſſertatione tertia, de Cyclo Paſchali Ravennate XCV annorum. C. 3. ſub finem. p. 183. edit. Lipſ.

III.

Photii excerptum de Metrodoro ejusque Periodo 532 annorum.

Photius, poſtquam recenſuerat Anonymi Librum contra Judæos, & Quartadecimanos; ſic pergit eodem Codice CXV, p. 293. Ἐνεφέρετο δ' λόγος

λόγος ἕτερος Μετροδώρου τινὸς ψῆφος Ἐννεακαιδεκαετηρίδων εἰκοσιοκτὼ εἰς ἑαυτὴν ἀνακυκλουμένη περὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πάσχα ἑορτῆς. οὗτος ὁ Μετρόδωρος, ὅστις ποτέ ἐστιν, οὐ γὰρ ἄλλο τι ἔγνων εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ, ἀπὸ Διοκλητιανοῦ ἀρξάμενος, φλγ" ἐτῶν συνήγαγε, κατὰ τὴν λεγομένην ἀκριβῆ τῆς Τεσσαρεσκαιδεκάτης ψηφοφορίαν, ἡμέρας ὅσα τὸ δοκεῖν, ἑορταστικάς, καὶ γὰρ οὔτε νῦν ἡ Ἐκκλησία, οὔτε ἡ παλαιὰ ΠΕΡΙΔΟΣΙΣ ταύταις φαίνεται κεχρημένη.

* Pro περίδοσις, ut vitioſe, errore, ut videtur, Librarii vel Typographi, editur, legendum παράδοσις.

Ita enim legit Car. Du Freſne in Præfatione ad Chronicon Paſchale, §° XXXI. p. XXVI.

Et verſio Schotti Latina habet *traditio*.

Græca ſic verterem, *conjunctus autem erat liber alius, Metrodori cujusdam computus decemnovalium Cyclorum viginti octo, in ſe ipſum in orbem reductus, de Sancti Paſchatis feſto. Hic Metrodorus, quicunque tandem ſit, non enim aliud quid cognovi, quod dicam de eo, a Diocletiano initium ſumens, collegit, ſecundum accuratam, quam vocant*, vel, *ſic dictam quartæ-decimæ Lunæ computationem*, 533 *annorum, dies, quantum videtur, feſtivitatis Paſchalis, neque enim nunc Eccleſia, neque antiqua traditio illis (diebus) videtur* „ *cernitur* vel, *apparet uſa (eſſe).*

IV.

Metrodorus ille Photio plane ignotus fuit.

Hoc patet, quia non tantum in initio dicit Μετροδώρου ΤΙΝΟΣ, Metrodori *cujusdam*, ſed etiam in progreſſu de eo tanquam homine plane ignoto loquitur, & expreſſe addit ſe nihil aliud de eo noſſe ac dicere poſſe præter hoc, quod, ut jam dicturus erat, ille talem Cyclum Paſchalem compoſuiſſet, οὗτος (enim inquit) ὁ Μετρόδωρος, ΟΣΤΙΣ ΠΟΤΕ ΕΣΤΙΝ, ΟΥ ΓΑΡ ΑΛΛΟ ΤΙ ΕΓΝΩΝ ΕΙΠΕΙΝ ΠΕΡΙ ΑΥΤΟΥ, ἀπὸ Διοκλητιανοῦ &c. *Hic Metrodorus, quicunque demum ſit, (nihil enim aliud de eo dicere novi) a Diocletiano &c.*

V.

Metrodorus edidit Cyclum magnum Paſchalem per 532 annos expanſum, addito etiam anno 533°.

Photius enim contentum Libri, quem recenſebat, deſcribens indicat, quod

quod in eo continebatur Μετροδώρου τινὸς ψῆφος Ἐννεακαιδεκαετηρίδων εἰκοσιοκτὼ εἰς ἑαυτὴν ἀνακυκλουμένη περὶ τῆς ἁγίου Πάσχα ἑορτῆς.

Quibus verbis Photius indicat Metrodorum composuisse & edidisse Cyclum Paschalem, qui constabat Cyclis decemnovalibus viginti octo, & in quo Paschata ab ipso computata ad singulos horum viginti octo Cyclorum decemnovalium annos adnotata erant, quique Paschata in orbem redire faciebat, & post hos viginti octo Cyclos decemnovales evolutos, idem Pascha, quod in primo primi Cycli decemnovalis anno fuerat, iterum reducebat: hoc est, indicat Metrodorum composuisse & edidisse Cyclum magnum Paschalem, sive Periodum 532 annorum, continentem distinctos viginti octo Cyclos decemnovales.

Photius contenta hujus Libri ulterius explicans, sic pergit, οὗτος ὁ Μετρόδωρος . . . φλγ´ ἐτῶν συνήγαγε . . . ἡμέρας ἑορταστικάς.

Ubi expresse dicit Metrodorum collegisse tot annorum *dies festos*, hoc est, dies *festivitatis Paschalis*, τῆς τοῦ ἁγίου Πάσχα ἑορτῆς, ut supra dixerat; quod & inde patet, quia dicitur, quod hos dies festos collegerit secundum decimæ quartæ Lunæ computationem.

Præterea dicit eum collegisse dies festos Paschales ΦΛΓ´ ΕΤΩΝ, hoc est, 533 *annorum*, quo indicatur eum edidisse Cylum magnum Paschalem per 532 annos expansum, exhibens ad singulos annos ipsa Paschata; additis forte etiam aliis characteribus sive Titulis Paschalibus, & præterea eum adjecisse Pascha anni 533^tii, ut ad oculum pateret, spatio 532 annorum Paschata in orbem volvi, & illo spatio 532 annorum evoluto, eadem quæ antea fuerant, Paschata redire.

V I.

Metrodori Cyclus magnus Paschalis, 532 *annorum inibat a Diocletiani anno* 1°.

Hoc expresse testatur Photius, *Metrodorus* (inquit) ἀπὸ Διοκλητιανοῦ ἀρξάμενος, *a Diocletiano initium sumens*, 533 *annorum dies festos Paschales collegit.*

Æra annorum a Diocletiano init labente anno Æræ Christi Vulg. 284°, a mense Thoth, die Aug. 29°, & concurrit cum anno Æræ Christi Vulg. 285°.

Adeoque annus a Diocletiano 533^us, qui in Metrodori Cyclo Paschali

 ulti-

ultimus, ſeu Periodi 2^dæ^ primus annus erat, inibat labente anno Æræ Chriſti Vulg. 816° & concurrebat cum anno Æræ Chriſti Vulg. 817°.

VII.

Photii judicium de Metrodori Cyclo Paſchali.

Photii judicium de Metrodori Computo & Cyclo Paſchali latet in iis verbis, quæ in deſcriptione Cycli Paſchalis a Metrodoro editi, a Photio inſeruntur.

Οὗτος ὁ Μετρόδωρος ἀπὸ Διοκλητιανοῦ ἀρξάμενος, φλγ″ ἐτῶν συνήγαγε, κατὰ τὴν ΛΕΓΟΜΕΝΗΝ ΑΚΡΙΒΗ τῆς Τεσσαρεσκαιδεκάτης ψηφοφορίαν, ἡμέρας, ΟΣΑ ΤΟ ΔΟΚΕΙΝ, ἑορτασικάς.

Ratio hujus judicii continetur in iis verbis, quæ a Photio immediate ſubjunguntur.

Καὶ γὰρ οὔτε νῦν ἡ Ἐκκλησία, οὔτε ἡ παλαιὰ παράδοσις ταύταις φαίνεται κεχρημένη.

Ex ultimis hiſce Photii verbis in genere patet, Photium Computum & Cyclum Paſchalem Metrodori non approbare aut laudare, ſed magis reprehendere: unde porro patet, præcedentia illa verba, ΤΗΝ ΛΕΓΟΜΕΝΗΝ ΑΚΡΙΒΗ, & ΟΣΑ ΤΟ ΔΟΚΕΙΝ, non in meliorem, ſed in deteriorem partem eſſe capienda.

Quando itaque Photius dicit, quod Metrodorus collegerit, *ſecundum* ΤΗΝ ΛΕΓΟΜΕΝΗΝ ΑΚΡΙΒΗ *decimæ quartæ Lunæ* ΨΗΦΟΦΟΡΙΑΝ, *dies feſtos Paſchales*, eo ipſo indicat Metrodorum in Computo ſuo Paſchali uſum eſſe ſingulari, & inſolito Computo ad inveniendum Lunas XIV^as^ Paſchales, qui ab ipſo (& forte etiam ab aliis, cum eo hac in re conſentientibus) dicebatur & vocabatur ἡ ἀκριβὴς Lunæ XIV^æ^ ψηφοφορία, licet talis, judice Photio, revera non erat; adeoque Metrodorum non retinuiſſe Lunas XIV^as^ in iisdem diebus, quibus a conſtructoribus Enneadecaëteridis Alexandrinæ, ab Eccleſia receptæ, affixæ erant, ſed eum per hunc Computum ſingularem, quem vocabant *accuratum*, & ut accuratiorem computo ordinario & recepto præferebant, vel Lunam XIV^am^ in aliis menſium diebus, vel Lunas alias in iis diebus, quibus Lunæ XIV^æ^ Paſchales affixæ erant, computaſſe.

Quando porro Photius dicit, quod Metrodorus collegerit, *ſecundum accuratum ſic dictum Lunæ XIV^æ^ computum, dies*, ΟΣΑ ΤΟ ΔΟΚΕΙΝ, *feſtos*

festos Paſchales; eo ipſo indicat, quod Metrodorus, Computum ſuum Paſchalem inſtituens, juxta illum ſingularem Lunæ XIVæ Paſchalis computum, etiam ſingulares & inſolitas invenerit, & in Cyclo ſuo exhibuerit Dominicas Paſchales, quæ ipſi (& forte etiam aliis, cum eo hac in re conſentientibus) videbantur quidem Feſtivitati Paſchali congruæ, ſive veræ & accuratæ Dominicæ Paſchales, ſed tales, judice Photio, revera non erant. Quod conſequens prioris erat, nam mutata Lunâ XIVa Paſchali, mutantur etiam, licet non ſemper, ſæpiſſime tamen, Dominicæ Paſchales. Vide Maximum in Computo ſuo, Parte 2da.

Hanc eſſe Photii mentem, patet ex iis, quæ ſtatim ſubjungit; in quibus dictorum ſuorum rationem reddit: *neque enim* (inquit) *nunc Eccleſia, neque vetus traditio illis* (*diebus*) *apparet uſa eſſe.* Quibus verbis duo dicit, primo, quod Eccleſia ſui temporis ταύταις ἡμέραις ἑορταστικαῖς, quas ipſe Metrodorus accuratas putabat, & quæ juxta illum ſic dictum accuratum Lunæ XIVæ computum inventæ ab ipſo erant, non fuerit uſa, celebrando feſtivitatem Paſchalem in illis diebus. Secundo, quod etiam vetus Eccleſia illis diebus non fuerit uſa, ſaltem hoc ipſi (Photio) ex veteris Eccleſiæ traditione non apparere. Unde quam clariſſime patet, Photium habere illum Metrodori Lunæ XIVæ computum non pro computo revera accurato, ſed pro falſo ſic dicto, & ab Eccleſia minime recepto; & dies illos feſtos, ope hujus computi ab ipſo inventos, non pro veris, ſed pro putatitiis Dominicis Paſchalibus, & ab Eccleſia minime celebratis, reputare. Imo inde patet, Photium ex eo, quod neque Eccleſia, quæ tunc erat, neque Eccleſia vetus illis diebus uſa fuerat, concludere, quod ille Metrodori computus ad inveniendum Lunas XIVas, falſo accuratus dicebatur, & quod illi dies feſti, ope hujus computi a Metrodoro inventi, putatitii, tantum dies Paſchales erant: Si enim ille Computus revera accuratus eſſet, & dies illi feſti, per illum Computum inventi, revera accurati eſſent, Eccleſia, judice Photio, vel vetus illos dies recepiſſet & ſervaſſet, de quo tamen nihil ex traditione conſtabat, vel ea, quæ tunc erat, eas reciperet, & ſervaret, quod tamen hactenus non fecerat.

His accedit, quod Photius hoc ſuum de Metrodori Computo & Cyclo Paſchali judicium quodammodo videatur confirmare, quando Codice CXVI, p. 293, lin. 20, in recenſione Operis ab incerto Auctore de Paſchate conſcripti, ſic ait, οὗτος ὁ συγγραφεὺς ἐν τῷ τετάρτῳ τόμῳ, καὶ κατὰ Μετροδώρου ποιεῖται ἐλέγχους, *Hic Scriptor in quarto Tomo, etiam contra Metrodorum argumentatur*, vel *Metrodorum argumentis refutat.*

VIII. *Quis*

VIII.

Quis fuerit hic Metrodorus & quando vixerit.

Pagius in Differtatione de Periodo Græco-Romana, §° 19°, p. 7ª, poftquam mentionem feciffet Cycli Pafchalis, 532 annorum, ab Aniano editi, hæc addit: *Sed ea Periodus Aniano antiquior. Photius enim in Bibliotheca ait, Metrodorum compofuiffe Periodum DXXXII annorum, eamque a primo Diocletiani anno incepiffe. Qui Metrodorus idem fuiffe videtur cum illo, quem Hieronymus in Chronico prodit vixiffe temporibus Conftantini Magni, & de quo fcribit: Metrodorus Philofophus agnofcitur.*

Sed hæc de antiquitate hujus Cycli, & de ejus Auctore Metrodoro Philofopho illo, cujus ad annum XXIV Conftantini M. meminit Hieronymus, gratis a Pagio dicuntur.

Nam, præterquam, ut recte monet Car. Du Frefne loco mox citando, quod merito dubitari poffit ex iis, quæ de illo Metrodoro Perfa Philofopho narrat Cedrenus, & alter Anonymus in Chronico MS° ab Adamo ad Leonem Sapientem, anno XXI Conftantini M., an illius bujusmodi inftitutum extiterit, & quod fola nominis convenientia nullius momenti fit, unde quæfo Pagius hoc colligit, quod hic Metrodorus, ejusque Periodus 532 annorum antiquior fit Aniano & Periodo 532 annorum ab eo compofita, an ex eo, quod Metrodorus Periodum fuam inceperit a primo Diocletiani anno; fed eodem fundamento colligeres Periodum Victorii multo antiquiorem effe Periodo Metrodori, quia Victorius eam ab anno crucifixionis Chrifti incepit, & fimiliter Periodum Aniani longe antiquiorem effe Periodo Victorii & Metrodori, quia Chrifto nafcente annus Periodi Anianæ 181ᵘˢ jam labebatur.

Carolus Du Frefne in Præfatione ad Chronicon Pafchale, §° 31. p. 26. plures alios Metrodoros commemorat: nemini autem eorum hunc Cyclum Pafchalem adfcribit. Sed in genere dicit hunc Metrodorum fibi videri Scriptorem antiquum, & Alexandrinum, vel Ægyptium, quia Æram Diocletianæam adhibuit, quæ Alexandrinorum propria erat, & quia Photius fcribit ipfum collegiffe κατὰ τὴν λεγομένην ἀκριβῆ τῆς Τεσσαρεσκαιδεκάτης ψηφοφορίαν, ἡμέρας. ὅσα τὸ δοκεῖν, ἑορτασικάς. Obfervat tamen Photium fubjungere οὔτε νῦν ἡ Ἐκκλησία, οὔτε ἡ παλαιὰ παράδοσις ταύταις φαίνεται κεχρημένη, & dicit inde patere, Computum illius Ecle-

clesiasticum & Paschalem non usquequaque ab omnibus fuisse receptum.

Ubi Du Fresne, non considerans illud λεγομένην, & illud ὅσα τὸ δοκεῖν, videtur intelligere Computum Lunæ XIV^{æ} revera accuratum, sive Computum Lunæ XIV^{æ} Alexandrinorum, qui pro accurato habetur, alias enim non video, quomodo ex his Photii verbis colligat Metrodorum fuisse Alexandrinum; sed ille Alexandrinorum Lunæ XIV^{æ} Computus receptus erat, & Lunis XIV^{is} per illum Computum inventis Ecclesia tempore Photii utebatur, & Ecclesia vetus jam per longam seriem temporis iis usa fuerat in Oriente, & etiam satis diu in Occidente.

Præterea Du Fresne vim eorum, quæ Photius subjungit, non animadvertit, & illud γὰρ, quo cum præcedentibus connectuntur, non consideravit. Photius enim non tantum indicat Computum illius non *usquequaque ab omnibus* fuisse receptum, sed illius Lunas XIV^{as} & Dominicas Paschales, ope istius sic dicti accurati Computi inventas ab usu Ecclesiæ, tam sui temporis, quam Veteris, plane excludit.

Argumentum ab Æra Diocletianæa desumptum, ex quo Du Fresne colligit Metrodorum fuisse Alexandrinum vel Ægyptium, habet suam speciem & probabilitatem.

Mea de Metrodoro, ejusque ætate sententia hæc est:

1° Quis fuerit hic Metrodorus, mihi, æque ac Photio, plane incompertum est.

2° An fuerit Alexandrinus, vel Ægyptius, nec nego, nec affirmo. Usum Æræ Diocletianææ locum dare probabili conjecturæ, quod fuerit Alexandrinus vel Ægyptius, agnosco.

3° Ex eo, quod Cyclum suum Paschalem 532 annorum inceperit a primo Diocletiani anno, minime colligi potest, eum vixisse, non diu post Diocletianum, temporibus Constantini, adeoque eum Aniano & Theophilo antiquiorem esse.

4° Imo ex ejus Cyclo ætas ejus determinari non potest: Cyclus enim ille, iniens circa finem seculi 3^{tii}, & exiens in initio seculi 9^{ni}, permittit, ut Auctor ejus vixerit seculo 5°, 6°, vel 7°, &c.

5° Ætas ejus determinari debet ex iis, quæ Photius de ejus Cyclo dicit, & in quibus judicium suum de illo Cyclo indicat, quæ supra, §° 7, videri possunt.

6° Ex illo de hoc Cyclo Photii judicio, videtur colligi posse, eum multo esse recentiorem, quam viris doctis visum est, nempe eum vixisse illis temporibus, quando defectus Enneadecaëteridis Alexandrinæ jam

 cœperat

cœperat animadverti, & quando illi, qui hunc defectum obſervaverant, de ejus correctione cœperant cogitare, eumque in finem, privatim tamen, novum & ſingularem Lunæ XIVæ computum excogitarant, quo oſtendere conabantur, Cyclum Lunarum XIVarum, in Enneadecaëteride Alexandrina conſtitutum, & ab Eccleſia receptum, & jam a longo tempore uſurpatum ad prodendas Dominicas Paſchales, a rei veritate & veris Lunæ motibus aberrare, & veras Lunas XIVas, ſi non ſemper, ſaltem ſæpius, cadere in alios menſium dies, quam quibus in Enneadecaëteride affixæ erant, & per conſequens etiam Dominicas Paſchales ſæpius in aliis menſium diebus celebrandas eſſe, quam in quibus ab Eccleſia, juxta Enneadecaëteridem receptam, celebrabantur; & hunc ſuum novum & ſingularem Lunarum XIVarum Computum *dicebant* & *vocabant accuratum Lunæ XIVæ Computum*, & Dominicas Paſchales, quæ ope hujus ſic dicti accurati Lunæ XIVæ Computi prodebantur, *putabant* veras eſſe & legitimas: Hæc autem Eccleſiæ non obtrudebant, multo minus in uſum publicum introducebant, ſed privatim tantum in ſcriptis ſuis ad ulteriorem conſiderationem Eccleſiæ proponebant; atque interim una cum Eccleſia Paſcha more ſolito in diebus conſuetis celebrare pergebant. Non potuere autem hæc ſua placita Eccleſiæ perſuadere, ſaltem non potuere hoc efficere, ut Eccleſia ea in publicum uſum reciperet, & a more & diebus conſuetis recederet.

7° Modo dicta confirmari poſſunt ex Maximi Computo, quem verſus medium ſeculi 7mi conſcripſit: in quo Computiſtarum hujus generis meminit, quos πενταπλεῦντας καὶ ἑξαπλεῦντας vocat, qui tali ſic dicto accurato Lunæ XIVæ Computo utebantur, quem Maximus deſcribit, & contra quos ποιεῖται ἐλέγχους. Parte 1a, C. 16. 11. & 12. & Parte 2a tota. Vide noſtras in Maximi Computum Obſervationes.

8° Hæc porro confirmantur ex Iſaaci Argyri Computo, quem anno Chriſti 1373 conſcripſit, Cap. 6°, quod inſcribitur, *de Canonii incertitudine*. ex quo quam clariſſime patet, quod recte Photius dicat quod neque Eccleſia ſui temporis, neque Eccleſia anterioris temporis illis diebus feſtis, per illum ſic dictum accuratum Lunæ XIVæ Computum, inventis uſa fuerit, cum ne quidem Iſaaci Argyri tempore ullam correctionem, errore licet agnito, Eccleſia Græca admiſerat.

DE

DE
PSEUDO-ANATOLII,
ET
VERI ANATOLII
CANONE PASCHALI.

PRÆFATIO
AD
ANATOLII CANONEM PASCHALEM, A BUCHERIO EDITUM.

I.

BUcherius hunc *Anatolii Canonem Paschalem primus edidit in de Doctrina temporum commentario in Victorium Aquitanum, aliosque antiquos Canonum Paschalium Scriptores,* qui prodiit Antverpiæ 1634, in folio, p. 433.

II.

Hunc *Anatolii Canonem edidit Latine ex Veteri Codice MS*to *Jacobi*

Sir-

Sirmondi, in quo varia veterum Patrum de ratione Paſchali Opuſcula continebantur. Ut in Præfatione ad Lectorem, p. XII, & XV, dicit Bucherius.

III.

Græca quædam Anatolii, ex Euſebii Hiſt. Eccl. L. 7. C. 26. (mihi, C. 32.) Textui Latino Bucherius de ſuo adpoſuit.

IV.

Textum hujus Canonis Latinum, quem Bucherius ſupponit ex Græco eſſe verſum, ſtatuit eſſe ex verſione Rufini, in Com. in hunc Canonem C. I. p. 450. Quod de iis, quæ ex Euſebio huic Canoni inſeruntur, forte in genere concedi poteſt: de integro autem hoc Canone Latino nullo nititur fundamento.

V.

Bucherius in ſua ad Lectorem Præfatione p. XV, in initio, ſic ſcribit: *Anatolii Canonem, quem idem Sirmondi Codex obtulit, an his adderem, diu dubitavi. Vix enim talem a tanto viro fœtum emanaſſe, credere poteram, vix etiamnum credo. Quis enim Anatolium ſeriem annorum Biſſextilium ignoraſſe, & 19 annis nonniſi bina Biſſexta indulſiſſe, ſibi perſuaſerit! Quis ſui etiam ævi novilunia biduo plerumque prævertiſſe, crediderit? quæ tamen in hoc Canone committi videmus. . . . Adpoſui nihilominus; non immemor Patribus antiquis, in tanta adhuc rerum ſimilium caligine, tanta Lunæ anomalia, multa ejus generis humanitus excidiſſe. Et Euſebius, Beda, alii non pauca ex Anatolii Canone memorant, quæ ad verbum noſter iſte repræſentat; ut Commentario noſtro demonſtramus, &c.*

In Commentarii in hunc Canonem Capite I°, p. 450–452. expreſſe inquirit: *Sitne genuinus Anatolii Canon iſte Paſchalis.*

Ex principiis (inquit) *quidem ſane paradoxis, præterque communem eorum, qui de Paſchate Chriſtiano ſcripſerunt, opinionem conſtitutis, qui Canon hic præ ſe fert, videri forte poſſit adulterinus & ſuppoſititius; & alterius potius quam Anatolii tam laudati, tam Catholici Scriptoris. Ut ex multis hic interim pauca ſeligam; Paſchæ Dominicam Luna XIV^a^ nullo ſcrupulo indicat, &c. Præterea eamdem Paſchatis Dominicam a 13 Luna,*

*Luna, ſaltem exeunte, in XX*am *duntaxat diffundit, &c. Adhæc literas Dominicales, & Biſſextum, aliave pleraque tam confuſe conſtituit, ut non docti alicujus & Sancti Patris, qualem ſupponunt omnes Anatolium, ſed rudis & ignari, forteque a veritate Catholica devii Scriptoris potius eſſe videatur. De quo plura mox Cap.* 3°.

Germanum (ſic pergit) *nihilominus Anatolii partum fortius hæc evincunt. Primo Euſebii Cæſarienſis, qui eum videre potuit, auctoritas: quique non exile Canonis hujuſce fragmentum Anatolii nomine profert, plane huic Opuſculo conforme, niſi ubi fides vacillat interpretis. Idem facit & Beda, initio Libelli de Æquinoctio, & de ratione temporum Capite* 4°. *Deinde Colmannus Scotorum Epiſcopus, apud eundem Bedam, Lib.* 3°, *Hiſt. Anglorum Eccleſ. Cap.* 25° *Anatolium virum, ut ait, Sanctum, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica laudatiſſimum, a XIV*a *Luna ad XX*am *Paſcha celebrandum tradidiſſe, aſſerit. Quod etiam Catholicus Anglorum Presbyter Wilfridus, contra Colmannum pro Paſchate Alexandrino diſputans, non modo admittit, ſed & inſuper a XIII*a *Luna ad veſperam ſubinde Paſcha Scotos inchoare exprobrat, quod ex hujuſce Canonis Anatoliani rationibus nonnunquam effici neceſſe eſt. Denique Beda ipſe pleraque ad verbum ex hoc Canone ſæpius exſcribit, & Anatolio attribuit. Nam primum toto fere de Æquinoctio libello, ita de Anatolii in figendo Æquinoctio ſententia diſputat, ut quivis facile pervideat, iſthæc eum non aliunde quam ex hoc etiam mendoſo corruptoque Canone Latino haurire potuiſſe. De quo nos uberius Capite ſequenti. Rurſum idem Beda de Ratione temporum, Capite* 40°. *diſertiſſime Saltum Lunæ abs Anatolio, non in fine vel Capite Cycli decemnovennalis, ſed anno ejus decimo quarto, qui eſt ultimus Ogdoadis, collocari ſcribit: faciens, inquit, illam adſcendere (ſeu ſaltare) in Æquinoctio, de octava in viceſimam. Quod idem plane Canonis hujus exhibet diagramma. Denique clariſſime idem Beda, eodem Libro de Ratione Temporum, Cap* 33°. *Canonem hunc Anatolianum verbis hiſce confirmat: Sed & homo Eccleſiæ Sanctus Anatolius, in opere ſuo Paſchali, cum de Æquinoctiis & Solſtitiis, deque horarum ac momentorum incrementis ſubtiliſſime diſputaſſet; ita diſputationem ſuam, ſimul & ipſum libellum terminavit: Hic autem non ignores, quod ipſa quatuor, &c. Hæc ille, quæ plane eadem & extrema ſunt hujusce Canonis noſtri verba, cui proinde non parvam fidem adſtruunt.*

VI.

Idem Bucherius in Commentarii in hunc Anatolii Canonem Cap. 2do, recte probat in Canone Anatolii Latino Æquinoctium figi in Martii die 25°. Sed quia ipsi obstabant Græca Eusebii verba, statuit *Eusebium*, in Historia Eccles., *diem pro die mutasse*, & pro Martii 25° substituisse Martii 22um, *ut Anatolium ad Concilii Nicæni sententiam quam proxime revocaret*. Quod jam Bedæ objectum, sed non persuasum fuit. Addit Bucherius, quod hujus corruptionis illatæ etiamnum in Textu hujus Canonis Latino non desint vestigia.

VII.

Idem Bucherius in Commentarii sui in hunc Anatolii Canonem Capite 3° aliquot recenset Anatolii Paradoxa.

A ceteris computistis (inquit) *tam Latinis*, *quam Alexandrinis*, *in Sole*, *& Luna multum differt Anatolius.*

In Sole quidem

Primo, quia Æquinoctium in Martii die 25° figit, & citimam Dominicam Paschalem non nisi secundo, ab Æquinoctio Martii 25° commisso, die, seu Martii 27° constituit.

Secundo, literas Dominicales & Bissexta longe alia ratione dispensat. Nam e novendecim annis Bissextiles duntaxat duos ponit, VIIum scilicet & XVIIum. Ut in Tabula ejus Paschali videre est. Proinde Paschales Dominicas veris difformes, quæque sæpius in Ferias simplices incurrunt, instituit. Certe nonnisi quatuor prioribus Enneadecaëteridis suæ annis, item 7°, & 8° cum veritate consentit, nisi forte casu juvetur.

In Luna autem adhuc magis differt.

Primo, quia, qui Enneadecaëteridos primus ipsi est annus, Alexandrinis est undecimus . . ab anno siquidem Vulg. Christi Epochæ 276° Cyclum suum orditur, octo ante Alexandrinum annis.

Secundo, differt in Saltu Lunæ. Hunc enim Alexandrini anno Cycli sui decemnovalis 19° . . . constituunt. Ipse XIV° item suo, ut ex ejus Tabulis patet. &c. (In eo, quod Bucherius de Cyrillo addit, vehementer errat, loquitur enim Cyrillus de Saltu Lunæ in anno Cycli LXXXIV annorum, unoquoque 140).

Tertio, dissidet in ipso aureorum numerorum situ, & quod inde sequitur

quitur in ætate Lunæ determinanda &c. Ubi obſervat, anno Cycli Anatoliani 1° Neomeniam cadere Martii 30°, ut ex Tabula patet. p. 458. Sed ex iis, quæ dicit Anatolius in Canone §° IX, videri Neomeniam, ſeu aureum numerum cadere in Martii 1. & 31. p. 459, 60. interim examinat illa verba Bedæ de ratione Temp. C. 40°, *qui eſt ultimus Ogdoadis*, p. 458, 59.

Quarto, differt Anatolius in Capite & fine primi menſis, &c.

Quinto, differt in Lunæ ætate Dominicæ Paſchali aſſignanda, &c.

Sexto, differt Anatolius in ipſa Paſchalis Cycli revolutione, quam, cum non niſi annis 532 abſolvi certum ſit, Lunari Cyclo ſcilicet in Solarem ducto, ſeu XIX annis in XXVIII. Ipſe tamen eam annorum XIX intervallo concludit, ratus, opinor, pares eſſe Quartadecimarum & Dominicarum Paſchalium revolutiones, quæ toto cœlo differunt, &c.

Hæc omnia (inquit Bucherius) *Anatolii placita, quam Paradoxa ſint, nemo non videt. Et illis quidem magnam in Lectoris intellectu confuſionem oriri neceſſum eſt. Prorſus ut an Anatolii tanti viri eſſe poſſint, non immerito quæſiverimus. Sed tot Bedæ, adeoque Euſebii teſtimonia, quæ eadem verba referunt, & Manuſcriptus Codex dubitare vetant, ut ſupra vidimus. Ego quidem* (*ſic pergit Bucherius*) *vix in uſum inductum exiſtimo, niſi forte ad paucos annos Laodiceæ, ubi Anatolius fuit Epiſcopus, aut vicinis etiam locis. Diu enim ſubſiſtere non potuiſſe, vel ſolæ literæ Dominicales, tanto errore collocatæ, ſatis arguunt.*

VIII.

Quod me attinet: ex veterum de Anatolio teſtimoniis, quæ Bucherius huic Canoni Latino præmiſit, *Euſebii* ſcilicet, *Hieronymi*, & *Honorii Auguſtodunenſis*, conſtat Anatolium, genere Alexandrinum, Laodiceæ in Syria Epiſcopum, fuiſſe virum eruditiſſimum, & in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, aliiſque doctrinis peritum, idque inprimis apparere in Libro, quem de Paſchate ſcripſit.

IX.

Præterea paradoxa non tantum, ſed abſurdiſſima ſunt, quæ in Canone illo Latino, a Bucherio edito, admittuntur. Exempli gratia

1° Spatio XIX annorum, non tantum Lunas XIVas, ſed etiam Dominicas Paſchales in orbem redire.

2° Duos

2° Duos tantum dies Biſſextiles in XIX annis inſeri.

3° Ferias in die Æquinoctii, ſpatio XIX annorum, tantum quinquies vel ſexies recte indicari: & ipſum Paſchatis diem, ſpatio XIX annorum, tantum quinquies vel ſexies, in die Dominica indici.

Hæc Anatolium Laodiceæ Epiſcopum, tantum & tam eruditum virum, potuiſſe admittere, & ejusmodi Canonem ab Euſebio ita potuiſſe laudari, non credo: mirorque Bucherium ſibi hoc potuiſſe perſuadere: nullum enim exemplum occurrit, *patribus antiquis ſimile quid hujus generis humanitus excidiſſe.*

X.

Teſtimonia Colmanni, Wilfridi, & Bedæ, a Bucherio Cap. 1° adducta, probant quidem Canonem hunc Latinum, ſub nomine Anatolii, ſeculo 7°, in Britannia, jam extitiſſe, ſed non probant Germanum veri Anatolii fuiſſe fœtum, licet hi boni viri eum bona fide & facili credulitate, rem non preſſius examinantes, pro genuino veri Anatolii partu habuerint.

Præterea impoſtor ille, qui hunc Canonem Latinum Anatolio ſuppoſuit, facile illud fragmentum ex veri Anatolii Canone Paſchali, apud Euſebium in Hiſt. Eccleſ. L. 7. Cap. 26. (mihi Cap. 32) potuit inde, ex verſione Latina, deſumere, & in ſuum Canonem ſuppoſititium transferre.

Adeoque mirum non eſt Amanuenſem, qui Codicem Jac. Sirmondi deſcripſit, & in eo varia Veterum Patrum de ratione Paſchatis Opuſcula collegit, hunc Canonem Latinum, qui ſub nomine Anatolii circumferebatur, in ſuo illo MS^to^ Anatolio attribuiſſe.

X I.

Præterea & hoc notandum, quod impoſtor ille, qui hunc Canonem Latinum Anatolio ſuppoſuit, verba Euſebii ex Hiſt. Eccl. L. 7. C. 32. referens, ea, juxta placita ſua, imprudenter licet, immutaverit.

Euſebius, verba Anatolii adducens, Græce ita ſcribit: ἔχει τοίνυν ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει τὴν νουμηνίαν τοῦ πρώτου μηνός, ἥτις ἁπάσης ἐστὶν ἀρχὴ τῆς Ἐννεακαιδεκαετηρίδος, τῇ καθ' Αἰγυπτίους μὲν Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι, κατὰ δὲ τοὺς Μακεδόνων μῆνας Δύστρου δευτέρᾳ καὶ εἰκάδι, ὡς δ' ἂν εἴποιεν Ῥωμαῖοι πρὸ

ἕνδεκα

ἕνδεκα Καλανδῶν Ἀπριλίων. εὑρίσκεται δὲ ὁ ἥλιος ἐν τῇ προκειμένῃ Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι οὐ μόνον ἐπιβὰς τοῦ πρώτου τμήματος, ἀλλ᾽ ἤδη καὶ τετάρτην ἡμέραν ἐν αὐτῷ διαπορευόμενος.

Hæc in Canone Latino hoc modo leguntur: *Eſt ergo in primo anno initium primi menſis, quod eſt XIX annorum circuli principium, ſecundum Ægyptios quidem menſis Phamenoth XXVI die; juxta Macedones vero Dyſtri menſis XXII die; ſecundum Romanos vero Martii menſis XXIII,* (legendum, cum Beda, XXV) *id eſt, VIII Kalendas Aprilis. In qua die non ſolum invenitur Sol conſcendiſſe primam partem, verum etiam quadram Lunam* (vox *Lunam* videtur ſuperflua, & apud Bedam non reperitur) *jam in ea die habere.*

Hic vides diem menſis Romanorum Martii ab impoſtore eſſe mutatum, quia Æquinoctium in die VIII Kal. Apr. ipſe figebat, ſed diem menſis Ægyptiorum Phamenoth, & Macedonum Dyſtri imprudenter in ſtatu ſuo eſſe relictum.

Beda in Libello de Æquinoctio, ſeu in Epiſtola ad Withredam Presbyterum (inter Opuſcula Bedæ a Johanne Noviomago, Coloniæ 1537, in folio, edita fol. XCVII) in initio, *ſic ſcribit: Sed & quæſtionem illam merito famoſam de hiſtoria Eccleſiaſtica ſuper qua me interrogaſti præſentem, cui tunc breviter, ut potui, reſpondi, nunc latius explicare etiam ſtudui, hoc eſt de Æquinoctio verno, quod in Libro præfato Anatolius antiſtes reverendiſſimus in XI Kalendas Aprilis die* (Martii 22°) *annotaſſe perhibetur, cum cæteri Ægyptiorum magiſtri hoc magis in XII Kalendarum earundem die* (Martii 21°) *annotandum eſſe decernant.* Et poſt pauca ſic pergit: *Unde te merito, ſicut & cæteros movet ſtudioſos, quomodo Anatolius, cum ſit & ipſe eruditione ac genere Ægyptius, quaſi contrarius Ægypti doctoribus, ſcribat, Æquinoctium idem in XI Kal. April* (Martii 22°) *occurrere ſolere: eſt ergo* (*inquiens*) *in primo anno initium primi menſis, quando eſt X & IX annorum circuli initium, ſecundum Ægyptios quidem menſis Phamenoth XXVI die; ſecundum Romanos vero XI Kalendas Apriles. In qua die invenitur Sol non ſolum conſcendiſſe primam partem, verum etiam quadram jam in eadem die habere, id eſt, in prima ex XII partibus. Hæc autem particula vernale eſt Æquinoctium, & ipſa eſt initium menſium & caput circuli, & abſolutio curſus ſtellarum, quæ planetæ, id eſt, vagæ dicuntur, & finis XII particulæ, & totius circuli terminus.* Confer Bedam de natura rerum & temporum ratione, C. VI. edit. Joh. Noviomagenſis, fol. XXXVI.

Et poſt multa, in quibus Anatolii ſententiam cum Ægyptiorum conciliare

ciliare conatur, ſic ſcribit fol. XCVIII: *Sed neque hoc prætereundum, quod ſunt, qui contendunt, Anatolium in hac ſententia nequaquam undecimum, ſed octavum Kalendarum Aprilium diem poſuiſſe, dicentes, Euſebium, cum hanc ſententiam in Hiſtoria Eccleſiaſtica poneret, diem pro die mutaſſe, & quod cætera bene ac philoſophice poſita videret, uno verbo corrigere voluiſſe, quod in ea minus perfecte dictum conſpexerit, ne illum videlicet, quem laudare propoſuerat, palam culpabilem monſtraret, ſi ejus pura, & ut ipſe ſcripſerat, ſuis inderet hiſtoriis.* * Hanc objectionem adoptavit Bucherius. Sed, ſi Euſebius diem pro die mutavit, cur non ſcripſit XII Kal. Apr.

Ad hanc Objectionem Beda reſpondens, ſic pergit: *Sed mirum ſi Euſebius, tam circumſpectus ſermone & ſenſus Scriptor, in tantum laudis aliorum potuit eſſe cupidus, ut eorum Scripturis deflagrans, ea, quæ non dixerant, illos dixiſſe finxerit, nec formidavit argui, poſtquam lectores ſui integra eorum Opuſcula perſcrutarentur.* Et poſt pauca: *Itaque veriſimile videtur, Euſebium quidem, quod in Græca auctoritate inveniret, fideliter ſuis indidiſſe hiſtoriis. Ipſum vero libellum Anatolii poſtmodum in aliquibus Latinorum exemplaribus eſſe corruptum, eorum nimirum fraude, qui Paſchæ verum tempus ignorantes, ſuam tanti patris autoritate defendere geſtirent.* Deinde novam eorum Objectionem proponens, ſic pergit: *Sed quærunt illi, qui Euſebium magis unam emendaſſe ſententiam, quam alibi quilibet totum Anatolii putant infalſaſſe libellum, quomodo in illo libello ſit ſcriptum: Sed quid mirum, ſi in XXI Luna erraverint, qui III dies addiderunt ante Æquinoctium, in quibus Paſcha immolari poſſe definiunt, quod certum omnimodis putari abſurdum.* * Hæc verba leguntur in Canone Latino, §° V. Ad hanc Objectionem Beda reſpondens, hæc addit: *Quibus reſpondendum, quia Anatolius potuerit noſſe plurimos, qui ſic vel ſic de Paſcha ſenſerint, nec tamen ad noſtram notitiam pervenerint.* Et Objectionem retorquens, ſic pergit: *& econtra quærendum ab eis, quomodo in ipſo libello ſit ſcriptum: Eſt ergo in primo anno initium primi menſis, quod XIX annorum circuli initium, ſecundum Ægyptios quidem menſis Phamenoth XXVI die, juxta Macedones vero Dyſtri menſis XXII die, ſecundum Romanos vero Martii menſis XXV die, id eſt, VIII Kalendas Aprilis. Cum XXVI dies menſis Phamenoth, & XXII dies menſis Macedonum Dyſtri, non ſit VIII Kalendarum Aprilium, ſed XI Kal. April. nonne veriſimillimum apparet, quam ſit falſata ſententia, ubi ipſe qui VIII Kal. pro XI Kal. April. mutavit, oblitus eſt etiam Ægyptiorum vel Græcorum menſium ſtatum mutare; ſed his, quæ minus nota erant,*

erant, *manere permisit ut fuerunt*, *illud solummodo*, *quod suis sibique visibile erat*, *mutavit. Quid sane horum sit verius*, *illi potius*, *qui Anatolium Græcum legunt*, *videant. Verum si* (forte legendum, *sive*) *Eusebius unam sententiam*, *seu quilibet totum ipsum libellum a suo statu mutaverit. Constat autem absque ulla dubietate*, *quamvis plurima verterit*, *Æquinoctium VIII Kalendarum Aprilium die nequaquam posse reperiri. Quod &c.*

XII.

Porro etiam & hoc observamus, quod impostor ille, qui hunc Canonem Latinum Anatolio supposuit, & veri Anatolii fragmentum, apud Eusebium, ex Historiæ Ecclesiasticæ Latina versione desumtum, suo Libello inseruit, & in eo pro XI substituit VIII Kalendarum Aprilium, non animadvertit Eusebium expresse testari, *quod Anatolius in primo Enneadecaëteridis suæ anno Neomeniam primi mensis habeat in XI* (pro quo substituit VIII) *Kal. April.* Ipse enim in sua *Tabula Paschali*, *in anno Cycli sui primo Neomeniam primi mensis habet*, *non VIII*, *sed III Kal. Aprilis:* satis imprudenter. Vide Dissertationem nostram de Anatolii Canone Latino, §° 32. & ad Anatolii Græca apud Eusebium, §° 3.

XIII.

Denique Pseudo-Anatolius ille, oblitus cujus sustinere deberet personam, *inter majores suos numerat etiam Hieronymum & Isidorum*, *Hebræorum & Græcorum Librorum peritissimos*, in Canonis sui §° 1. Vide Dissertationem nostram de Anatolii Canone Latino, a Bucherio edito, §° 36.

XIV.

Hæc, meo judicio, sufficere poterunt, ad probandum, quod Canon ille Latinus, a Bucherio editus, sit opus spurium, & Anatolio ab impostore suppositum: & in hoc, ipsi Bucherio, si viveret, rem non ingratam fecisse, mihi videor. Bucherius enim eo inclinabat, sed eum, quasi invitum, retinebant Colmanni, Wilfridi, & imprimis Bedæ testimonia, in quibus ipsissima ex hoc Pseudo-Anatolii Canone Paschali Latino, referebantur verba.

XV.

His adjicere, visum est, ex Canone Paschali Latino, a Bucherio edito, ipsam Pseudo-Anatolii *Tabulam Cycli decemnovennalis:* eum in finem ut ea, quæ in sequenti Dissertatione dicentur, melius intelligantur.

Pseudo-Anatolii Tabula Paschalis.

	Æquinoctium	*Luna*	*Pascha*	*Luna*
1.	*Sabbato.*	XXVI.	XV Kal. Maji.	XVIII.
2.	*Dominica.*	VII.	Kalendis Aprilis.	XIV.
3.	*II Feria.*	XVIII.	XI Kal. Maji.	XVI.
4.	*III Feria.*	XXIX.	Idibus Aprilis.	XIX.
5.	*IV Feria.*	X.	IV Kal. Aprilis.	XIV.
6.	*V Feria.*	XXI.	XIV Kal. Maji.	XVI.
7.	*Sabbato.*	II.	VI Kal. Aprilis.	XVII.
8.	*Dominica.*	XIII.	Kalendis Aprilis.	XX.
9.	*II Feria.*	XXIV.	XVIII Kal. Maji.	XV.
10.	*III Feria.*	V.	VIII Idus Aprilis.	XV.
11.	*IV Feria.*	XVI.	IV Kal. Aprilis.	XX.
12.	*V Feria.*	XXVII.	III Idus Aprilis.	XV.
13.	*VI Feria.*	VIII.	III Nonas April.	XVII.
14.	*Sabbato.*	XX.	IX Kal. Maji.	XX.
15.	*Dominica.*	I.	VI Idus Aprilis.	XV.
16.	*II Feria.*	XII.	II Kal. Aprilis.	XVIII.
17.	*IV Feria.*	XXIII.	XIV Kal. Maji.	XIX.
18.	*V Feria.*	IV.	II Nonas April.	XIV.
19.	*VI Feria.*	XV.	VI Kal. April.	XVII.

Bucherius in *Addendis* & *Emendandis*, p. 497, col. 2. notat, quod
Anno 1°, pro *XV Kal. Maji*, sibi videatur legendum *XVI Kal. Maji.*
Anno 7°, in MS^{to}, pro *VI Kal. Aprilis*, legatur *VI Idus Aprilis*, sibi autem videri legendum *V Idus Aprilis.*
Anno 17°, pro *XIV Kal. Maji*, legendum esse *XIII Kal. Maji.*

D E

PSEUDO-ANATOLII,

CANONE PASCHALI;

A BUCHERIO EDITO.

I.

IN hoc Canone, in ejus columnâ ſecundâ, exhibentur Feriæ cum VIII Kal. Aprilis, hoc eſt, die Martii 25°, concurrentes. In illo enim die Auctor hujus Canonis Æquinoctium figit.

II.

Hæ Feriæ ita ordinatæ ſunt, ut ſpatio XIX annorum evoluto eædem recurrant, & eadem Paſchata in iisdem diebus reducant.

Nam in Cycli anno 1° cum Martii die 25° concurrit *Sabbatum*, ſeu Feria VIIª, & in Cycli anno 19° cum eodem Martii die 25° concurrit Feria VI. Adeoque anno 20°, ſeu Cycli ſequentis anno 1° iterum recurrit *Sabbatum*, ſeu Feria VIIª in eodem Martii die 25°, & ſic porro.

Hoc autem non caſu factum eſt, ſed ſtudio & ex intentione Auctoris; voluit enim talem Cyclum decemnovalem conſtruere, in quo non tantum eædem Lunæ, ſed & eædem Feriæ, atque eadem Paſchata in orbem redirent; ut ſatis clare videtur innuere §° 8°.

Atque hinc eſt, quod ſpatio XIX annorum tantum duos annos Biſſextiles admittat. Videlicet Cycli ſui annum 7ᵘᵐ & 17ᵘᵐ, ut ex ſerie Feriarum in die Martii 25° patet. Abſque hoc enim Feriarum recurſum in ſpatio XIX annorum obtinere non poterat.

III.

Ex his Feriis, cum die Martii 25° concurrentibus, ſtatim determinantur literæ hujus Auctoris Dominicales per omnes & ſingulos Cycli ejus annos; ſeu determinatur in quos menſium Romanorum dies incidat, juxta Auctorem, dies Dominicus, ſeu Feria Iª.

Exempli gratia. Si in Cycli anno 1° dies Martii 25us incurrit in Sabbatum, ſeu Feriam VIIam, erit in eodem anno dies Dominicus in Martii die 26°, & in Aprilis die 2°, 9°, 16° &c. Seu, quod eodem redit, quia Martii dies 25us ſemper notatur litera G, erit hoc anno litera Dominicalis A, juxta Auctorem.

Si in Cycli anno 2° dies Martii 25us incurrit in Dominicam, erit in eodem anno dies Dominicus in Aprilis die 1°, 8° &c, ſeu quod eodem redit, erit hoc anno litera Dominicalis G.

IV.

Convenienter illis Feriis, cum Martii die 25° concurrentibus, indicantur in hoc Cyclo Paſchata in illis diebus Dominicis, qui per has Ferias produntur & determinantur: ſeu, quod eodem redit, Dominicæ Auctoris Paſchales ſequuntur literas Auctoris Dominicales, quæ determinantur per illas Ferias, quas Auctor cum Martii die 25° concurrere fecit.

V.

In hoc Canone, in ejus columnâ tertiâ exhibentur Lunæ cum Martii die 25° concurrentes, ſeu exhibetur ætas Lunæ in illo die per omnes & ſingulos Cycli annos.

VI.

Ex hac ſerie Lunarum patet annum hujus Cycli 13um eſſe uno die defectivum; quod apparet in Luna anni 14ti, *quæ ex VIIIª ſaltat in XXam*; ut Beda dicit Libro de natura Rerum & ratione Temporum. C. XLII.

VII. *Hæ*

VII.

Hæ Lunæ, cum Martii die 25° concurrentes, produnt Novendecim Neomenias; ut per se patet. Nam

Luna in Martii die 25°		Neomeniam
XXVIª	prodit	Febr. 28.
VIIª	. . .	Mart. 19.
XVIIIª	. . .	Mart. 8.
XXIXª	. . .	Febr. 25.

& sic porro.

VIII.

Hæc series Lunarum ordine & rite procedit, & spatio XIX annorum evoluto eadem series recurrit. Nam Luna XVª in anno Cycli 19° prodit Lunam XXVIam in anno 20°, seu Cycli repetiti anno 1°.

IX.

In hoc Canone, in ejus columna quarta, exhibentur Dominicæ, juxta Auctorem, Paschales; seu dies mensium Romanorum, in quos Paschata, juxta Auctorem, incurrunt, qui, juxta Auctorem, debent esse dies Dominici, & ut tales, per Ferias, quas Auctor cum Martii die 25° concurrere fecit, produntur.

X.

Bucherius, *in Addendis & Emendandis*, p. 497. col. 2. hæc habet:

Primo, ad Pascha anni 1mi, quod indicatur XV Kal. Maji, notat, *videtur legendum* XVI.

Secundo, ad Pascha anni 7mi, quod indicatur *VI Kal.* April., notat *MS habere VI Idus*, *& legendum esse V Idus*.

Tertio, ad Pascha anni 17mi, quod indicatur XIV Kal. Maji, notat *legendum esse* XIII.

XI. *De*

X I.

De Paschate anni 1mi.

Pro XV legendum esse XVI Kal. Maji patet ex Feria VIIa cum Martii die 25° concurrente, quæ prodit Dominicam non XV, sed XVI Kal. Maji, lit. Dom. A. juxta Auctorem; & ex Luna Paschali XVIIIa, quæ (juxta placita Auctoris) Martii die 30° nata, non XV sed XVI Kal. Maji, fit XVIIIa. Vide infra §° 15, 16.

X I I.

De Paschate anni 7mi.

Luna in Martii die 25°, IIda daret VI Kal. April., hoc est, Mart. 27° tantum Lunam IVam in die Paschatis, quod absurdum est, & prodit errorem typographicum.

Pro VI Idus April. (ut in MS° legitur) legendum esse V Idus April., patet ex Feria VIIa cum Martii die 25° concurrente, quæ prodit Dominicam non VI sed V Idus April., lit. Dom. BA, juxta Auctorem; & ex Luna Paschali XVIIa, quippe eadem Luna, quæ Martii die 25° est IIda, fit XVIIa non VI Idus April., hoc est, Apr. 8, sed V Idus Apr., hoc est, April. 9.

X I I I.

De Paschate anni 17mi.

Pro XIV legendum esse XIII Kal. Maji, patet ex Feria IVa cum Martii die 25° concurrente, quæ prodit Dominicam non XIV, sed XIII Kal. Maji, lit. Dom. ED, juxta Auctorem; & ex Luna Paschali XIXa, quæ (juxta placita Auctoris) April. die 1° nata, non XIV Kal. Maji, hoc est, April. 18, sed XIII Kal. Maji, fit XIXa.

X I V.

In hoc Canone, in ejus columna quinta, exhibentur Lunæ Paschales, seu exhibetur ætas Lunæ in die Paschatis per omnes & singulos Cycli annos.

XV. Hæc

XV.

Hæ Lunæ Paſchales produnt Novendecim Neomenias, ut per ſe patet;

Nam

Anno	Paſcha		Luna	prodit Neomeniam	litera Dom.
1.	XVI Kal. Maji,	April. 16.	XVIII	Mart. 30.	A
2.	Kal. April.,	April. 1.	XIV	Mart. 19.	G
3.	XI Kal. Maji,	April. 21.	XVI	April. 6.	F
4.	Idibus April.,	April. 13.	XVIII	Mart. 27.	E
5.	IV Kal. April.,	Mart. 29.	XIV	Mart. 16.	D
6.	XIV Kal. Maji,	April. 18.	XVI	April. 3.	C
7.	V Idus Aprilis,	April. 9.	XVII	Mart. 24.	B A
8.	Kal. Aprilis,	April. 1.	XX	Mart. 13.	G
9.	XVIII Kal. Maji,	April 14.	XV	Mart. 31.	F
10.	VIII Idus April.,	April. 6.	XVII	Mart. 21.	E
11.	IV Kal. April.,	Mart. 29.	XX	Mart. 10.	D
12.	III Idus April.,	April. 11.	XIV	Mart. 29.	C
13.	III Non. April.,	April. 3.	XVII	Mart. 18.	B
14.	IX Kal. Maji,	April. 23.	XX	April. 4.	A
15.	VI Idus April,	April. 8.	XV	Mart. 25.	G
16.	II Kal. April.,	Mart. 31.	XVIII	Mart. 14.	F
17.	XIII Kal. Maji,	April. 19.	XIX	April. 1.	E D
18.	II Non. April.,	April. 4.	XIV	Mart. 22.	C
19.	VI Kal. April.,	Mart. 27.	XVII	Mart. 11.	B

In editione Bucherii legitur erronëe

	Luna
Anno 4.	XIX
—— 10.	XV
—— 12.	XV

XVI.

Ex iis quæ supra §° 15, & 7 dicta sunt, nascitur tale Schema Lunationum.

Anno						Ætas Lunæ in Kal. Jan.
1.	Dec. 31. *	Jan. 30.	Feb. 28. *	Mart. 30.		II
2.	— 20. *	— 19.	— 17. *	— 19.	. . .	XIII
3.	— 9. *	— 8.	— 6. *	— 8.	April. 6.	XXIV
4.	— 28. *	— 27.	— 25. *	— 27.	. . .	V
5.	— 17. *	— 16.	— 14. *	— 16.	. . .	XVI
6.	— 6. *	— 5.	— 3. *	— 5.	April. 3.	XXVII
7.	— 25. *	— 24.	— 22. *	— 24.	. . .	VIII
8.	— 14. *	— 13.	— 11. *	— 13.	. . .	XIX
9.	— 3. *	— 2.	Jan. 31. *	— 2.	Mart. 31.	XXX
10.	— 22. *	— 21.	Feb. 19. *	— 21.	. . .	XI
11.	— 11. *	— 10.	— 8. *	— 10.	. . .	XXII
12.	— 30. *	— 29.	— 27. *	— 29.	. . .	III
13.	— 19. *	— 18.	— 16. *	— 18.	. . .	XIV
* 14.	— 7. *	— 6.	— 4. *	— 6.	April. 4.	XXVI
15.	— 26. *	— 25.	— 23. *	— 25.	. . .	VII
16.	— 15. *	— 14.	— 12. *	— 14.	. . .	XVIII
17.	— 4. *	— 3.	— 1. *	— 3.	April. 1.	XXIX
18.	— 23. *	— 22.	— 20. *	— 22.	. . .	X
19.	— 12. *	— 11.	— 9. *	— 11.	. . .	XXI

Auctor autem Lunationes hoc modo ordinat, in Canone §° IX.

Anno						
1.	Jan. 1. *	Jan. 31.	Mart. 1.	Mart. 30.	April. 28.	I
2.	Dec. 21. *	— 20.	Feb. 18.	— 19.	— 17.	XII
3.	— 10. *	— 9.	— 7.	— 8.	— 6.	XXIII
4.	— 29. *	— 28.	— 26.	— 27.	— 25.	IV
5.	— 18. *	— 17.	— 15.	— 16.	— 14.	XV
6.	— 7. [illegible]	— 6.	— 4.	— 5.	— 3.	XXVI

& sic porro.

XVII.

XVII.

Ex collatione utriusque Schematis, ſupra §° 16 exhibiti, patet

1° Quod in Schemate ſecundo *Lunationes primæ*, *ſecundæ*, & *tertiæ* uno die protrudantur. Cujus rei cauſa videtur hæc eſſe, quod Auctor voluerit in anno Cycli 1° in Kalendis Januariis habere non Lunam IIdam, ſed 1am, ut ita annus Lunaris Cycli 1us & annus Solaris ab eodem die inirent.

2° Quod utriusque Schematis *Lunationes quartæ* & *quintæ* ab eodem die ineant. Et, ut Auctor hoc obtineret, Lunationes *Tertias* in Schemate 2do, ex Plenis fecit extra ordinem Cavas. Quo fit, ut Tres Lunationes Cavæ in initio anni ſe invicem ſequantur. Ne autem propterea annus fieret uno die defectivus, in ſequentibus Lunationibus unam fecit extra ordinem Plenam. Nam in Canone §° IX Auctor Lunationes anni in Cyclo 1mi ita diſponit

Anno	Lunatio	init		eſtque
1°	1a	Jan.	1.	Plena.
	2a	Jan.	31.	Cava.
	3a	Mart.	1.	Cava.
	4a	Mart.	30.	Cava.
	5a	April.	28.	Plena.
	6a	Maji	28.	Cava.
	7a	Jun.	26.	Plena.
	8a	Jul.	26.	Plena.
	9a	Aug.	25.	Cava.
	10a	Sept.	23.	Plena.
	11a	Oct.	23.	Cava.
	12a	Nov.	21.	Plena.
Anno	——			
2°	1a	Dec.	21.	

XVIII.

Auctor, dum Lunationes primas, ſecundas, & tertias uno die protrudit, admiſit tres Lunationes, quæ cum Lunis in die Martii 25° conſiſtere non poſſunt.

Nam Lunatio, quæ anno 1° init Mart. 1. non prodit in Martii die 25° Lunam XXVI^am^, ut oportebat, ſed Lunam XXV^am^ erronëe.

Item Lunatio, quæ anno 4° init Febr. 26, non prodit in Martii die 25° Lunam XXIX^am^, ut oportebat, ſed Lunam XXVIII^am^ erronëe.

Denique Lunatio, quæ anno 12° init Feb. 28., non prodit in Martii die 25° Lunam XXVII^am^, ut oportebat, ſed Lunam XXVI^am^, erronëe.

Quod Auctor per imprudentiam non animadvertit.

XIX.

Auctor procul dubio cauſam habuit prægnantem, propter quam Lunationes tertias fecerit extra ordinem Cavas, & Lunationes quartas & quintas noluerit uno die protrudere.

Ratio hujus rei videtur in eo quærenda, quod illas Lunationes quartas & quintas non ipſe primus ordinaverit, ſed ab aliis Computiſtis ita ordinatas invenerit.

Quod etiam inde patet, quod non annum Cycli ſui 19^um^, ſed 13^um^ habeat uno die defectivum.

Saltem hoc certum eſt, easdem illas Lunationes eodem ordine reperiri in illo Cyclo LXXXIV annorum, qui habet ſaltum Lunæ ſeu annum defectivum unoquoque anno XIV°, inde ab anno illius Cycli 58° incluſive, uſque ad 76^um^ incluſive. Confer Schema primum, ſupra §° 16° exhibitum, & imprimis ætatem Lunæ in Kalendis Januariis.

XX.

Ex collatione utriusque Schematis, ſupra §° 16 exhibiti, porro patet, me tres illas Lunas Paſchales, quæ ſupra §° 15, linea ſubducta notantur, recte correxiſſe. Nam

1° Luna, quæ anno 4° naſcitur Martii die 27°, fit in Aprilis die 13° non XIX^a^, ſed XVIII^a^.

2° Luna, quæ anno 10° naſcitur Martii die 21°, fit in April. die 6° non XV^a^, ſed XVII^a^.

3° Luna, quæ anno 12°, naſcitur Martii die 29°, fit in Aprilis die 11° non XV^a^, ſed XIV^a^.

XXI. Ex

XXI.

Ex collatione Schematis, quod §° 15 exhibetur, cum Schemate primo, quod §° 16 exhibetur, patet, quod, quando Luna in ultimis Februarii, & in prioribus Martii diebus nata, Paſchalis eſſe non pot- tum aſſumatur ſequens ex ordine Luna. Quod Latinorum proprium erat, & in Cyclo LXXXIV annorum, & in Periodo Victorii obtinet.

XXII.

Regulæ Auctoris Paſchales cognoſcuntur ex ejus verbis, §° VII, & XII. nempe

Paſcha celebrandum

- Die Dominica.
- Æquinoctio transvadato, quod figit VIII Kal. April., hoc eſt, Martii 25°.
- Lunâ XIV[a] uſque ad XX[am] (quod ubivis inculcat; & Anglis & Scotis, qui Cyclo LXXXIV annorum utebantur, proprium erat.)

XXIII.

Non requirit igitur, ut Lunæ XIV[æ] cadant poſt ſuum Æquinoctium, ſed hoc tantum requirit, ut Dominicæ Paſchales cadant poſt ſuum Æquinoctium, & Lunam XX[am] non excedant.

Quod etiam patet ex Paſchate anni 11[mi] quod indicit Martii die 29°, Luna XX[a]. Ubi Neomenia Paſch. cadit in Mart. 10, & Luna XIV[a] in Martii 23, ante ejus Æquinoctium, quod figit in Martii die 25°. Item ex Paſchate anni 19[ni], quod indicit in Martii die 27°, Luna XVII[a] Ubi Neomenia Paſchalis cadit in Mart. 11, & Luna XIV[a] in Mart. 24, ante ejus Æquinoctium.

XXIV.

Citimus itaque limes Dominicarum Paſchalium eſt VII Kal. April., hoc eſt, Martii dies 26[us]: quod etiam indicat §° 12°.

Nunquam tamen in ſuo Cyclo Paſcha indicit VII Kal. April., ſed citimum Paſcha indicit VI Kal. April., anno Cycli 19°. Unde etiam

5° X, Tabellæ suæ superscribit: *Hoc Pascha a VI Kalendas Aprilis usque in IX Kalendas Maji.*

Ultimus limes est IX Kal. Maji, hoc est, April. 23, in quo Pascha indicit anno Cycli 14°.

XXV.

Quater Pascha indicit Luna XIVª, nempe anno Cycli 2, 5, 12, & 18. Ter Luna XXª, nempe anno Cycli 8, 11, & 14. Et Lunam XXam nunquam excedit.

XXVI.

Quod attinet Neomenias Paschales: citima est, quæ cadit in Mart. 10. quæque semel occurrit anno Cycli 11°.

Neomenia in hoc Cyclo non occurrit in Martii die 9° & 7°.

Neomeniæ, quæ cadunt in Martii die 5° & 6°, non possunt esse Paschales, quia Lunam XXam dant vel ante Æquinoctium, Mart. 24, vel in Æquinoctio, Mart. 25.

Neomenia cadens in Martii 8, semel occurrit anno Cycli 3°, & licet ea det Lunam XXam post Æquinoctium, Mart. 27, non poterat tamen esse Paschalis, quia illo anno Cycli, Auctoris litera Dom. est F, quæ prodit Dominicam vel Mart. 24, ante Æquinoctium, vel Mart. 31, Luna XXIVª, utrumque contra Auctoris Regulas.

XXVII.

Computus Auctoris non procedit per Lunas XIVas, quemadmodum Hippolyti & Alexandrinorum, sed per ætatem Lunæ in Martii die 25°, quod propius accedit ad Computum Latinorum, & aliorum, qui Cyclo LXXXIV annorum utebantur, qui procedit per ætatem Lunæ in Kalendis Januariis.

XXVIII.

Si absurdissima illa Feriarum ordinatio in die Martii 25° admittatur, & Auctori concedatur, reliqua omnia consequenter inde profluunt. Posito, quod Æquinoctium cadat in Mart. 25, & Pascha celebrandum sit in die Dominica post Æquinoctium occurrente, juxta illas literas Dominicales,

nicales, quæ per has Ferias produntur. Æquinoctium autem antiqui Britones, Scoti & Hiberni, qui Cyclo LXXXIV annorum utebantur, VIII Kal. April., hoc est, Martii 25° fixisse videntur.

XXIX.

Beda in Libro de Natura rerum & Temporum ratione, Cap. XLII dicit, *quod Anatolius saltum Lunæ in decimo quarto Cycli sui anno, qui est ultimus Ogdoadis, posuerit, faciens illam ascendere in Æquinoctio de octava in vigesimam.*

Ex quibus verbis patet, qualis (juxta Bedam, qui hunc Canonem pro vero Anatolii fœtu habuit) concursus sit inter annos Enneadecaëteridis hujus Pseudo-Anatolii, & Alexandrinorum.

Nempe, juxta Bedam

Enneadecaëteridis Anatolii annus		Enneadecaëteridis Alexandrinorum annus
14us	est	8us
7us	——	1us
1us	——	14us.

Beda videtur hoc collegisse ex eo, quod Pseudo-Anatolius Enneadecaëteridis suæ anno 1°, & Alexandrini Enneadecaëteridis suæ anno 14° habeant utrique Neomeniam Paschalem III Kal. April. hoc est Martii 30°, & Lunam XIVam, II Idus April. hoc est, Aprilis 12°.

XXX.

Bucherius Enneadecaëteridis Pseudo-Anatolii annum 1um componit cum Enneadecaëteridis Alexandrinorum anno 11°.

Ubi occurrit

Anatolii

Neomenia Paschalis Martii die 30°

Alexandrinorum vero

Neomenia Paschalis Aprilis die 2°

cum Tridui differentiâ.

Hoc

Hoc autem nititur illa hypothesi, Anatolium Canonem suum Paschalem edidisse circa initium Imperii Probi, cujus Imperii annus 1^{us} incidit in annum Christi 276. & hunc Canonem Paschalem esse genuinum Anatolii fœtum.

Annum autem Christi 276^{um}, cum Probi anno 1° connexum, elegit Bucherius propter hujus & sequentium annorum literas Dominicales, ut saltem in prioribus Cycli hujus annis, Feriæ in die Æquinoctiali Martii 25°, rite se haberent, & veras Dominicas Paschales proderent.

Sed a genuino Anatolio ad hunc Pseudo-Anatolium nulla datur consequentia. quia longe post tempora veri Anatolii hunc Canonem suum Paschalem edidit Pseudo-Anatolius.

Præterea genuini Anatolii Enneadecaëteris initium ducit ab anno Christi non 276°, sed 277°: habet enim in Enneadecaëteridis suæ anno 1°, Neomeniam primi mensis, hoc est, mensis Paschalis die Martii 22°, ut ex Eusebii Hist. Eccl. L. 7. C. 32, clarum est. Annus autem Christi 277^{us} minime cum hoc Pseudo-Anatolii Canone, & Bucherii placitis congruit; foret enim in Luna primi mensis octidui differentia.

Quod autem attinet Bucherii argumentum, quod a literis Dominicalibus desumitur, & supponit hujus Canonis Auctorem, Ferias Æquinoctiales, saltem in Cycli sui prioribus annis, recte ordinasse, illud aliquam speciem habet ad probandum, quod hic Pseudo-Anatolius Canonem suum deduxerit a tali anno Christi, qui habet literam Dominicalem BA. Sed nihil præterea inde concludi potest. Nam licet annus Christi 276^{us} habeat lit. Dom. BA, idem quoque obtinet in unoquoque anno 28°, deinceps sequenti. Hæc autem suppositio Bucherii circa Ferias Æquinoctiales in prioribus Cycli annis recte ordinatas, licet aliquam probabilitatem habeat, non tamen magni momenti est in relatione ad hunc Canonem, qui tot absurditatibus scatet.

XXXI.

Si hic Pseudo-Anatolii Canon Paschalis deducatur a tali anno Christi, qui habet lit Dom. BA (quod facit Bucherius) tum Paschata in sex annis indicantur in die Dominica, nempe Cycli anno 1. 2. 3. 4. 7. 8.

Si autem deducatur a tali anno Christi, qui habet lit. Dom. A. ante GF. (quam habet Cycli 84 annorum, annus 58^{us}) tum semel tantum Pascha in die Dominica indicitur, nempe Cycli anno 10.

Si

Si vero deducatur a tali anno Chriſti, qui habet lit. Dom. B. poſt C. poſt E D. tum in octo ſe invicem ſequentibus annis, Paſcha in die Dominica indicitur, nempe Cycli anno 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Si denique deducatur a tali anno Chriſti, qui habet lit. Dom. D C. tum in ſeptem ultimis annis Paſcha in die Dominica indicitur, nempe Cycli anno 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

XXXII.

Hic Pſeudo-Anatolius, qui ea, quæ Euſebius de genuini Anatolii Enneadecaëteride habet, ſuo Libello inſeruit, & verba Euſebii mutans, VIII pro XI Kal. April. ſubſtituit, non animadvertit, Euſebium in illis verbis expreſſe teſtari, *quod Anatolii Enneadecaëteris habeat in primo anno Neomeniam primi menſis XI* (pro quo ſubſtituit VIII) *Kal. April.*

Nam in ſua Enneadecaëteride habet in primo anno Neomeniam primi menſis non VIII, ſed III Kal. April.

Unde novum argumentum naſcitur, quo, præter alia, probatur, hunc Libellum & Canonem Paſchalem eſſe ſuppoſititium.

XXXIII.

Hic Pſeudo-Anatolii Libellus, ſeu Canon Paſchalis jam extabat tempore Bedæ.

Beda enim (ut Bucherius oſtendit) non tantum in Epiſtola ad Wichredam, ſeu Libello de Æquinoctio, ſed etiam in Libro de Natura Rerum & Tempor. ratione, C. 35. 42. 6. 30. edit. Joh. Noviomagenſis, varia loca ex hoc Pſeudo-Anatolii Canone, ad verbum adducit. Vide Bucherii Commentarium. C. 1.

Scripſit autem Beda Librum ſuum de Natura Rerum & Temp. ratione anno Chriſti 725°.

XXXIV.

Hic Pſeudo-Anatolii Libellus jam extabat tempore diſputationis de Paſchate, in Anglia habitæ, *anno Chriſti* 664°, coram Oswi Northan-Hymbrorum rege, inter Colmannum Epiſcopum, & Wilfridum Abbatem, quam Beda deſcribit in Hiſt. Eccl. gentis Anglorum, L. 3. C. 25.

Nam in illa diſputatione, *Colmannus dicit: Nunquid Anatolius. . . con-*

contraria Legi vel Evangelio ſapuit. Qui a XIV^a uſque ad XX^am Paſcha celebrandum ſcripſit. Wilfridus hoc concedens, ita reſpondet: Ille (Anatolius) *ſic in Paſchæ Dominica XIV^am Lunam computavit, ut hanc eadem ipſa die, more Ægyptiorum, XV^am Lunam ad veſperam eſſe, fateretur. Sic item XX^am die Dominico Paſchæ annotavit, ut hanc, declinata eadem die, eſſe XXI^am crederet.*

Quod Colmannus dicit, in hoc Pſeudo-Anatolii Libello ſæpius occurrit. Ea autem, quæ Wilfridus reſpondet, ex ejusdem Libelli §° IV petita ſunt.

XXXV.

Acta ſuppoſititia Concilii Cæſarienſis, quæ a Bucherio & Baluzio edita ſunt, & inter Concilia reperiuntur, jam extabant, quando hic Pſeudo-Anatolius hunc Libellum conſcripſit.

Nam ea, quæ in hoc Libello, §° IV, V, & XI, leguntur, ad illius Concilii acta & decreta clare reſpiciunt. Saltem id de iis, quæ §° V leguntur, negari non poteſt.

XXXVI.

Hic Pſeudo-Anatolius in hujus Libelli §° 1° ita ſcribit: *Verum majores noſtri, Hebræorum & Græcorum librorum peritiſſimi, (Iſidorum, & Hieronymum, & Clementem dico) licet diſſimilia menſium principia pro diverſitate linguæ ſenſerint, tamen ad unam eandemque Paſchæ certiſſimam rationem, die & Luna & tempore convenientibus, ſumma veneratione Dominicæ reſurrectionis, conſenſerunt.* Confer Cummiani Hiberni Epiſtolam, in qua quædam Hieronymi de Paſchate loca profert.

Ad quæ verba obſervamus

1° Quod genuinus Anatolius Hieronymum, Hebræorum & Græcorum librorum peritiſſimum, inter majores ſuos numerare non potuerit, quippe qui obiit anno Chriſti 420, Ætatis 91.

2° Si intelligat Iſidorum Hispalenſem, qui Leandro in Archiepiſcopatu ſucceſſit anno Chriſti 595, & obiit anno 636, April. 4. quique Libros Originum ſcripſit, & huic Operi ſuo immortuus eſt, in quo etiam de Cyclo & Computo Paſchali agit, L. 6. C. 17. Tum hic Pſeudo Anatolius hunc ſuum Libellum aliquo ſaltem tempore poſt annum Chriſti 636^um conſcripſit. * Hunc autem Iſidorum hic intelligendum

gendum esse, admodum probabile est. * Nisi quis statuat, eum non respicere ad Isidori Originum Libros, vel Isidorum Canonem suum Paschalem, XCV annorum, qui ab anno Christi 627 initium ducit, jam antea edidisse.

XXXVII.

Cummianus Hibernus in Epistola ad Segienum Huensem Abbatem (quæ reperitur in Sylloge Epistol. Hibern. N° XI^a) sic scribit: *Postremo ad Cyclorum computationem diversorum, quid unaquæque lingua de cursu Solis & Lunæ sentiret, conversus totus inveni Cyclos contra hunc, quem vos tenetis, esse contrarios. Primum, illum quem Sanctus Patricius Papa noster tulit & fecit, in quo Luna a XIV^a usque in XXI^am regulariter, & Æquinoctium a XII Kal. April. observatur. Secundo, Anatolium, quem vos extollitis, quidem* (lege, *qui dicit*) *ad veram Paschæ rationem nunquam pervenire eos, qui Cyclum LXXXIV annorum observant.*

Hoc autem dicit hic Pseudo-Anatolius in Libelli sui §° 1°, ubi hæc leguntur: *Nonnulli LXXXIV annorum Circulum computantes, nunquam ad veram Paschæ computandi rationem pervenerunt.*

Unde patet hunc Libellum jam exstitisse, quum Cummianus hanc Epistolam scriberet.

Cummianus autem hanc Epistolam scripsit ante annum Christi 652. Segienus Abbas enim, ad quem scripta est, Hyensi Monasterio præfuit ab anno Christi 623—651. ut patet ex Catalogo primorum hujus Monasterii Abbatum, quem ex Annalibus Ultoniensibus exhibet Usserius in Eccl. Britan. Antiq. p. 702, edit. Dublin. in 4°.

Ex ipsa autem illa epistola patet, eam scriptam esse post Synodum Lech-Leniensem, imo post reditum legatorum ab hac Synodo Romam missorum, qui anno post Synodum tertio redierunt. Usserius, ibid. in Indice Chronologico, hanc Synodum refert ad annum Christi 630, & reditum Legatorum, ad annum 633. & dicit Cummianum hanc Epistolam scripsisse sub initium quinti Cycli Paschalis LXXXIV annorum, qui cœpit anno Christi 634°.

Quod si admittatur, tum hic Libellus jam exstabat circa annum Christi 634.

Et tum non conscriptus est post annum Christi 636, quo Isidorus Hispal. obiit. Vide supra §° 36.

XXXVIII.

Ex iis, quæ ſupra §° 33—37. dicta ſunt, conjectura probabili deducitur, hunc Pſeudo-Anatolii Libellum conſcriptum eſſe in ſeculi 7mi parte priore.

Vivente adhuc Iſidoro Hispalenſi, aliquo tempore antequam Cummianus Hibernus hanc ſcripſiſſet Epiſtolam. Vide ſupra §° 36 & 37.

Quem in finem etiam hoc obſervo, quod Cycli LXXXIV annorum annus 58us iterum redeat anno Chriſti 607°. Vide ſupra §° 19.

Obſervo præterea, quod annus Chriſti 612us habeat lit. Dom. B A. item, quod annus Chriſti 607us habeat lit. Dom. A ante G F. Item quod annus Chriſti 606us habeat lit. Dom. B. poſt C, poſt E D. Item, quod annus Chriſti 616 habeat lit. Dom. D C. Vide ſupra §° 30, & 31.

XXXIX.

Auctor hujus Libelli ſe diſtinguit a quibusdam *Galliæ partis computariis*, & a quibusdam *Africanis Rimariis*, *qui ampliores Circulos conſcripſerunt*; in Libelli ſui §° IV & XI.

Hujus Libelli nulla (quantum mihi conſtat) mentio occurrit, niſi apud Britones, Scotos, & Hibernos.

Unde probabilis conjectura naſcitur hunc Pſeudo-Anatolium Anglum, vel potius Scotum aut Hibernum fuiſſe, & ibidem hunc fœtum ſuppoſititium protruſiſſe.

XL.

Videtur autem ſcripſiſſe occaſione Quæſtionis illius Paſchalis, quæ ibidem nata anno Chriſti 596° duravit uſque ad annum 716, ut apud Bedam in Hiſt. Eccl. gentis Anglorum, videre licet.

In illa enim controverſia Britones antiqui, Scoti, & Hiberni ſe Anatolii & hujus Libelli tanquam Anatolii, auctoritate tuebantur.

Nec obſtat, quod in hujus Libelli §° 1, Cyclus LXXXIV annorum, quo illi tunc utebantur, rejiciatur: Sufficit enim, quod præcipua illorum placita, nempe *Paſcha celebrandum eſſe a Luna XIVa uſque ad XXam, & Paſcha uſque ad IX Kal. Maj., nec ultra extendi debere &c.* omni niſu propugnet.

Anatolio enim Cyclum LXXXIV annorum tribuere non poterat, cum conſtaret illum Cyclum XIX annorum compoſuiſſe: & forte adverſariis aliquid concedere voluit, ut tanto magis id, quod præcipue intendebat, obtineret auctoritate quaſi Anatolii.

XLI.

Hujus Libelli Auctorem fuiſſe impoſtorem, qui ſua Anatolio ſuppoſuit, certum eſt.

An vero pro homine imperito & ſtupido, qui tot & talia abſurda in Canone ſuo Paſchali non animadvertit, an pro homine impudenti, qui, licet ea abſurda deprehendebat, ſciens aliis fucum facere voluit, habendus ſit, dubito. Poſterius tamen mihi magis probabile videtur propter calliditatis ſpecimina, quæ hinc inde in hoc Libello elucent: homo imperitus enim & ſtupidus non ſolet ita conſequenter omnia diſponere. Vide ſupra §° 28.

XLII.

Mirum tamen nec Cummianum, nec Wilfridum, nec Bedam hæc abſurda in hoc Canone animadvertiſſe.

Sed dici poteſt illos vel hunc Canonem non preſſe examinaſſe, vel ob reverentiam erga Anatolium non auſos fuiſſe eum publice culpare; erant enim in illa præconcepta opinione hunc Libellum eſſe genuinum Anatolii fœtum.

AD

VERI ANATOLII GRÆCA

Apud Eusebium Hist. Eccl. L. 7. C. 32.

OBSERVATIONES.

I.

Quinam ea explicant.

Petavius in Animadversionibus ad Epiphanium, Operum Tom. 2. p. 188—201.

Valesius in Notis ad Eusebium, ad L. 7. C. 32. p. 159.

Bucherius quoque in Notis ad Anatolii Canonem Paschalem Latinum, a se editum.

Beda in Epistola ad Wichredam.

II.

Anatolius habet in primo anno suæ Enneadecaëteridis Neomeniam primi mensis, hoc est, mensis Paschalis in die Phamenoth 26, Dystri 22. XI Kal. April., Mart. 22.

Hoc ex Anatolii apud Eusebium verbis, quam clarissimum est.

Juxta Enneadecaëteridem Alexandrinam cadit Luna XIV^a^ Paschalis II Non. April., hoc est, die April. 4°, adeoque Neomenia Paschalis

XI Kal. April., hoc eſt, die Martii 22°, in unoquoque Enneadecaë-teridis Alexandrinæ anno 12°.

Præterea juxta Enneadecaëteridem Alexandrinam, cadit Neomenia Paſchalis in diem Martii 22um, & Luna XIVa in diem April. 4um, hoc eſt, II Non. April., in anno Chriſti 277°, Enneadecaëteridis Alexandrinæ anno 12°. Ut in Opuſculis Bedæ videre licet.

Probus imperium iniit labente anno Chriſti 276°. Vide Pagium.

In Canone Mathematico (in quo Tacitus omittitur) dantur Probo anni imperii 7, & Imperii ejus annus 1us componitur cum Æræ a Nabonaſſaro anno 1023°, qui init a Thoth anni Chriſti 275ti, & concurrit cum anno Chriſti 276°.

In Canone Chronologico S. Maximi (in quo etiam Tacitus omittitur) dantur quoque Probo anni Imperii 7, & Imperii ejus annus 1us componitur cum Æræ S. Maximi Mundanæ anno 5768°, qui init a Septembri anni Chriſti 275ti, & concurrit a ſequenti Januario cum anno Chriſti 276°, habetque annum Cycli Lunæ juxta Alexandrinos XIum.

Si itaque anni Probi numerentur juxta alterutrum Canonem, tum concurrunt annus Nabonaſſ. 1024us, M. 5769us, Probi 2us, Enneadecaëteridis Alexandrinæ 12us, habens Neomeniam Paſchalem XI Kal. Apr. hoc eſt, Martii 22°, labente anno Chriſti 277°.

Sin vero imperium Probi a vero ſuo initio deducatur, & adhuc magis, ſi ab eo tempore, quo poſt obitum Floriani, ſolus imperium tenuit, deducatur, tum labente anno Probi 1° illa ſupradicta Neomenia Paſchalis in die Martii 22° reperitur. Vide Pagium.

Dum hæc conſidero mihi admodum probabile videtur, Anatolium Enneadecaëteridis ſuæ annum 1um deduxiſſe ab anno Probi 1°, & primam totius Enneadecaëteridis ſuæ Neomeniam Paſchalem conſtituiſſe eam, quæ labente Probi anno 1° cadit in diem Martii 22um anni Chriſti 277mi. Quemadmodum Hippolytus Canonem ſuum Paſchalem deduxit ab Alexandri Severi anno 1°. & Enneadecaëteris Alexandrina ita comparata eſt, ut ejus annus 1us concurrat cum anno Diocletiani 1°, qui init anno Chriſti 284°, & concurrit cum anno Chriſti 285°, quo labente Neomenia Paſchalis cadit in diem Martii 23um anni Chriſti 285ti. Quæ Neomenia Paſchalis totius Enneadecaëteridis prima eſt.

Non nego autem Anatolium etiam alias potuiſſe habere rationes, cur Enneadecaëterida ſuam deduxerit ab illo anno, qui habet Neomeniam Paſchalem in die Martii 22°.

Hinc

Hinc naſcitur tale Schema

	Enneadecaëteridis Anatolii. annus	Alexandr. annus	Neomenia Paſchalis	labente anno Chriſti
Probi anno 1°.	1^{us}	12^{us}	Mart. 22.	277°
Diocl. anno 1°.	9^{us}	1^{us}	Mart. 23.	285°

Nota tamen Neomeniam Paſchalem anno Enneadecaëteridis Anatolianæ 9° non cadere in Martii 23, ſed 24, niſi annus 8^{vus} ponatur defectivus, quemadmodum annus Enneadecaëteridis Alexandrinorum 19^{us} defectivus eſt: quod tamen probabile non eſt. Vide tamen quæ notamus infra, §° 16, 17, 18.

III.

Quid Anatolius intelligat per primum menſem.

Petavius in animadverſionibus ad Epiphanium, p. 191. ſtatuit, *primum menſem* (Solarem) *Tropicum, ſive* ΚΡΙΩΝΑ *hic ab Anatolio intelligi*. Quod miror. Et hanc rationem addit: *Neque enim Lunaris eſſe poteſt: cum in Alexandrino Cyclo, Neomenia primi menſis Cyclo 1° ſit Martii 23. Nam Alexandrinus Cyclus ab hoc die incipit*. Quod adhuc magis miror. Quia hæc ratio nihil probat.

Nam 1° Cyclus Anatolii & Cyclus Alexandrinus differebant ratione initii, ut ſupra §° 2 vidimus.

2° Per *primum menſem* Cyclorum Paſchalium conditores intelligere ſolent menſem Paſchalem, primum illum in Lege deſignatum, ut fuſe probavi in Diſſertatione de Embolismi ratione in Cyclo decemnovali Alexandrinorum & Dionyſii.

3° Loquitur Anatolius de *Neomenia* primi menſis. Neomenia autem non Solari, ſed Lunari menſi proprie competit.

4° Canon Paſchalis Anatolii habet *in primo anno* (Cycli) *Neomeniam primi menſis Martii* 22°. Menſis autem Solaris Tropicus primus, quem Κριῶνα appellant, non tantum in primo Cycli anno, ſed etiam in reliquis Cycli annis in eodem anni Civilis die fixus hæret.

5° Pri-

5° Primus mensis Anatolio est ille mensis Lunaris, cujus dies seu Luna XIVª pro τῇ Τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῦ Πάσχα habenda est.

6° Per primum mensem Anatolius intelligit primum illum in Lege designatum, de quo Aristobulus loquitur, dicens, *cunctos Pascha immolare debere post Æquinoctium vernum*, μεσȣ̃ντος τȣ̃ πρώτȣ μηνός. Unde etiam in sequentibus eum vocat, τὸ πρῶτον παρ' Ἑβραίοις μῆνα. quia mensis Paschalis anni Judaici Ecclesiastici primus mensis erat. Supponebant enim Paschalium conditores menses suos Paschales, prout eos in Cyclis suis ordinaverant, correspondere mensi Paschali Hebræorum, in Lege designato, Nisan dicto, qui illis caput mensium erat, & κατ' ἐξοχὴν *primus mensis* appellatur.

Plura non addo, quia res clara est, & tota Anatolii ratiocinatio, nec non testimonia ex Judæis adducta hoc indicant, primum mensem Anatolio idem esse ac mensem Paschalem, & Anatolium hoc velle, quod Canon suus Paschalis habeat in primo Cycli sui anno Neomeniam mensis Paschalis die Martii 22°.

IV.

Ad illa verba ἥτις ἁπάσης ἐστὶν ἀρχὴ τῆς Ἐννεακαιδεκαετηρίδος.

Obs. 1ª. Illud ἥτις respicit ad νȣμηνίαν. & hæc verba parenthesi includenda sunt.

Obs. 2ª. His verbis Anatolius indicat, quod hæc Neomenia Paschalis, quæ cadit in diem Martii 22, sit ἀρχὴ, *principium*, *caput*, *initium totius Enneadecaëteridis*, seu *Cycli decemnovalis*. Hoc autem dupliciter capi potest. Vel enim hoc vult Anatolius, quod totum illud Systema XIX annorum Lunæ Solarium ab hac Neomenia incipiat; adeoque hujus Cycli decemnovalis anni omnes & singuli a Neomenia Paschali ineant. Vel hoc vult, quod in serie Neomeniarum Paschalium, quæ spatio XIX annorum in orbem redibant, hæc Neomenia omnium prima, seu caput Cycli erat; ita ut post XIX annos hæc eadem Neomenia iterum rediret, & eandem seriem Neomeniarum Paschalium reduceret & ordiretur. Posterius ego eligerem.

Obs. 3ª. Miror in Petavii ad Epiphanium animadversionibus, p. 191, ubi hæc Anatolii verba adducit, ut & in Anatolii Canone Paschali suppositiitio, Latine a Bucherio edito, ubi hæc Græca ex Eusebio inseruit, vocem ΑΡΧΗ omissam esse. Quod tamen ex incuria factum videtur,

cum in versione Latina exprimatur, & in editione Valesii in Textu Eusebii Græco reperiatur, & Valesius in Notis nihil de eo moneat.

V.

Anatolius ingressum Solis in Arietem collocat in die Martii 19°.

Ἑυρίσκεται δὲ (inquit) ὁ ἥλιος ἐν τῇ προκειμένῃ Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι οὐ μόνον ἐπιβὰς τοῦ πρώτου τμήματος, ἀλλὰ ἤδη καὶ τετάρτην ἡμέραν ἐν αὐτῷ διαπορευόμενος.

Hoc est. *Reperitur autem Sol in supradicta* (mensis) *Phamenoth* (die) *sextâ & vigesimâ non solum ingressus primum segmentum, sed jam & quartam diem in eo percurrens.*

Quia διαπορευόμενος non præteriti sed præsentis temporis est. Et mensis Phamenoth dies 26 est Martii 22. & Sol in illo Martii die 22° jam quartum diem in primo Zodiaci segmento agebat. Sequitur Solem primum Zodiaci segmentum, sive Arietem ingressum esse Martii die 19°, ex mente Anatolii.

VI.

An Anatolius Æquinoctium Civile statuerit XI Kal. Apr.

Hoc extra dubium ponit Petavius in animadversionibus ad Epiphanium, p. 192. dicitque, *verba Anatolii hoc apertissime testari.* Confer quoque p. 196.

Nititur autem hoc Petavii assertum illa hypothesi, quod per mensem primum Anatolius mensem primum Solarem Tropicum, sive Κριῶνα intelligat. Quod falsum esse, ostendimus supra §° 3.

Illa autem hypothesi sublata, nihil in Anatolii verbis occurrit, unde hoc elici possit.

Imo contrarium ex sequentibus Anatolii verbis patet, de quibus agam infra §° 8, 9, 10.

VII.

Ad illa verba, quæ sequuntur τοῦτο δὲ τὸ τμῆμα, πρῶτον &c.

Obs. 1a. Illud τοῦτο δὲ τὸ τμῆμα respicit illud τμῆμα, de quo modo locutus

cutus erat, quod Sol Martii die 19° ingrediebatur, & *in quo*, in prædicto Martii die 22°, jam quartum diem agebat.

Obf. 2. *Illud Segmentum*, Zodiaci fcilicet circuli, *appellare folent*, Aftronomorum fcilicet filii, aliique, ΠΡΩΤΟΝ ΔΩΔΕΚΑΤΗΜΟΡΙΟΝ, hoc eft, primum ex duodecim, Zodiaci fignum, feu fegmentum; & ΙΣΗΜΕΡΙΝΟΝ, hoc eft, Æquinoctiale, & ΜΗΝΩΝ Solarium fcilicet Tropicorum, ΑΡΧΗΝ, & ΚΕΦΑΛΗΝ ΤΟΥ ΚΥΚΛΟΥ, hoc eft, Caput Circuli Solaris annui Tropici, & *Carceres curfus Planetarum*; *illud vero* (Segmentum) *quod hoc præcedit* (appellare folent) ΜΗΝΩΝ ΕΣΧΑΤΟΝ, hoc eft, menfium Solarium Tropicorum finem, & ΤΜΗΜΑ ΔΩΔΕΚΑΤΟΝ, hoc eft, Segmentum duodecimum, & ΤΕΛΕΥΤΑΙΟΝ ΔΩΔΕΚΑΤΗΜΟΡΙΟΝ, hoc eft, ultimum ex duodecim, Zodiaci fignum, feu fegmentum, & *meta circuitus Planetarum*.

VIII.

Ad verba, quæ fequuntur διὸ καὶ τοὺς ἐν αὐτῷ τιθεμένους τὸν πρῶτον μῆνα, καὶ τὴν Τεσσαρεσκαιδεκάτην τοῦ Πάσχα ΚΑΤ' ΑΥΤΗΝ λαμβάνοντας, οὐ μικρῶς, οὐδ' ὡς ἔτυχεν, ἁμαρτάνειν φαμέν.

Obf. 1ª. Illud ἐν αὐτῷ refpicit ad τμῆμα, de quo modo locutus erat, & quod appellare folebant τμῆμα δωδέκατον, καὶ τελευταῖον δωδεκατημόριον.

Obf. 2ª. Illud κατ' ΑΥΤΗΝ erroneum eft, nihil enim in proxime præcedentibus occurrit, cum quo conftrui commode poffit. Si autem referatur ad πρῶτον ΜΗΝΑ, tum legendum ΚΑΤ' ΑΥΤΟΝ. Sin vero referatur ad ΤΜΗΜΑ δωδέκατον, tum legendum ΚΑΤ' ΑΥΤΟ, quemadmodum Petavius, & Valefius legunt. Vide Petavii animadverf. in Epiphanium, p. 191 & Valefii Notas ad Eufeb. p. 159.

Obf. 3ª. Per *primum menfem* Anatolius intelligit menfem Pafchalem. Vide fupra, §° 3. & per Τεσσαρεσκαιδεκάτην τοῦ Πάσχα intelligit menfis Pafchalis diem, feu Lunam XIVᵃᵐ, in Lege defignatam, ad cujus vefperam agnus Pafchalis immolabatur. Ut ex Teftimoniis Judæorum, quæ in fequentibus adducit, patet.

Obf. 4ª. Quid fit *in illo* Segmento (quod duodecimum & ultimum dodecatemorium appellatur) *ponere primum menfem*, hoc eft, *menfem Pafchalem*, meo judicio, fatis clarum eft. Nempe, Lunam, quæ non tantum nafcitur, fed & XIVª fit, Sole adhuc in ultimo Zodiaci

ſigno verſante, habere pro Luna Paſchali. Anatolium hoc velle, patet ex iis verbis, quæ immediate ſequuntur. Nam, ſi Legas καὶ αὐτὸν ſcilicet μῆνα, tum ΚΑΤ᾽ ΑΥΤΟΝ ΤΗΝ ΤΕΣΣΑΡΕΣΚΑΙΔΕΚΑΤΗΝ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ, ſignificabit, illam Lunam XIV^am^ iſtius menſis Lunaris, qui non tantum iniit, ſed & dimidium curſus ſui jam abſolvit, ſeu decimum quartum diem in curſu ſuo jam peregit, Sole adhuc in ultimo Zodiaci ſigno verſante, capere, aſſumere, habere pro XIV^a^ Paſchali. Sin vero, cum Petavio & Valeſio, legas καὶ αὐτὸ, ſcilicet τμῆμα, tum adhuc clarius eadem res his verbis ſignificabitur, & dubitari non poteſt, quin ΚΑΤ᾽ ΑΥΤΟ ΤΜΗΜΑ ΤΗΝ ΤΕΣΣΑΡΕΣΚΑΙΔΕΚΑΤΗΝ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ, ſignificet, Lunam XIV^am^, quæ, Sole adhuc in ultimo Zodiaci ſigno verſante, occurrit, capere, aſſumere, habere pro XIV^a^ Paſchali.

Obſ. 5^a^. Quia autem Anatolius dicit, illos, qui hoc faciunt, οὐ μικρῶς ἁμαρτάνειν. Hinc patet Anatolium, Lunam, quæ Sole adhuc in ultimo Zodiaci ſigno verſante, fit XIV^a^, nolle haberi pro Luna Paſchali. Cum autem Sol, juxta Anatolium, primum Zodiaci ſignum ingrediatur die Martii 19°, hinc porro patet, Lunam Martii 5° natam, quæ Martii 18° fit XIV^a^, Anatolio non eſſe Paſchalem.

Obſ. 6^a^. An autem Luna, quæ Martii 6° & 7° naſcitur, & Martii 19° & 20° fit XIV^a^, ab Anatolio pro Paſchali habeatur, non adeo clarum & certum eſt. Videtur tamen jure oppoſitionis ex modo dictis colligi poſſe: quanquam de Luna, quæ Martii 6° naſcitur, & Martii 19° fit XIV^a^, dubitari poſſit, quia Judæorum teſtimonia, ab Anatolio adducta, ad confirmationem eorum, quæ modo dixerat, requirunt, ut Luna XIV^a^ Paſchalis cadat *poſt* Æquinoctium. Vide infra §° 9. Sed notandum, quod in Anatolii Cyclo decemnovali non occurrat (quantum ſaltem videtur) Luna, quæ Martii 6° naſcitur. Vide infra §° 14. Confer quoque infra §° 17, & 18, obſervatione 5^a^ & 6^a^.

I X.

Ad Judæorum Teſtimonia ab Anatolio adducta.

1° Ariſtobulus, aliique cum eo, ex LXX Interpretibus, *dicunt*, δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ΕΠΙΣΗΣ (non ΕΠΙΣΤΗΣ, ut in mea Euſebii editione Moguntienſi legitur) ἅπαντας μετὰ ἰσημερίαν ἐαρινὴν, μεσοῦντος

τοῦ

τῦ πρώτυ μηνὸς, hoc eſt, *debere Paſcha immolare pariter omnes poſt Æquinoctium vernum, in medio primi menſis.*

Τῦτο δὲ ΕΥΡΙΣΚΕΤΑΙ, (in mea Euſebii editione legitur ΕΥΡΙΣΚΕΣΘΑΙ, male, ut videtur.) τὸ πρῶτον τμῆμα τῦ ἡλιακῦ, ἢ ὥς τινες αὐτῶν ὠνόμασαν, ζωοφόρυ κύκλυ διεξιόντος ἡλίυ, hoc eſt, *hoc autem invenitur,* (ſunt, ut mihi videtur, verba Anatolii) *Sole primum ſegmentum Solaris, ſeu, ut quidam eorum nominant, Zodiaci Cycli, percurrente.*

Adeoque (hoc enim probare vult Anatolius) non leviter errant, qui Lunam, quæ non tantum naſcitur, ſed & XIV^a^ fit, Sole adhuc in duodecimo, ſeu ultimo Zodiaci ſegmento verſante, pro Luna primi menſis, ejusque XIV^am^ pro XIV^a^ Paſchali habent.

Hoc autem legitime ex his præmiſſis ſequitur.

Neque hoc tantum, ſed etiam inde ſequi videtur, Lunam XIV^am^ Paſchalem non debere cadere in ipſam Æquinoctii diem, ſed poſt eam, Paſcha enim, juxta Ariſtobulum, debebat immolari *poſt* Æquinoctium vernum μεσῦντος τῦ πρώτυ μηνός.

2° Ariſtobulus autem addit, ὡς εἴη ἐξ ἀνάγκης τῇ τῶν διαβατηρίων ἑορτῇ μὴ μόνον τὸν ἥλιον τὸ ἰσημερινὸν διαπορεύεσθαι τμῆμα, καὶ τὴν σελήνην δέ hoc eſt, *quod ſit neceſſarium in Paſchatis feſto, non ſolum Solem Æquinoctiale percurrere ſegmentum, ſed & Lunam.*

Τῶν γὰρ ἰσημερινῶν τμημάτων ὄντων δύο, τῦ μὲν ἐαρινῦ, τῦ δὲ μετοπωρινῦ, καὶ διαμετρύντων ἄλληλα: δοθείσης τε τῆς τῶν διαβατηρίων ἡμέρας τῇ Τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῦ μηνὸς ΜΕΘ' ΕΣΠΕΡΑΝ ἐνστήξεται μὲν σελήνη τὴν ἐναντίαν καὶ διάμετρον τῷ ἡλίῳ στάσιν, ὥσπερ οὖν ἔξεστιν ἐν ταῖς πανσελήνοις ὁρᾶν; ἔσονται δὲ ὁ μὲν κατὰ τὸ ἐαρινὸν ἰσημερινὸν ὁ ἥλιος τμῆμα, ἡ δὲ ἐξ ἀνάγκης κατὰ τὸ φθινοπωρινὸν ἰσημερινὸν ἡ σελήνη hoc eſt: *Nam cum duo ſint Æquinoctialia ſegmenta, alterum vernale, alterum vero autumnale, eaque ex diametro ſibi invicem oppoſita; & cum data ſit Paſchatis dies quartadecimâ* (*die*) *menſis* (*primi*) *poſt veſperam ſtabit quidem Luna in contraria & e diametro oppoſita Soli ſtatione. Quemadmodum in pleniluniis videre licet. Erunt autem Sol quidem in vernali Æquinoctiali ſegmento, Luna vero neceſſario in autumnali Æquinoctiali.*

Unde adhuc clarius patet, illos errare, qui Lunam, quæ non tantum naſcitur, ſed & XIV^a^ fit, Sole adhuc in duodecimo Zodiaci ſegmento verſante, pro Luna primi menſis, ejusque XIV^am^ pro XIV^a^ Paſchali habent.

Imo etiam inde, ut videtur, patet, Lunam XIV^am^, quæ in ipſum Æquinoctii diem incurrit, pro XIV^a^ Paſchali non eſſe habendam. Præ-

ſertim, ſi illud ΜΕΘ' ΕΣΠΕΡΑΝ non cum præcedentibus, ſed cum ſequentibus verbis conſtruatur. Nam, ſi demum poſt veſperam Quartædecimæ diei menſis primi, Luna Soli ex adverſo opponitur, ſequitur eo in caſu, quando XIVª in ipſum Æquinoctii diem incurrit, Solem quidem jam in Æquinoctiali ſegmento verſari, ſed nondum Lunam, quæ demum poſt illius diei veſperam oppoſitum Æquinoctiale ſegmentum ingredietur.

3° Anatolius ſubjungit, *ſe alia multa, a Judæis tradita, poſſe adducere, quibus demonſtrare conantur*, τὴν τοῦ Πάσχα καὶ τῶν ἀζύμων ἑορτὴν δεῖν πάντως μετ' ἰσημερίαν ἄγεσθαι, hoc eſt, *Paſchatis & Azymorum feſtum debere omnino poſt Æquinoctium agi.*

Ubi, quod notandum, loquitur *de Paſchatis & Azymorum feſto.*

Si hic XIVª *primi menſis* includatur tum XIVª in ipſum Æquinoctii diem incurrens non videtur pro Paſchali habenda.

4° Anatolius denique addit, *quod etiam ex Libro Enochi oſtendi poteſt*, ΤΟΝ ΠΡΩΤΟΝ ΠΑΡ' ΕΒΡΑΙΟΙΣ ΜΗΝΑ ΠΕΡΙ ἰσημερίαν εἶναι, hoc eſt, *primum apud Judæos menſem circa Æquinoctium eſſe.*

Unde patet menſem Paſchalem ab Anatolio appellari primum menſem; quia apud Judæos primus anni menſis erat; anni nempe Eccleſiaſtici.

X.

Concluſio, circa diem, in quo Anatolius figat Æquinoctium vernum.

Ex iis, quæ hactenus vidimus, tandem concludimus, Anatolium vel diem Æquinoctialem, in his, quæ ab Euſebio adducuntur, non determinare, vel Æquinoctium figere in Martii die 19°, *quando Sol*, ut ante indicaverat, *primum Zodiaci ſegmentum*, ſeu *Arietem*, *ingreditur.* Vide ſupra, §° 5.

Prius probabile non eſt. Vix enim credibile eſt, Euſebium, qui tam inſigne excerptum ex Anatolii Canonibus Paſchalibus profert, in quo tam operoſe agitur de XIVª Paſchali non ante Æquinoctium capienda, ſi Anatolius Æquinoctium in alio die figeret, quam in illo, in quo Solis in Arietem ingreſſum collocabat, id non moniturum fuiſſe.

Adeoque poſterius agnoſcendum. Quibus & hoc accedit, quod alias fruſtra diceret illos errare, qui Lunam XIVam, quæ occurrit Sole adhuc in

in ultimo Zodiaci ſigno verſante, pro XIV^a^ Paſchali habent. Hoc enim ſupponit, *in ultimo ſegmento*, idem eſſe ac *ante* ΤΗΝ ΙΣΗΜΕΡΙΑΝ. Hoc autem indicat Sole primum ſegmentum ingrediente ἰσημερίαν contingere. Si enim Sole jam quartum diem in primo ſegmento agente, Æquinoctium demum contingeret, (quod Anatolio Petavius attribuit) tum non tantum illi qui Sole in ultimo ſegmento verſante, ſed & illi, qui Sole jam primum, ſecundum, & tertium diem, in primo ſegmento agente, XIV^am^ Paſchalem capiunt, eam ante ἰσημερίαν caperent, & propterea erroris, ex Anatolii ſententia, accuſandi eſſent. De quo tamen ne gry quidem Anatolius habet.

X I.

De Petavii conjectura circa correctionem verborum Anatolii.

Petavius, cum præſupponeret per primum menſem ab Anatolio intelligi primum menſem Solarem Tropicum, ſive Κελῶνα, & ejus Neomeniam ſeu primum diem ab Anatolio poni in Martii die 22°; adeoque Æquinoctium ab Anatolio ſtatui in illo Martii die 22°, & videret ex Anatolii verbis, prout in editis leguntur, ſequi, Anatolium Solis in Arietem ingreſſum collocare in Martii die 19°; eumque tantum eos erroris damnare, qui, Sole adhuc in ultimo Zodiaci ſigno verſante, adeoque ante Solis in Arietem ingreſſum, XIV^am^ Paſchalem caperent, idque eam ob cauſam, quia tum eam ante ἰσημερίαν caperent, quod illicitum eſſe ex Judæorum teſtimoniis probat Anatolius, adeoque Anatolium Æquinoctium ponere in Martii die 19°: hæc conciliare non poterat, & poſtquam multa moviſſet & nihil promoviſſet, tandem Lectionem verborum Anatolii ſollicitare cœpit, & conjecturam de eorum correctione proponit, in animadverſ. ad Petavium, p. 199.

Nempe, in illis Anatolii verbis, ἐυρίσκεται ῆ ὁ ἥλιος ἐν τῇ προκειμένῃ Φαμενὼθ ΕΚΤΗ ΚΑΙ ΕΙΚΑΔΙ, &c. conjicit legendum ΕΝΑΤΗ ΚΑΙ ΕΙΚΑΔΙ. qua conjectura admiſſa, Anatolius Solis in Arietem ingreſſum indicaret non in Martii die 19°, ſed 22°, convenienter hypotheſi Petavii.

Quia autem illud ΤΗ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗ huic correctioni obſtabat, quia Anatolius in immediate præcedentibus verbis clare & expreſſe locu-

tus

tus erat de τῇ Φαμενὼθ ΕΚΤΗ ΚΑΙ ΕΙΚΑΔΙ. Petavius comminiſcitur Anatolium in iis, quæ hunc, quem ex Anatolii Canonibus Paſchalibus Euſebius profert, locum præcedunt, diſputaſſe contra eos, qui Æquinoctium collocabant ἐν τῇ Φαμενὼθ ἐνάτῃ καὶ εἰκάδι, hoc eſt, Martii 25°: & dicit illud τῇ προκειμένῃ reſpicere ad τὴν Φαμενὼθ ἐνάτην καὶ εἰκάδι, *quam ſibi oppugnandam propoſuerat, & de qua in ſuperioribus* (quæ tamen nullibi leguntur) *locutus erat.*

Sed quid eſt δουλεύειν τῇ ὑποθέσει, ſi hoc non eſt? Hoc modo quidvis ex quovis extuderis.

Quæ Petavius de Concilio Cæſarienſi habet, non moror, cum acta hujus Concilii, quæ habemus Latine, ſint ſuppoſititia.

XII.

Objectio ex Bedæ Epiſtola ad Wichredam, ſeu Libello de Æquinoctio.

Objiciet quispiam, Bedam in ea fuiſſe ſententia, quod Anatolius Æquinoctium collocaverit in Martii die 22°.

Sed Bedam per erroneam hujus loci apud Euſebium verſionem Latinam deceptum fuiſſe, clarum eſt.

Ita enim hic locus apud Bedam legitur, *eſt ergo in primo anno initium primi menſis, quando eſt X & IX annorum Circuli initium, ſecundum Ægyptios quidem menſis Phamenoth XXVI, ſecundum Romanos vero XI Kalendas Aprilis; in qua die invenitur Sol non ſolum conſcendiſſe primam partem, verum etiam quadram* jam *in eadem die habere.* In Opuſc. Bedæ, fol. XCVII. in Epiſtola ad Wichredam.

Ubi Beda per *quadram* intelligit quadrantem, ſeu quartam diei partem. Vide Bedam de Natura rerum & temporum Ratione, C. VI. fol. XXXVI. & in Epiſtola ad Wichredam, de Æquinoctio, fol. XCVII. verſo.

Confer Petavii ad Epiphanium animadverſiones, p. 189, 190.

XIII.

De Cycli decemnovalis Anatoliani conſtitutione.

Hac de re, niſi ex hoc Anatolii apud Euſebium excerpto, nihil nobis conſtat.

Si

Si ponamus Anatolium ſaltum Lunæ inſeruiſſe Cycli ſui anno 19°.

Et ſi ponamus eum in Cycli ſui annis Embolimæis, menſem Embolimæum XXX dierum, inſeruiſſe immediate ante menſem Paſchalem: ut poſtea fecere Alexandrini.

Tum orietur talis Cycli decemnovalis Anatoliani conſtitutio, ut ſequenti §° exhibetur.

XIV.

	Annus Cycli	Neomenia Paſchalis	Luna XIVa Paſchalis	Annus Cycli	
	1.	Mart. 22.	April. 4.	12.	
	2.	— 11.	Mart. 24.	13.	
*	3.	— 30.	April. 12.	14.	*
	4.	— 19.	— 1.	15.	
	5.	— 8.	Mart. 21.	16.	
*	6.	— 27.	April. 9.	17.	*
	7.	— 16.	Mart. 29.	18.	
*	8.	April. 4.	April. 17.	19.	* S.
	9.	Mart. 24.	April. 6.	1.	
	10.	— 13.	Mart. 26.	2.	
*	11.	April. 1.	April 14.	3.	*
	12.	Mart. 21.	— 3.	4.	
	13.	— 10.	Mart. 23.	5.	
*	14.	— 29.	April. 11.	6.	*
	15.	— 18.	Mart. 31.	7.	
	16.	— 7.	— 20.	8.	*
*	17.	— 26.	April. 8.	9.	
	18.	— 15.	Mart. 28.	10.	
S. *	19.	April. 3.	April. 16.	11.	*
	juxta Anatolium		juxta Anatolium	juxta Alexandrinos.	

XV.

Obſervationes ad præcedens Schema.

1a Neomeniæ & Lunæ XIVa octo priorum in Cyclo Anatolii annorum, cum Neomeniis & Lunis XIVtis Alexandrinorum conveniunt: in

reliquis autem undecim annis uno die protruduntur. Quod oritur ex diverso situ saltus Lunæ.

2ª Neomenia, quæ Cycli Anatoliani anno 16° cadit in diem Martii 7um, Anatolio Paschalis est; quia Æquinoctium figit in die Martii 19°; unde hic annus 16us communis est, cum annus huic respondens in Cyclo Alexandrinorum 8us sit Embolimæus, quia illi Æquinoctium figunt in die Martii 21°. Atque hinc porro sequitur, quod annus in Cyclo Anatolii 17us sit Embolimæus, annus vero huic respondens in Cyclo Alexandrinorum 9us Communis.

3ª Neomenia in toto Anatolii Cyclo nunquam cadit in diem Martii 6um.

4ª Citima Neomenia Paschalis in Anatolii Cyclo cadit in Martii diem 7um, adeoque Citima Luna XIVª Paschalis cadit in Martii diem 20um, uno die post Æquinoctium Anatolianum. In Cyclo autem Alexandrinorum Citima Neomenia Paschalis cadit in Martii diem 8um, adeoque Citima Luna XIVª Paschalis cadit in Martii diem 21um, in ipso Æquinoctii Alexandrini die.

5ª Ultima in Cyclo Anatolii Neomenia Paschalis cadit in Aprilis diem 4um, adeoque ultima Luna XIVª Paschalis cadit in Aprilis diem 17um. In Cyclo autem Alexandrinorum ultima Neomenia Paschalis cadit in Aprilis diem 5um, adeoque ultima Luna XIVª Paschalis cadit in Aprilis diem 18um.

6ª Cadunt itaque omnes Lunæ XIVæ Paschales Anatolianæ *post* Æquinoctium Anatolianum, seu ingressum Solis in Arietem juxta Anatolium, *Sole in illo* ΤΜΗΜΑΤΙ Arietis *versante*. Et nulla Luna, quæ, Sole adhuc in duodecimo Zodiaci signo versante, fit XIVª, pro Paschali habetur.

XVI.

De Cycli decemnovalis Anatolii alia constitutione.

Considerandum do, an non statui possit, quod in Anatolii Enneadecaëteride Saltus Lunæ anno 8° (qui Enneadecaëteridis Alexandrinæ anno 19° respondet) fuerit insertus. Licet enim hoc (ut supra §° 2, in fine, dixi) probabile non sit, neque etiam regulare; non tamen absolute rejiciendum videtur, quia aliqua subesse potuit causa, quare hoc ita factum fuerit. Tum autem orietur talis Cycli decemnovennalis Anatoliani constitutio, qualis, sequenti §° 17, exhibetur.

XVII.

XVII.

		Annus Cycli	Neomenia Paſchalis	Luna XIV^a Paſchalis	Annus Cycli		
		1.	Mart. 22.	April. 4.	12.		
		2.	—— 11.	Mart. 24.	13.		
	*	3.	—— 30.	April. 12.	14.	*	
		4.	—— 19.	April. 1.	15.		
		5.	—— 8.	Mart. 21.	16.		
	*	6.	—— 27.	April. 9.	17.	*	
		7.	—— 16.	Mart. 29.	18.		
S.	*	8.	April. 4.	April. 17.	19.	*	S.
		9.	Mart. 23.	April. 5.	1.		
		10.	—— 12.	Mart. 25.	2.		
	*	11.	—— 31.	April. 13.	3.	*	
		12.	—— 20.	April. 2.	4.		
		13.	—— 9.	Mart. 22.	5.		
	*	14.	—— 28.	April. 10.	6.	*	
		15.	—— 17.	Mart. 30.	7.		
	*	16.	April. 5.	April. 18.	8.	*	
		17.	Mart. 25.	April. 7.	9.		
		18.	—— 14.	Mart. 27.	10.		
	*	19.	April. 2.	April. 15.	11.	*	
		juxta Anatolium	juxta utrosque		juxta Alexandrinos.		

XVIII.

Obſervationes ad præcedens novum Schema.

1^a Omnes Neomeniæ & Lunæ XIV^æ Paſchalis Anatolianæ & Alexandrinæ plane conveniunt.

2^a Omnes anni in Cyclo Anatolii, & qui iis in Cyclo Alexandrinorum reſpondent, ſunt pariter Embolimæi.

3^a Neomenia, in hoc Anatolii Cyclo, citima, æque ac in Alexandrinorum Cyclo, cadit in diem Martii 8^um, eaque prodit Lunam XIV^am Paſchalem in die Martii 21°, in quo Alexandrini Æquinoctium deinceps fixerunt.

 4^a Neo-

4ª Neomenia, quæ anno Cycli Anatoliani 8°, cadere potuisset in diem Martii 5um, evitata est, quia proderet Lunam XIVam in die Martii 18°, uno die ante Solis in Arietem ingressum Anatolianum.

5ª Neomenia, quæ anno Cycli Anatoliani 16°, cadere potuisset in diem Martii 6um, etiam evitata fuisse videtur, quia proderet Lunam XIVam in die Martii 19°, in quo Solis in Arietem ingressum constituit Anatolius. Vide supra §°. 10, & 8.

6ª Neomenia in die Martii 7° nata, quæ Lunam XIVam proderet in die Martii 20°, in hoc Anatolii Cyclo non occurrit.

7ª Differt itaque hic Anatolii Cyclus ab Alexandrinorum Cyclo, solo annorum ordine: Anatolius enim primum Cycli sui annum numerat, qui in Alexandrinorum Cyclo 12us annus numeratur, & Hendecadis quartus annus est.

8ª Hæc autem differentia ex eo videtur orta, quod Anatolius Cycli sui annum 1um voluerit connectere cum anno 1° Imperatoris Probi, præsertim si Imperii Probi initium deducatur ab Imperatoris Floriani morte, quæ, juxta Pagium, contigit in æstate anni Æræ Vulg. Christi 276ti, ita ut Pascha anni Æræ Vulg. Christi 277mi in annum Imperii Probi 1um incurrat. Vide supra, §° 2.

9ª An etiam huc aliquid contulerit Dionysii Episcopi Alexandrini Canon Octaëteridis, cujus L. VII. Hist. Eccles. C. XX. meminit Eusebius, dicere non habeo, ob exiguam & incertam, quam hujus Octaëteridis, a Dionysio editæ, vel reformatæ, habemus, notitiam.

EU-

EUSEBIUS CÆSARIENSIS

AN

CYCLUM DECEMNOVENNALEM LUNARUM XIVarum

compoſuerit, inquiritur.

I.

Quinam veterum hac de re agunt.

IPſe Euſebius de Vita Conſtantini L. 4. C. 34. & 35.

Hieronymus, de Scriptoribus Eccleſiaſticis C. 61. in Hippolyto.

Gennadius Maſſilienſis, de Scriptoribus Eccleſiaſticis, C. 88. in Victorio.

Iſidorus Hispalenſis, Originum L. VI. C. 17.

Ceolfridus Abbas in Epiſtola ad Naitonem Pictorum regem, apud Bedam Hiſt. Eccl. gentis Anglorum, L. V. C. 22.

Beda de Natura rerum & Temporum ratione, C. XLIV.

II.

Quinam recentiorum hac de re agunt.

Bucherius in ſuo in Victorii Canonem Commentario. C. VI. p. 127—129.

Jo. Guil. Janus in Hiſtoria Cycli Dionyſiani, §° VII. p. 15, 16.

III.

Narratio Eusebii de Vita Constantini L. 4. C. 34, 35. quid contineat.

Ὁ δὲ (inquit C 34) τῶν Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ πεπρονοημένος περὶ κατασκευῆς θεοπνεύστων λογίων εἰς ἡμέτερον πρόσωπον ἐπετίθει τὸ γράμμα. ἀλλὰ δὴ καὶ περὶ τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Πάσχα ἑορτῆς. Προσφωνησάντων γὰρ ἡμῶν αὐτῷ μυστικὴν ἀνακάλυψιν τοῦ τῆς ἑορτῆς λόγου., ὅπως ἡμᾶς ἠμείψατο τιμήσας ἀντιφωνήσει, μάθοι ἄν τις ἐντυχὼν αὐτοῦ τῷδε τῷ γράμματι.

At ille (ita vertit Valesius) *Ecclesiis Dei provida semper mente consulens, de conficiendis Sacris Codicibus, & de festo Paschali ad nos epistolam scripsit. Nam cum nos Librum quendam, quo arcana illius festi ratio erat exposita, ei nuncupassemus, quomodo nos responsionis suæ honore vicissim remuneratus sit, ex his ejus literis perspici potest.*

Νικητὴς (sic pergit C. 35.) Κωνσταντῖνος, Μέγιστος Σεβαστὸς Εὐσεβίῳ. Τὸ μὲν ἐγχείρημα μέγιστον καὶ πάσης λόγων δυνάμεως κρεῖττον, Χριστοῦ μυστήρια κατ᾽ ἀξίαν εἰπεῖν τήν τε τοῦ Πάσχα ἀντιλογίαν τε καὶ γένεσιν λυσιτελῆ τε καὶ ἐπίπονον τελεσιουργίαν ἑρμηνεῦσαι τὸν προσήκοντα τρόπον. τὸ γὰρ θεῖον ἀνθρώποις ἀδύνατον κατ᾽ ἀξίαν φράσαι καὶ τοῖς νοῆσαι δυνατοῖς. πλὴν ὅμως ὑπερθαυμάσας σε τῆς φιλομαθείας τε καὶ φιλοτιμίας, αὐτός τε τὸ βιβλίον ἀνέγνων ἀσμένως, καὶ τοῖς πλείοσιν οἵγε τῇ περὶ τὸ θεῖον λατρείᾳ γνησίως προσανέχουσι, καθὰ ἐβουλήθης ἐκδοθῆναι προσέταξα. &c.

Quæ sic Latine interpretatur Valesius: *Victor Constantinus Maximus Augustus, Eusebio. Arduum opus profecto est, & quod omnem dicendi vim superet, Christi mysteria pro dignitate explicare, & controversiam de Pascha, ejusque originem, & plenam laboris atque utilitatis consummationem decenter exponere. Nam res divinas ne ipsi quidem pro merito enarrare sufficiunt, qui eas cogitatione assequi valent. Veruntamen eximiam tuam doctrinam & studii contentionem equidem supra modum admiratus sum; legique librum tuum perlibenter; utque in multorum, qui divinæ religionis observantiam profitentur, manus ac notitiam perveniret, quemadmodum optaveras, mandavi.* &c.

Valesius in Notis, ad illa verba: τοῦ Πάσχα ἀντιλογίαν, hæc monet: *scribendum est*, αἰτιολογίαν, *quemadmodum etiam in Libro Moræi ad marginem emendatum inveni, quod confirmant sequentia. Subdit enim:* καὶ γένεσιν,

σιν, λυσιτελῆ τε καὶ ἐπίπονον τελεσιουργίαν. *Certe* γένεσις *de origine controversiæ dici non potest. Melius itaque* γένεσιν *vertes institutionem.* τελεσιουργία *vero est consummatio Festi Paschalis a Christo facta, qui suæ resurrectionis miraculo verum Pascha Christianis instituit.*

IV.

An ex hac Eusebii narratione colligi possit, eum Cyclum decemnovennalem composuisse.

Mihi non videtur: nulla enim in tota hac Eusebii narratione hujus rei indicia occurrunt.

Ipse enim Eusebius, C. 34. hujus Libri de Pascha, quem Constantino nuncupavit, contentum, & forte titulum describens, eum vocat, ἀνακάλυψιν μυστικὴν τοῦ λόγου τῆς ἑορτῆς, hoc est, *revelationem, seu expositionem mysticam rationis Festi Paschalis.*

Erat itaque hæc expositio, non literalis, sed *mystica*, hoc est, *Typica*, in qua exponebantur *Mysteria Christi*, & quæ sub tegmine Legis de Paschate velata fuerant, revelabantur.

Et considerandum do, an illa verba: μυστικὴν ἀνακάλυψιν τοῦ τῆς ἑορτῆς λόγου: non possint ita verti, *Typica expositio eorum, quæ de festo Paschali dicta erant*, in verbo scilicet Dei, in Lege Mosis.

Constantinus in sua ad Eusebium Epistola, contenta hujus Libri Eusebiani describens, dicit, *eum* Χριστοῦ μυστήρια explicuisse, τήν τε τοῦ Πάσχα αἰτιολογίαν, καὶ γένεσιν, λυσιτελῆ τε καὶ ἐπίπονον τελεσιουργίαν *exposuisse.*

Fuit itaque, ut mihi videtur, hic Eusebii de Paschate Liber plane alius generis, & materiæ: saltem de Cyclo decemnovennali Lunarum XIV^arum^ Paschalium ab eo composito, nullum hic deprehendo indicium.

Fateor tamen Lectori minus attento, ex hac Eusebii narratione, hanc subnasci potuisse cogitationem, ejusmodi Cyclum decemnovalem ab eo fuisse concinnatum.

V.

Hieronymi Testimonium quid contineat.

Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis C. 61. ubi agit de Hippolyto; sic scribit: *Hippolytus cujusdam Ecclesiæ episcopus (nomen quippe*

urbis

urbis scire non potui) rationem Paschæ, temporumque Canones scripsit, usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum circulum, quem Græci ΕΚΚΑΙΔΕΚΑΕΤΗΡΙΔΑ *vocant, reperit: & Eusebio, qui super eodem Pascha Canonem, decem & novem annorum circulum, id est,* ΕΝΝΕΑΚΑΙΔΕΚΑΕΤΗΡΙΔΑ *composuit, occasionem dedit.*

In hisce verbis Hieronymus dicit: *Eusebium decem & novem annorum circulum, id est,* Ἐννεακαιδεκαετηρίδα *composuisse.* Sed mihi videtur, Hieronymum hoc hausisse *ex illo*, de quo supra egimus, *Eusebii de Paschate Libro.* Et considerandum do, an Hieronymi verba, quæ non videntur cohærere, non possint hoc modo suppleri; *& Eusebio, qui super eodem Pascha Canonem (scripsit, &) decem & novem annorum Circulum, id est,* Ἐννεακαιδεκαετηρίδα *composuit, occasionem dedit.* Tum enim adhuc clarius pateret, Hieronymum hoc hausisse ex iis, quæ apud Eusebium, in Libris de vita Constantini, L. 4. C. 34 & 35. leguntur de illo quem Eusebius scripserat, de Paschate Libro. Ipse enim Hieronymus hunc Eusebii de Paschate Librum non videtur vidisse: quare etiam in hoc suo scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo, C. 81. (ubi Eusebii scripta recenset) hujus *Libri de Paschate* non meminit.

Addit Hieronymus, Hippolytum suo Sedecennali Cyclo, Eusebio Cyclum decemnovennalem componendi, occasionem dedisse. Quæ Hieronymi opinio ostendit, eum rem non recte reputasse: nam, ut alia taceam, ex Eusebii Hist. Eccles. L. 7. C. 32. constat, Anatolium Laodiceæ in Syria Episcopum, circa initium Imperii Probi Imperatoris, Cyclum decemnovennalem jam composuisse. Quibus & hoc accedit, quod, si non certum, admodum tamen probabile sit, Ecclesiam Alexandrinam, jam ante Nicænum concilium, Cyclo decemnovennali usam fuisse.

VIII.

Gennadii Massiliensis Testimonium quid contineat.

Gennadius Massiliensis de Scriptoribus Ecclesiasticis, C. 88. in Victorio, hæc habet: *Victorius homo natione Aquitanus, calculator scrupulosus, invitatus a Sancto Hilaro urbis Romæ Episcopo, composuit Paschalem cursum indagatione cautissima; post quatuor priores, qui composuerunt, id est, Hippolytum, Eusebium, Theophilum, & Prosperum. &c.*

Gennadius etiam incidenter hic Eusebii mentionem facit, & cum Hippolyto

polyto conjungit Eusebium, ut *primos ex quatuor prioribus, qui cursum Paschalem composuerant: Quod, meo judicio, habet ex Hieronymo: omittit autem hic Cyrillum.*

VII.

Isidori Hispalensis testimonium quid contineat.

Isidorus Hispalensis Originum L. 6. C. 17. in initio, sic scribit: *Paschalem Cyclum Hippolitus Episcopus temporibus Alexandri imperatoris primus conscripsit. Post quem probatissimi Authores Eusebius Cæsariensis, Theophilus Alexandrinus, Prosper quoque natione Aquitanus, atque Victorinus amplificatis ejusdem festivitatis rationibus, multiplices circulos ediderunt. Cujus quidem rationem beatissimus Cyrillus Alexandriæ urbis Episcopus in XCV annos per quinquies decemnovies calculans, quoto Kalendas vel Luna debeat Paschalis solemnitas celebrari, summa brevitate notavit.*

Quæ Isidorus hic habet de Hippolyto, Eusebio, Theophilo, Prospero, & Victorio, hausit, ut mihi videtur, imprimis *ex Gennadio.*

Quæ de Cyrillo Alexandrino adjicit, aliunde habet.

Mirum autem, quod eo in loco, ubi Cyclum XCV annorum Dionysii Exigui repetitum exhibet, nullam *Dionysii* mentionem faciat.

VIII.

Ceolfridi testimonium quid contineat.

Ceolfridus Abbas in sua ad Naitonem Pictorum regem Epistola apud Bedam in Hist. Ecclef. Gentis Anglorum L. 5. C 22. sic scribit: *Hic autem, quem vobis sequendum monstramus, Computus Paschæ decemnovennali circulo continetur, qui dudum quidem, hoc est, ipsis Apostolorum temporibus jam servari in Ecclesia cœpit; maxime Romæ & Ægypti, ut supra jam diximus Sed per industriam Eusebii (qui a beato Pamphilo martyre cognomen habet) distinctius in ordinem compositus est, ut (quod eatenus per Alexandriæ Pontificem singulis annis per omnes Ecclesias mandari consueverat) jam deinde congesta in ordinem serie Lunæ quartæ-decimæ, facillime posset ab omnibus sciri. Cujus computum Paschalis, Theophilus Alexandriæ præsul in centum annorum tempus, Theodosio Imperatori composuit. Item successor ejus Cyrillus in seriem nonaginta & quinque annorum*

in quinque decemnovennalibus circulis comprehendit. Post quem Dionysius Exiguus totidem alios ex ordine, pari Schemate subnexuit: qui ad nostra usque tempora pertingebant, &c.

Ceolfridus in ea erat opinione, quod usus Cycli decemnovalis jam inde ab Apostolorum temporibus, in Ecclesia obtinuerat, maxime Romæ & Ægypti. Ita enim in superioribus scripserat: *Quia vero dies septimanæ non æquali cum Luna tramite procurrit, decrevit Apostolica traditio, quæ per beatum Petrum Romæ prædicata, per Marcum Evangelistam, & interpretem ipsius, Alexandriæ confirmata est; ut adveniente primo mense, adveniente in eo vespera diei quartæ-decimæ, exspectetur etiam dies Dominica, a quintadecima usque ad vicesimam primam diem ejusdem mensis. In quacunque enim harum inventa fuerit, merito in ea Pascha celebrabitur, &c.* Confer Colmani & Wilfridi solennem de Paschatis celebratione disputationem, coram Northan-Hymbrorum rege Oswi, apud Bedam Hist. Eccles. Gentis Anglor. L. 3. C. 35. Sed hæc Historiæ Ecclesiasticæ ignorantia Ceolfrido, aliisque bonis Anglis condonanda, qui hanc opinionem ab iis, qui ad Evangelium Anglorum genti prædicandum in Britanniam advenerant, eorumque successoribus traditam, bona fide receperant.

Ceolfridus præterea inaudiverat, Alexandriæ Episcopo mandatum fuisse, ut singulis annis per omnes Ecclesias celebrandi Paschatis diem indicaret, & didicerat, forte ex Hieronymo, Eusebium Ἐννεακαιδεκαέτηρίδα, hoc est, *Cyclum decemnovennalem* composuisse: ut itaque hoc cum sua illa dicta opinione conciliaret, comminiscitur, Eusebium propterea Cyclum suum decemnovennalem composuisse, ut quilibet facillime Paschatis celebrandi diem scire posset, & illo Episcopi Alexandrini labore opus non esset.

IX.

Bedæ testimonium quid contineat.

Beda in Libro de Natura rerum & Temporum ratione, C. XLIV. *de Circulo decemnovennali* sic scribit: *Decemnovennalis Circuli ordinem primus Eusebius Cæsariæ Palæstinæ Episcopus, ob quartas decimas Lunas festi Paschalis, ipsumque diem Paschæ inveniendum, composuit, eo quod Luna cujuslibet ætatis post tantum temporis ad eundem redeat anni Solaris diem: non quod Ægyptus, vel cætera per Orientem Christi Ecclesia verum*

eo-

eatenus Lunæ curſum, vel diem neſcierit rite invenire Paſchalem, ſed quia ea quæ ipſis temporibus annuatim cum labore inveſtigata, & per orbem mandata ſæpius in quæſtionem venire ſolebant, facilius præfixa ſemel regula circulari ſemper obſervari, & ſine ſcrupulo ambigendi poterunt edi(ci. Denique fertur antiquitus Alexandrinæ Eccleſiæ delegatum, ut officioſe operam curamque inveſtigationi computi Paſchalis impenderet, quatenus Pontifici Apoſtolicæ ſedis annuncians, per eam diem Paſchæ ſolennem cæteros Eccleſiarum principes agnoſcere faceret. Unde beatiſſimus Papa Leo Martianum principem poſtulans, ut Alexandrino Antiſtiti delegaret, quatenus Paſchale ſancti Theophili, in quo VIII Kalendarum Majarum die videtur affixum, diligenti perſcrutaretur examine, arbitratus ab eo non recte memoratum diem fuiſſe conſcriptum, inter alia hæc dicit: ſtuduerunt quidem ſancti Patres occaſionem hujus auferre, omnem hanc curam Alexandrino Antiſtiti delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita videbatur eſſe peritia, per quem quotannis dies prædictæ ſolennitatis Sedi Apoſtolicæ indicaretur, cujus ſcripti ad longinquiores Eccleſias indicium generare (apud Bucherium legitur *generaliter*) *percurreret. Verum ut hujusmodi labor aliquando quieſceret, compoſuit memoratus vir circulum nunc longe lateque notiſſimum, quo decimasquartas Lunas primi menſis ex ordine comprehendendo, diem Paſchæ, qui mox ſequenti Dominica futurus erat, facillime cuilibet inveniendum relinqueret. Cujus circuli Proterius Alexandrinæ urbis Antiſtes, ad inquiſitionem ſancti Papæ Leonis, luculentiſſimam reddens rationem, talis reſcripti ab eo meruit tenor prædicari: Lætificaverunt me literæ Dilectionis tuæ, quas frater & coëpiſcopus noſter Nectarius Pio apportavit officio. Oportebat enim, ut ab Alexandrinæ Eccleſiæ præſule talia ſcripta ad Sedem Apoſtolicam mitterentur, quæ oſtenderent magiſterio beatiſſimi Petri Apoſtoli hoc ab initio per beatum Marcum ejus diſcipulum didiciſſe Ægyptios, quod conſtat crediſſe Romanos.*

Hactenus Beda; cujus verba latius deſcripſi, ut tanto magis conſtaret, eum Ceolfridi abbatis & magiſtri ſui opinionem & commenta ſecutum eſſe, & quædam de ſuo addidiſſe, quæ adhuc magis oſtendunt, quid ad mentem offuſcandam præconcepta valeat opinio.

Qui enim conſideraverit, quo tempore Euſebius & Leo Papa vixerint, & Epiſtolas Leonis, qui Cyclo Proſperiano LXXXIV annorum utebatur, ut & Proterii ad Leonem Epiſtolam, in quibus de Paſchate anni Chriſti 455 agitur, perlegerit, ſatis mirari non poterit, Leonis Epiſtolam ad Proterii reſponſoriam, a Beda hic adduci eum in finem ut oſtendat Apoſtolum Petrum Romanam Eccleſiam in celebratione Paſchatis

Cyclo decemnovali uti docuisse, sicut Marcus Evangelista & interpres Petri idem docuerat Alexandrinam Ecclesiam.

Quod autem Eusebius Cyclum decemnovennalem composuerit, id Beda hausit ex Hieronymi verbis in Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo. Illa enim Hieronymi verba in Libri sui de Natura rerum & Temporum ratione, Caput LXVIIum *de sex Mundi ætatibus*, transtulit, sub M. Aurelio Antonino (Heliogabalo) ita scribens: *Hippolytus episcopus, multorum conditor opusculorum, temporum Canonem, quem scripsit, hucusque perduxit. Qui etiam sedecennovennalem Paschæ circulum reperiens, Eusebio, qui super eodem Pascha decemnovennalem circulum composuit, occasionem dedit.*

X.

Mea ἐπίκρισις *ad supradicta.*

Ex iis, quæ supra vidimus, fateor me in illam inclinare sententiam; nullum ab Eusebio Cyclum decemnovennalem fuisse compositum.

Sed Hieronymum ex iis, quæ de vita Constantini L. 4. C. 34 & 35. de Libro suo de Pascha scribit Eusebius, hoc, absque justo satis fundamento, collegisse, & hanc suam opinionem in Occidentem intulisse.

Eamque fide & auctoritate Hieronymi a Gennadio Massiliensi adoptatam & propagatam, & ab Isidoro Hispalensi receptam fuisse, & in Occidente invaluisse.

Atque hinc in Britanniam transiisse, & a Ceolfrido & Beda, ex præconcepto errore, incrustatam fuisse.

Nullibi enim vel ipse Eusebius, vel Theophilus, aut Cyrillus, aut Proterius, aut ullus, quantum mihi constat, veterum Græcorum, ullam Cycli decemnovalis ab Eusebio compositi injiciunt mentionem, sed hac de re in Ecclesia Orientali apud veteres altum est silentium.

Præterea non dubito, quin illo, quo Librum suum de Pascha scripsit & Constantino nuncupavit Eusebius, tempore, Cyclus decemnovalis in Ecclesia Alexandrina aliquamdiu jam in usu fuerit, unde Cyclum decemnovalem Eusebius quidem describere, sed componere, & quidem primus, non potuit.

Morianum enim Episcopum Alexandrinum, cujus testimonium (de quo mox) Latine circumfertur, non curo.

XI. De

XI.

De testimonio Moriani Episcopi Alexandrini.

In Anonymi Libro de Computo (quem Muratorius inter Anecdota Latina, Tomo 3° edidit) occurrit, Capitulo CXLVI, p. 195. breve opusculum, cui Anonymus ille hunc superinscripsit titulum : *Incipit Epistola Moriani Episcopi Alexandrini de ortu Paschali, eo quod senserunt alii diverse.*

In hujus Epistolæ fine hæc leguntur : *Post hæc autem omnia breviter dicam, quod nunquam breviter apud Hebræos ante XII Kal. Apr. quia Luna nata in VIII Id. Mart. XIV. in XI Kal. Apr. Observa igitur cursum Lunarem juxta regulam Græcorum, & more Ægyptiorum, & non secundum epactas, id est adjectiones Lunares, quia ibi pervenitur a IV.* (lege, *XIV.*) *Luna usque ad XVI. hic autem ad XV. juxta compositionem Eusebii, qui primus conscripsit circulum XIX annorum, Athanasii, Theophili. Cyrilli, Dionysiique Exigui, usque dum scripsit Victorius Hilario Papæ urbis Romæ Episcopo. Tunc accesserunt disputatores Alexandrini, & Antiocheni circulos post alios describere. Finiunt* (addit Anonymus ille) *hæ pistolæ in nomine Dei, Amen.*

Quis hic fuerit Morianus Episcopus Alexandrinus mihi plane non constat. Certum est hujus Opusculi Auctorem post Cyclum Dionysii XCV annorum jam editum vixisse : & ipsa hujus Epistolæ contenta Scriptorem satis confusum, & rei, de qua scribit, non adeo peritum produnt ; quanquam (fateor) etiam a Librariis hæc Epistola ita male sit habita, ut, quid Auctor sibi velit, ne divinando quidem assequi possis. Certe in iis, quæ adduximus, verbis, ut alia taceam, Victorii Periodum Dionysii Cyclo videtur postponere. Ita ut in iis, quæ de Eusebio dicit, exiguæ sane sit auctoritatis. & vehementer dubito, an non sit opusculum suppostititium.

In Cummiani Hiberni ad Segienum Hyensis monasterii abbatem Epistola (quæ in Usserii Epistolarum Hibernicarum Sylloge reperitur numero XIª, & circa annum Christi 636. scripta est) hujus Auctoris, sub nomine *Morini*, mentio fieri videtur.

Jo. Guil. Janus, in Historia Cycli Dionysiani, eum *Morinum Episcopum Alexandrinum* vocat, & hoc ejus opusculum, seu hanc ejus dispu-

tionem de ratione Paſchali, in MS^to Digbæano LXIII Bibliothecæ Bodleianæ extare, indicat, atque ultima hujus diſputationis verba inde profert, ab his verbis incipiens: *Obſerva igitur curſum Lunarem* &c. plane eodem modo ut ſupra: niſi quod pro illis verbis, *Tunc acceſſerunt*, in Codice Digbæano legatur: *Tunc ceſſaverunt*. §° VII, in Nota ad lit. C. p. 16. Confer §° XVIII. p. 48.

In Codice Bibliothecæ Cottonianæ, ſub titulo Caligulæ, A. 15, extat N° 15. *diſputatio Murini Epiſcopi Alexandrini de ratione Paſchali, de eo quod ſenſerunt alii diverſe de eo quod ſcriptum eſt: Poſt biduum Paſcha fiet.* Ut ex hujus Bibliothecæ Catalogo patet.

In Codice Remenſi 298°, reperitur etiam *Morini Epiſtola Paſchalis.* Teſte Jo. Guil. Jano, in Hiſtoria Cycli Dionyſiani, §° XIX, p. 52.

XII.

Bucherii ſententia de Euſebii Cyclo decemnovali.

Bucherius hac de re agit in ſuo in Victorii Canonem Commentario, Cap. VI. p. 127—129.

Non miror Bucherium Euſebio Enneadecaëteridis compoſitionem tribuere: facile enim teſtimonium Hieronymi, Gennadii, Iſidori, & Bedæ, re non preſſius examinata, quenquam abripere poſſunt.

Sed totum de hoc Euſebii Cyclo Bucherii ratiocinium, & varia, quæ illud ratiocinium ingrediuntur, Bucherii placita, ſatis mirari non poſſum.

Primo, ut hoc in anteceſſum moneam, nullum alium Anatolii Canonem decemnovalem agnoſcebat Bucherius, quam illum Pſeudo-Anatolii Canonem Latinum, quem ipſe primus, ex Codice MS^to Jac. Sirmondi, in hoc ipſo opere, edidit, & Notis illuſtravit: Græca enim de veri Anatolii Canone Euſebii verba non debite conſideravit.

Secundo Cyclum decemnovalem a Synodo Nicæna inſtitutum fuiſſe, & terminos Paſchales ab eâ definitos eſſe, negat. Sed hac de re agam in ſpeciali diſſertatione.

Tertio, quo Cyclo Eccleſia Alexandrina paulo ante Synodi Nicænæ tempora, & ipſo hujus Synodi tempore, uſa fuerit, non explicat: an fuerit ſcilicet Octaëteris illa, quam Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, tempore perſecutionis Valerianæ, edidit, ſeu reformavit: an vero illa

Ana-

Anatolii Enneadecaëteris, quam Bucherius confusissimam vocat: an vero quævis alia.

Quarto Eusebium Enneadecaëterida composuisse, & Constantino *eam exigenti* proposuisse, ex Eusebii de vita Constantini L. 4. C. 34 & 35, deducit Bucherius. *Quare* (inquit) *vehementer me incessit suspicio, Eusebium Cæsariensem primum Nicænæ Synodi temporibus Enneadecaëterida Paschalem eam Constantino exigenti (ut Libro Vitæ illius 4. Cap. 34. & 35. scribit; Hieronymus item in Hippolyto, Gennadius in Victorio. Beda de Rat. temp. Cap. 42. aliique confirmant) proposuisse. Cumque magna apud Constantinum Imperatorem auctoritate polleret; illam verisimiliter, si non nomine & tempore Synodi, saltem post illam proxime proposuerit ac ediderit.* Varia ad hæc singularia Bucherii verba habemus observatione digna. (a) Eusebius in illo, quem Bucherius allegat, loco agit de Libro, quem de Paschate scripserat, & Constantino nuncupaverat, quemque Constantinus benigne receperat, & Epistola responsoria Eusebium honoraverat, ut vidimus supra §° 3° & 4°. (b) Sed nulla in tota illa Eusebii narratione mentio Enneadecaëteridis Constantino imperatori ab Eusebio propositæ, imo Eusebium eo in Libro plane aliam tractasse materiam suadent ea, quæ Eusebius ipse C. 34, & Constantinus C. 35, dicunt, ut supra l. c. ostendimus. (c) Præterea, unde quæso hoc habet, Constantinum Enneadecaëteridis propositionem ab Eusebio *exegisse?* Certe illa Constantini de Paschate Epistola, cujus Eusebius C. 34 meminit, est illa ipsa, ad Eusebii nuncupationem, Constantini epistola responsoria, quam C. 35 profert Eusebius. (d) Si quid ex ordine narrationis Eusebianæ colligere licet, scriptus & Constantino oblatus est hic Eusebii de Paschate Liber, aliquo saltem tempore post Nicænam Synodum, ante Constantini tamen Tricennalia. Unde perit illa *verisimilitudo*, an non, quia magna apud Constantinum authoritate pollebat Eusebius, hanc suam Enneadecaëteridem nomine & tempore Synodi, saltem post illam proxime proposuerit & ediderit.

Quinto, *suspicatur*, *quod hæc Eusebii Enneadecaëteris*, *Alexandrinâ quidem*; *seu Theophilianâ postea contextâ*; *rudior fuerit*; *Anatoliana vero paulo distinctior : tametsi* (addit) *ne vola quidem illius modo supersit.* Sed, dato non concesso, Eusebium in illo, quem de Paschate scripsit, Libro etiam Enneadecaëteridem proposuisse; unde quæso hoc colligit Bucherius, eam Theophilianâ postea contextâ rudiorem fuisse, Anatolianâ vero paulo distinctiorem: an ex eo *quia Anatolianam*, *licet vitiosam*, *laudat Eusebius*. Verum non illam Pseudo-Anatolii Enneadecaëteridem, Latine

næ a Bucherio editam, laudat Eusebius, sed eam veri Anatolii, quam ipse describit Hist. Eccl. Lib. 7. C. 32. quæ ab alterâ illâ longe diversa est, ut in Dissert. nostris de utraque ostendimus. *Certe si*, judice Bucherio, *Bedæ fides habenda est*, *quum Cycli decemnovennalis auctorem primum planissime facit Eusebium*; *cur* non eidem Bedæ, qui Cycli decemnovalis Eusebiani Lunas XIV^{as} planissime easdem facit cum Lunis XIV^{tis} Cycli decemnovalis Dionysiani, fidem habet Bucherius. Sed audiamus Bucherium: *Decemnovalis* (inquit, p. 129.) *igitur Eusebii Cyclus*, *qualiscunque tandem fuerit*, *statim ab Nicæna Synodo*, *quasi ejus nomine*, *usum & auctoritatem apud nonnullos obtinuerit*, *& saltem ad alterum ab Theophilo editum subsliterit. Sed enim illum non satis solide conceptum*, *non certe ab omnibus æque probatum*, *duo convincunt. Primum enim*, *velut fœtus immaturus non longam ætatem egit: tum vero dissidia non sustulit. Quippe monet in Prologo Cyrillus*, *fuisse nihilominus magnam in omni Ecclesia*, *Prætorio ac Palatio*, *confusionem: diversos item Circulos per totum orbem disseminatos*, *qui etiam Alexandrinorum animos inconcusse possederint. quasi dicat*, *tam Alexandrinos quam alios*, *nec eodem omnes Cyclo usos*, *nec quem Theophilus postea texuit*, *plane tum secutos*, *&c.* Ad hæc Bucherii verba, satis obscura, varia observamus. 1° Cyclum Eusebii decemnovalem, quem supponitur in illo suo de Paschate Libro, proposuisse, non ab omnibus fuisse æque probatum, si respicias ad Romanam Ecclesiam, non est id quod quæritur, constat enim eam Cyclo LXXXIV annorum fuisse usam, sed hoc quæritur, an hic Eusebii Cyclus non satis solide fuerit conceptus, sive, ut supra dixerat, an Cyclo Theophiliano decemnovali rudior fuerit, & ab eo in Lunarum XIV^{arum} designatione dissentiebat. 2° *Cyclum Eusebii decemnovalem non satis solide fuisse conceptum*, *duo* (ut dicit) *convincunt*, quorum *primum est*, *quod velut fœtus immaturus non longam egerit ætatem: & saltem non ulterius*, *quam ad alterum ab Theophilo editum subsliterit.* Sed merito quæritur, unde hoc habeat Bucherius. At respondebit, ex eo, quod alterum Cyclum decemnovalem contexuit Theophilus. *Theophilus enim* (ut paulo post dicit) *licet nondum episcopus*, *a Theodosio tamen Seniore rogatus*, *clarius solidiusque in eam rem incubuit*; *& perfectam Enneadecaëteridos Alexandrinæ doctrinam primus aut invenit*, *aut distinctiore scripto conceptam promulgavit.* Sed quis veterum hoc de Theophilo Bucherium docuit, cum Enneadecaëteridem novam, ab ea, qua hactenus Ecclesia Alexandrina usa fuerat, diversam, contexuisse: hoc enim hic quæritur, & non, an distinctiore scripto conceptam eam promulgaverit. Novi

quidem

quidem *Theophilum*, *jam Episcopum Alexandrinum*, *a Theodosio Seniore rogatum*, *ut Sacramentum Paschæ evidentissima ratione dissereret*, *sibique dirigeret*, *præceptis ejus obtemperasse*, *&* 418 *annorum Circulum Paschalem instituisse*, *ejusque clementiæ*, *a primo anno Consulatus ejus usque ad centum calculantem*, *quoto Kalendarum vel Iduum*, *&* *quota Luna Pascha debeat celebrari*, *subjectis suis literis*, *destinasse*, *manifestamque veritatem sub libello breviter perstrinxisse*: ut in Prologo suo Paschali dicit Cyrillus. Sed de Enneadecaëteridis Alexandrinæ immutatione & correctione ne verbum quidem habet Cyrillus, aut ipse in Prologo suo Paschali Theophilus. Differunt etiam inter se Enneadecaëteris Paschalis, & Laterculus Paschalis centum annorum, ac Circulus Paschalis 418 annorum. Enneadecaëteris Paschalis proprie est Cyclus Lunarum XIVarum Paschalium, quæ spatio XIX annorum in orbem redeunt, & ad diem Paschatis inveniendum, adhibitis certis regulis, inserviunt, sed ipsa Paschata adscripta non habent. Et ejus generis Cyclum fuisse illum, quem Eusebius composuisse supponitur, crediderunt Hieronymus, Ceolfridus Abbas, ejusque discipulus Beda. Laterculus autem Paschalis Theophili centum annorum, (incipiens ab anno Christi 380°,) ejusque circulus Paschalis 418 annorum, (incipiens non a Diocletiano, sed ab anno Christi 475°,) ipsa Paschata, cum suis Lunis, exhibebant. * Adeoque Laterculus, aut Cyclus Paschalis non tollit Enneadecaëterida, antea in usu adhibitam, sed eam præsupponit, & ad Paschata invenienda adhibet; & una cum Paschatibus, eorumque Lunis, etiam Lunæ XIVtæ Paschales adjici solent, tanquam basis Cycli Paschalis, ut in Cyclo Paschali Ravennate XCV annorum, videre licet. Quia autem Laterculus iste Paschalis centum annorum Theophili, ad Papam Romanum missus, primus ejus generis fuit, qui in Occidente innotuit, atque ex eo methodus Alexandrinorum Paschalis multo magis & clarius, quam ex simplici Enneadecaëteride, cognoscebatur, mirum videri non debet, quod Victorius in Prologo suo Paschali, non Enneadecaëteridis Alexandrinæ, sed Paschalis Theophili centum annorum meminerit. 3° *Alterum*, quo, ut putat Bucherius, convincimur, Cyclum Eusebii decemnovalem non satis solide fuisse conceptum, est, *quod dissidia non sustulit*. Sed quænam, rogo, dissidia? An dissidia in Ecclesia Orientali, aut in Ecclesia Alexandrina oborta? Verum de iis (si Quartadecimanos, Audianos, aliosque hæreticos exceperis) nihil nobis constat post tempora Synodi Nicænæ. An vero dissidia inter Ecclesiam Orientalem, aut Alexandrinam & Ecclesiam Latinam

ſeu Romanam ? Verum, quod hæc diſſidia Cyclus, qui Euſebio tribuitur, decemnovalis non ſuſtulerit, mirum non eſt, quia Eccleſia Romana alio utebatur Cyclo, nempe LXXXIV annorum. Unde etiam neque Theophili Laterculus centum annorum Paſchalis ea diſſidia ſuſtulit, ut fuſe ipſe Bucherius hujus in Victorii Canonem Commentarii Cap. 1° & 2° oſtendit. Ita ut hinc de Cycli decemnovalis, Euſebio tributi, defectu concludere nihil liceat. 4° Sed, ad hoc probandum, provocat ad Cyrilli teſtimonium Bucherius. *Quippe* (inquit) *monet in Prologo Cyrillus, fuiſſe nihilominus* (non obſtante illo decemnovali Cyclo, ab Euſebio ſcilicet edito) *magnam in omni Eccleſia, Prætorio ac Palatio confuſionem.* Sed legat quis hunc Prologi Cyrilliani locum, & mirabitur, Bucherium hæc ſcribere auſum fuiſſe. Nullam enim ibi Cycli decemnovalis, Euſebio tributi, mentionem fecerat Cyrillus, ſed cujusdam decreti Nicænæ Synodi, de quo agam ſequenti diſſertat. Agit ibi Cyrillus de eo, quod circa initium Epiſcopatus Theophili contigerat, & in ſpecie de Paſchate anni Chriſti 387, Romanos inter & Alexandrinos controverſo: & dicit, occaſione hujus Paſchatis, magnam in omni Eccleſia, Prætorio, ac Palatio fuiſſe confuſionem. Sed conſtat, hanc confuſionem excitatam fuiſſe a Pontifice Romano, per Epiſtolas, quas de hoc Paſchate dubio & controverſo, ad Epiſcopum Alexandrinum, ad Theodoſium Imperatorem, & ad Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem ſcripſerat; ut ex Ambroſii ad Æmiliæ Epiſcopos Epiſtola, ex Theophili Prologo Paſchali, & ex hoc Cyrilli Prologo colligere licet. Sicut deinceps ſimilem confuſionem excitavit Leo Papa occaſione Paſchatis controverſi anni Chriſti 444, ut Cyrilli Epiſtola ad Leonem Papam, nec non Paſchaſini epiſcopi Lilybitani ad eundem Leonem Epiſtola, teſtantur. Atque iterum occaſione Paſchatis anni 455, per Epiſtolas, quas idem Leo Papa de illo Paſchate ad Martianum Auguſtum, ad Eudociam Auguſtam, & ad Julianum Coënſem ſuum apud imperatorem Conſtantinopoli legatum, ut & ad Proterium Epiſcopum Alexandrinum ſcripſit; ut ex tribus hiſce Leonis Epiſtolis, & ex Proterii ad Leonem Epiſtola reſponſoria, videre licet. Confer Bucherii in Canonem Victorii Commentarium C. 1, & 2. Ubi pleræque Epiſtolæ illæ exhibentur, & controverſiarum harum ſub Leone hiſtoria deſcribitur. 5° Addit Bucherius: *Cyrillum in Prologo etiam monere, diverſos item Circulos per totum Orbem diſſeminatos, qui etiam* ALEXANDRINORUM *animos inconcuſſe poſſederint.* Et explicationis cauſa adjicit: *quaſi dicat, tam Alexandrinos quam alios, nec eodem omnes Cyclo uſos; nec quem Theophilus poſtea texuit,*

plane

plane tum secutos. Verba ipsius Cyrilli, Prologi sui §° 3, hæc sunt: *Sed quoniam jam* ILLI *diversi Circuli, per totum orbem disseminati, etiam* NOSTRORUM *animos inconcusse possederant; iste, qui nuper est editus, vix ad paucos potuit pervenire. Cujus cum nimiam profunditatem &c.* Cyrillus in Prologi sui §° 1, egerat de Cyclo LXXXIV annorum, & de Cyclo CXII annorum: & de ILLIS *diversis Circulis* hic loquitur. *Deque illis* dicit, *eos per totum Orbem fuisse disseminatos*; quod quo sensu de illis duobus Cyclis dici possit non adeo clarum est, Cyclus quidem LXXXIV annorum, quo Latina utebatur Ecclesia, longe lateque disseminatus erat; sed Cyclus ille Hippolyteus CXII annorum, ubinam in usu erat, mihi non constat: novi quidem Cyclum Hippolyteum, reformatum, & anno Gordiani V, Christi 215° concinnatum, Cypriano tribui, & inter ejus opera extare; sed an ille apud Africanos in usu fuerit, dicere non possum. *Illi diversi Cycli* (inquit Cyrillus) *etiam* NOSTRORUM (non dicit *Alexandrinorum*, sed *nostrorum*) *animos inconcusse possederunt. Nostri*, de quibus hic Cyrillus, sunt *Orthodoxi*, in contradistinctione ad hæreticos, ab Ecclesia alienos: & respicit ad illos Orthodoxos, qui illis dictis Cyclis utebantur, & firmiter adhærebant. *Quoniam autem illi diversi Cycli, per totum orbem disseminati, etiam nostrorum animos inconcusse possederant. Iste* (inquit Cyrillus, rationem redditurus, quare suum XCV annorum Cyclum ediderit) *iste, qui nuper est editus, vix ad paucos potuit pervenire.* Loquitur de Theophili Cyclo 418 annorum. Dicit *eum vix ad paucos potuisse pervenire*, hoc est, in paucorum manus potuisse venire. Non tantum eam ob causam, quia illi, quorum animos illi diversi Cycli inconcusse possederant, vel nihil de eo inaudiverant, vel nulla eum cognoscendi, aut recipiendi cupidine tenebantur, cum nec ipsum ejus Laterculum centum annorum receperant; sed etiam eam ob causam, quia propter nimiam profunditatem etiam ab iis, qui eum descriptum penes se habebant, non intelligebatur, & propter infinitam 418 annorum congeriem, alii ab eo describendo deterrebantur.

DE

NICÆNA SYNODO,

An Enneadecaëterida instituerit, & Terminos Paschales definiverit, aliaque de Paschatis celebratione Decreta condiderit, inquiritur.

I.

Nicæna Synodus decrevit ut Pascha in die Dominica ab omnibus celebraretur.

HOc in confesso est, & ex Synodi Nicænæ Epistola Synodica, ad Ecclesiam Alexandrinam, & dilectos fratres per Ægyptum, & Libyam, & Pentapolim scripta, quæ reperitur apud Theodoritum, L. I. C. 9. p. 30. & Socratem, L. I. C. 9. p. 27. imprimis ex Constantini Imperatoris ad Ecclesias Epistola, quæ reperitur apud Eusebium de vita Constantini L. 3. C. 17, 18, 19, 20. Theodoretum, L. I. C. 10. p. 32. & apud Socratem, L. I. C. 9. p. 32, in medio, constare potest.

Et etiam confirmatur ex dissidio circa Paschatis celebrationem, quod jam inde a tempore Victoris Papæ inter Ecclesias Asiaticas, & reliquas orbis Ecclesias obtinuerat, & hactenus componi non potuerat. Ecclesiæ enim Asiaticæ Pascha celebrabant (cum Judæis) Luna XIV^{ta}, in quamcunque Septimanæ Feriam illa incideret. Vide Eusebium, Hist. Eccl. L. 5. C. 23, 24, & 25. & de vita Constantini, L. 3. C. 5. De dissidio circa Paschatis celebrationem, quod tempore Nicænæ Synodi, in Orientis partibus obtinebat, qui Judæorum more, festum (Luna XIV^{ta}) cele-

celebrabant, agunt quoque Socrates L. 1. C. 8. p. 18. D. & Sozomenus, L. 1. C. 16. p. 429. B. & C. edit. Mogunt. Confer etiam Epiphanium in Panario, L. 2. Tom. 1. de Hæresi quartadecimanorum. p. 419. & L. 3. Tom. I. de Schismate Audianorum, p. 820. §. IX—XIV.

II.

An Synodus Nicæna etiam decreverit ut Pascha in una eademque Dominica ab omnibus celebraretur, inquiritur.

1° Quod attinet *Synodi Nicænæ Epistolam Synodicam*, quæ *ad Ecclesiam Alexandrinam & dilectos fratres per Ægyptum, & Libyam, & Pentapolim* scripta est, & apud Theodoritum, & Socratem reperitur.

In ea hæc leguntur, Latine ex Valesii versione, apud Theodoritum.

Atque hæc sunt, quæ ad Ægyptum, & ad Sanctissimam Alexandrinorum Ecclesiam privatim pertinent. Si quid autem præterea, præsente Domino & charissimo collega & fratre nostro Alexandro, sancitum ac definitum est, id ipse vobis accuratius referet, quippe qui gestorum auctor ac particeps existat. Nuntiamus præterea vobis de concordia Sanctissimi Paschæ, hoc etiam negotium, precibus vestris adjuvantibus, feliciter confectum fuisse, cunctosque, qui in Oriente sunt fratres, qui antea cum Romanis & vobiscum, & cum omnibus jam inde ab ultima antiquitate Pascha observantibus minime consentiebant, deinceps vobiscum esse celebraturos. Vos ergo læti atque hilares ob felicem rerum eventum, (ἐπὶ τοῖς κατορθώμασι) *& ob communem omnium pacem atque concordiam, & quod hæresis omnis penitus excisa est, majore cum honore ac benevolentia collegam nostrum vestrumque Episcopum Alexandrum excipite, &c.*

Loquitur Synodus de *fratribus in Oriente, qui antea non fecerant* σύμφωνα, *consona Romanis, Alexandrinis, & omnibus, qui* ἐξ ἀρχῆς *Pascha observabant:* dum illi Pascha celebraverant Lunâ XIV^{ta}, in quamcunque septimanæ feriam illa incideret; hi vero non nisi in die Dominica.

Dicit Synodus, cunctos *illos fratres in Oriente deinceps vobiscum* (Pascha) *esse celebraturos.* Hoc est, cum vobis Alexandrinis, in die Dominica; & ut mihi videtur, in eadem vobiscum die Dominica. Alias enim

enim non foret συμφωνία circa Paſcha inter illos fratres in Oriente & Alexandrinos, ſi tantum in die Dominica, & non in eadem Dominica conſentirent, ſed Paſcha in diverſa Septimana, aut etiam in diverſo menſe celebrarent.

Quædam in hac Epiſtola Synodica aliter apud Socratem, L. 1. C. 9. p. 29. C. ac apud Theodoritum, leguntur: Nempe hoc modo: *Cunctosque qui in Oriente ſunt fratres, qui antea cum Judæis Paſcha celebrarunt, cum Romanis in poſterum, & vobiſcum, & cum omnibus, qui ab ultima antiquitate* (ἐξ ἀρχαίου) *nobiſcum Paſcha peregerunt, concorditer eſſe celebraturos.*

Quomodo autem Synodus dicere poterat, illos in Oriente fratres, qui *antea* cum Judæis Paſcha celebrarant, nunc *in poſterum* cum Romanis, cum Alexandrinis, & iis omnibus, qui ἐξ ἀρχαίου *ab antiquo tempore*, cum Eccleſia Paſcha peregerant, συμφώνως, *concorditer* eſſe celebraturos; niſi hoc ſenſu, quod illi, qui antea cum Judæis Paſcha celebraverant in Luna XIVta, in quamcunque Septimanæ Feriam illa incideret, nunc in poſterum Paſcha celebraturi eſſent ſemper in die Dominica, ſicut a Romanis, & Alexandrinis, & in Eccleſia antiqua, ſemper in die Dominica Paſcha celebrabatur, & celebratum fuerat. Non autem, ut videtur, hæc reſpiciunt ad celebrationem Paſchatis in una eademque Dominica propter diverſos Cyclos, quibus Romani, & Alexandrini, & Eccleſia antiqua utebantur, & uſa fuerat.

Gelazius Cyzicenus in Hiſtoria Concilii Nicæni. L. 2. C. 33. hanc hujus Concilii Epiſtolam Synodicam producens, verba hæc eodem modo exprimit, ut apud Socratem leguntur.

Vera Lectio tamen videtur illa eſſe, quæ apud Theodoritum reperitur.

2° Quod attinet *Conſtantini Imperatoris Epiſtolam ad Eccleſias* ſcriptam, quæ reperitur apud Euſebium de vita Conſtantini, L. 3. C. 17—20. & apud Theodoritum, L. 1. C. 10. & Socratem L. 1. C. 9. p. 32. C. edit. Mogunt.

In ea hæc reperiuntur, Latine ex Valeſii verſione, apud Euſebium. (& eodem modo apud Theodoritum, & Socratem).

Ubi (inquit, C. 18.) *cum de Sanctiſſimo etiam Paſchæ die quæſitum fuiſſet, communi omnium ſententia decretum eſt eam feſtivitatem uno eodemque die* (ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας) *ab omnibus ubique celebrari oportere. Quid enim pulchrius, quid honeſtius nobis eſſe poſſit, quam ut hæc feſtivitas, a qua ſpem immortalitatis accepimus, uno eodemque ordine & certa ratione* (μιᾷ τάξει, καὶ φανερῷ λόγῳ) *ab omnibus inoffenſe obſervetur.*

Ac

Ac primum quidem visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in Sanctissimæ hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur. Quod deinde ulterius urget: & quo probatur Pascha cum Judæis non esse celebrandum in Luna XIV^{ta} in quamcunque septimanæ feriam illa incidat, sed semper in die Dominica.

Deinde sic pergit: *Illud præterea considerandum est, nefas esse, ut in tanti momenti negotio, & in hujusmodi religionis solemnitate dissensio reperiatur. Unum enim libertatis nostræ festum diem, hoc est, diem Sacratissimæ Passionis, Servator noster nobis reliquit, unamque esse voluit Catholicam Ecclesiam. Cujus membra licet variis locis dispersa sint, uno tamen spiritu, Dei scilicet voluntate foventur. Consideret, quæso, Vestræ Sanctitatis solertia, quam grave sit & indecorum, iisdem diebus alios quidem jejuniis intentos esse, alios vero convivia celebrare: & post dies Paschæ alios quidem in festivitatibus & animorum remissione versari, alios vero definitis vacare jejuniis. Hoc itaque convenienti emendatione corrigi, & unam eandemque formam redigi, divina vult providentia, quemadmodum omnes, meo quidem judicio, intelligitis.* * Hæc argumentatio non tantum probat Pascha celebrandum, non cum Judæis in Luna XIV^{ta} in quamcunque septimanæ feriam incidente, sed semper in die Dominica, sed præterea probat, Pascha in una eademque die Dominica ab omnibus esse celebrandum. Si enim non in una eademque Dominica Pascha ab omnibus celebretur, sed a se invicem vel integra septimana, vel nonnunquam toto mense dissentiant, tum manebit in tanti Festi celebratione διαφωνία, *dissidium*, & *Ecclesiæ Catholicæ unitas læditur*, & *in jejuniis Paschalibus conspicitur dissensus*. Adeoque ex Constantini sententia, in Synodo Nicæna communi sententia decretum, non tantum, ut in die Dominico, sed etiam, ut in uno eodemque die Dominico, Pascha ab omnibus ubique celebraretur.

Deinde sic pergit *Constantinus*, C. 19: *Proinde cum hoc ita emendari oporteret, ut nihil nobis commune esset cum illorum Domini interfectorum, & parricidarum consuetudine; cumque hic ordo* (τάξις) *decentissimus sit, quem omnes tam Occidentalium, quam Meridianarum, & Septentrionalium orbis partium Ecclesiæ, ac nonnullæ quoque Orientalium servant: idcirco id æquum rectumque esse omnes judicaverunt, quod & vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet quod in urbe Roma, perque omnem Italiam: Africam, Ægyptum: per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libyas; per universam Achaiam; per Asianam & Ponticam diœcesim; per Ciliciam denique concordi sententia observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplecta-*

plectatur. Illud nimirum attendens non modo majorem esse numerum Ecclesiarum in locis supra memoratis; verum etiam æquissimum esse, ut omnes in commune id velint, quod stricta ratio exigere videtur; nec ullam cum Judæorum perjurio societatem habere. Atque, ut summatim & breviter dicam, placuit communi omnium judicio, ut Sanctissimæ Paschæ festivitas UNO EODEMQUE DIE (μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ) *celebraretur. Neque enim decet in tanta sanctitate aliquam esse dissonantiam, præstatque eam sequi sententiam, in qua nulla est alieni erroris scelerisque societas atque communio. &c.*

* Constantinus non videtur scivisse aut cogitasse, quod illæ, quas hic enumerat, Ecclesiæ non omnes uno eodemque utebantur Cyclo. Videtur supposuisse, illos in Oriente fratres, qui hactenus Pascha cum Judæis celebraverant in Luna XIV^ta^, in quamcunque septimanæ Feriam illa incideret, Si illum errorem & consuetudinem Judæorum relinquerent, & Pascha semper in die Dominico celebrarent, etiam Pascha in una eademque Dominica, cum Ecclesia Catholicâ, celebraturos, & illud Pascha, quod omnes illæ enumeratæ observabant Ecclesiæ, amplexuros. *& sic Synodi decreto, de Paschate uno eodemque die* (μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ) *celebrando, satisfacturos.*

* Hæc Constantini Epistola mihi videtur scripta esse ad *illas Ecclesias, quæ hactenus cum Judæis Pascha celebraverant.*

3° Quod attinet Synodi hujus de Paschatis celebratione decretum.

Eusebius de vita Constantini L. 3. C. 14. dicit: ὡς . . σωτηρίας ἑορτῆς τὸν αὐτὸν παρὰ τοῖς πᾶσιν ὁμολογηθῆναι καιρόν. *ut . . . unum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur.*

Eadem verba ex Eusebio refert Socrates L. 1. C. 8. p. 21. D.

Sozomenus autem L. 1. C. 21. p. 436. C. sic scribit: ἔδοξε τῇ συνόδῳ καὶ τὴν Πασχαλίαν ἑορτὴν ἅπαντας κατὰ τὸν αὐτὸν ἐπιτελεῖν καιρόν. *Placuit Synodo, ut omnes festum Paschale uno eodemque die celebrarent.*

4° Epiphanius in Panario, seu Opere adversus hæreses, Libri 3^tii^, Tomo 1°, de Schismate Audianorum, §° IX. p. 821. C. dicit *alterum* (quod Deus per Constantinum, & Synodum Nicænam, ab eo congregatam, nobis præstitit) *fuit celebrandi Paschatis ad stabiliendam nostrûm omnium concordiam emendata ratio.* Græca ita sonant: καὶ τὸ περὶ τοῦ Πάσχα εἰς ΕΝΩΣΙΝ ἡμῶν ὑπ' αὐτῶν διορθωθῆναι. *Jam pridem enim, & a primis usque temporibus, variæ in Ecclesia de hac solennitate controversiæ ac dissensiones extiterunt, quæ quotannis risum ac ludibrium afferebant. Nam alii quodam contentionis ardore ante hebdomadam, alii post heb-*

hebdomadam inibant, alii antevertebant, alii medio tempore, alii postremo peragebant. Et ut uno verbo dicam, mirifica quædam erat, & laboriosa perturbatio &c. Quare (inquit p. 822. A.) *qui tum ad Synodum Nicænam undique confluxerant, re accurate cognita, communi ab omnibus concordia, atque ex idonea temporum computatione & calculo, celebrandum esse statuerunt.* Græca hic ita se habent: διὸ συνελθόντες οἱ πανταχόθεν τότε, καὶ ἀκριβώσαντες, ὥρισαν μεθ' ὁμονοίας γίνεσθαι κατὰ τὸ πρέπον τῆς ψήφου, καὶ τῆς ἀκολουθίας. * Hinc patet Synodum Nicænam definivisse, non tantum, ut in dominico die, sed etiam ut in una eademque Dominica, Pascha ab omnibus celebraretur, atque hoc modo etiam hac in parte ἕνωσις, *concordia* Ecclesiarum obtineretur.

Idem Epiphanius, ibidem, §° X. p. 822. D. ita scribit: *Porro post Constitutionem illam* (Apostolicam sic dictam, de qua egerat) *quindecim e circumcisione Episcopi fuerunt, id Hierosolymis, quorum authoritatem Christianus omnis Orbis sequi, & cum illis celebrare Pascha debuit: una ut omnium concordia* (συμφωνία) *una professio, una celebritatis obeundæ ratio ac consuetudo firmaretur.* (μία ἑορτὴ ἐπιτελουμένη.) *Igitur ad hominum mentes in unam Ecclesiæ societatem, quæ tanto temporis spatio nondum obtineri potuerat, conciliandas, patrum illorum cura, diligentiaque, non sine Dei nutu, Constantini temporibus incubuit.* * Quo modo dicta confirmantur, nempe patres Nicænos in suo de Paschate decreto, talem intendisse Ecclesiæ ἕνωσιν, *concordiam*, seu, *unionem*, ut fieret μία ἑορτὴ ἐπιτελουμένη, hoc est, ut Festum Paschale una eademque Dominica ab omnibus celebretur, & unitas Ecclesiæ conservetur.

III.

An ex Nicænæ Synodi Actis constet, Enneadecaëteridem ab ea fuisse institutam, inquiritur.

Absque hæsitatione respondemus, hoc ex hujus Synodi Actis non constare.

Sed notandum, Acta hujus Synodi proprie sic dicta (in quibus, quid singulis Concilii Actionibus, seu Sessionibus gestum sit, annotatur) non extare: sive, quod, ut mihi videtur, a Notariis non fuerint excepta, sive, quod cito perierint.

Nihil enim ex hujus *Synodi Actis* habemus, nisi *Symbolum*, & *Canones genuinos XX.*

Præter *varias Epistolas*, ea occasione scriptas, quas Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores nobis conservarunt.

Mirum itaque non est, si hoc ex Actis Concilii, quæ supersunt, non constet.

Agnoscimus etiam, apud Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores Socratem, Sozomenum, Theodoritum, & Eusebium de vita Constantini, in eorum de hac Synodo narrationibus, nullam Enneadecaëteridis a Synodo Nicænâ institutæ fieri mentionem.

IV.

An aliunde constet, Enneadecaëteridem a Synodo Nicæna institutam esse, inquiritur.

A. Epiphanius videtur hoc innuere, & supponere.

Ita enim adversus hæreses Libri 3^{tii}, Tomo 1^{o}, de Schismate Audianorum, p 822. A. scribit (quem locum supra, $§^{o}$ 2, N^{o} 4^{o}, adduximus) διὸ συνελθόντες οἱ πανταχόθεν τότε, καὶ ἀκριβώσαντες ὥρισαν μεθ' ὁμονοίας γίνεσθαι κατὰ τὸ πρέπον τῆς ψήφου καὶ τῆς ἀκολουθίας. hoc est, *quamobrem, quum convenissent, qui undique ad Synodum Nicænam confluxerant, & rem accurate expendissent, definierunt, unanimo consensu, Pascha faciendum juxta decentiam computi, seu calculi, & consequentiæ.*

Unde patet Synodum Nicænam non tantum decrevisse in genere Pascha ab omnibus celebrandum in die Dominico, & quidem in una eademque Dominica, sed etiam simul, quomodo hoc ab omnibus uno eodemque die fieri posset, monstrasse viam, & definivisse μεθ' ὁμονοίας γίνεσθαι κατὰ τὸ πρέπον τῆς ψήφου καὶ τῆς ἀκολουθίας. Nempe monstravit ipsis Cyclum decemnovalem, qui XIX Lunas XIV^{tas}, totidem annorum spatio in orbem redeuntes, exhibet: ut in anno dato, debitam Lunam XIV^{tam} inde desumerent, & consequenter debitam hoc anno Dominicam Paschalem caperent, & in eâ Pascha celebrarent.

Confer ibidem p. 823. A. ubi de ψήφῳ Ἐκκλησιαστικῇ loquitur, hoc est, de *calculo*, seu *computo Ecclesiastico*. Item p. 821. B. de τῆς αὐτῆς ψήφου ἀκολουθίᾳ, hoc est, de *illius calculi* seu *computi*, a Synodo Nicæna instituti, *consequentia*.

Præterea idem Epiphanius, ibidem, $§^{o}$ XIII. pag. 825. C D. & p. 826. A. B. Περίοδον Ὀκταετηρίδος, hoc est, *circuitum Octaëteridis*, seu

ſeu potius, *Ogdoadis*, quæ Cycli decemnovalis prior pars eſt, ejusque annos ſingulos percurrens, docet in Ogdoade eſſe tres annos Embolimæos, 3^{um}, 6^{um}, & 8^{um}, & iis menſes tres Embolimæos, dierum XXX ſingulos, inſeri: hæc deinde addit: ἐν τούτοις τοῖς τρισὶν ἐμβολίμοις τῶν τριῶν συστάσεων διαφωνεῖ τὸ Πάσχα παρὰ Ἰουδαίοις τε καὶ Χριστιανοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις. Quæ Petavius ſic vertit: *In his tribus intercalaribus menſibus, qui triplici illa dierum collectione conſtant, Judæorum Páſcha a Chriſtianorum, cæterorumque Paſchate diverſum eſt*; ego autem ſic verterem: *In illis tribus intercalaribus* τῶν τριῶν συστάσεων, *differt Paſcha apud Judæos & Chriſtianos, &* (in) *aliis, ſcilicet intercalaribus* τῶν λοιπῶν συστάσεων, *in Hendecade.* * Ratio hujus meæ verſionis hæc eſt, quod præter Judæos & Chriſtianos, nullos *alios* noverim, qui Paſcha celebrent; præterea, quod non tantum Paſcha Judæorum & Chriſtianorum differat in quibusdam Ogdoadis annis, ſed etiam in quibusdam Hendecadis annis; quæ Hendecas altera pars erat Cycli decemnovalis, quo, tempore Epiphanii, Chriſtiani in Eccleſia Orientali utebantur, quique forte ſolus Epiphanio cognitus erat: accedit, quod ex occaſione, quam habuit Epiphanius ad Periodum Octaëteridis hoc modo percurrendam, quamque indicat p 825. B. pateſcat, hic *Ogdoada*, quæ Cycli decemnovalis prior pars eſt, tantum explicari ſpeciminis loco; niſi quis velit ſtatuere Epiphanium ſuo tempore Cyclo Octennali uſum fuiſſe, quod nullam probabilitatis ſpeciem habet. *ob has rationes judico illa* verba: ἐν τούτοις τοῖς τρισὶν ἐμβολίμοις καὶ τοῖς ἄλλοις; *conjungenda eſſe.*

Nota Epiphanium opus ſuum adverſus hæreſes ſcripſiſſe ante Theophili Alexandrini Epiſcopatum.

B. Ambroſius hoc expreſſis verbis teſtatur.

Ita enim in Epiſtola, quam de Paſchate anni Chriſti 387, ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos ſcripſit, §° 1° dicit: *Non mediocris eſſe ſapientiæ, diem celebritatis definire Paſchalis, & Scriptura divina nos inſtruit, & traditio majorum: qui convenientes ad Synodum Nicænam, inter illa fidei ut vera ita admiranda decreta, etiam ſuper celebritate memorata, congregatis peritiſſimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quaſi quendam conſtituere Circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc Circulum Enneadecaëterida nuncupaverunt, ſequentes illud, quod non debeamus vana quadam opinione ſuper celebritate hujusmodi fluctuare; ſed vera ratione comperta ita omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique Sacrificium pro Reſurrectione Domini deferatur.* * Hæc ſunt diſertiſſima.

Z 2 Idem,

Idem, in eadem Epiſtola, §° 7°, ſic ſcribit: *Unde & majores noſtri in tractatu Concilii Nicæni eum diem* (hoc eſt, diem VII Kal. Maji, ſeu Apr. 25.) *in Enneadecaëteride, ſi quis diligenter intendat, ſtatuendum putarunt.*

* Bucherius in ſuo in Victorii Canonem Commentario, C. VI. p 128. prioris loci Ambroſiani, ut videtur, oblitus, quod tamen mirum; hunc alterum locum hoc modo adducit: *Paulo prudentius* (quam Gennadius, in Theophilo, qui, judice Bucherio, quam circa Synodi tempora conſtruxerat Euſebius Enneadecaëteridem, ab ipſa Synodo profectam exiſtimaſſe videtur) *Ambroſius Epiſtola* 83. *Majores noſtri, inquit, in Tractatu Concilii Nicæni, eum diem* (*Paſchalem*) *Enneadecaëteride, ſi quis diligenter intendat, ſtatuendum putarunt. Quaſi dicat, non id quidem patres exerte definiviſſe, ſed ita videri poſſe, ſi quis diligenter attendat.* Sed quomodo patres Enneadecaëteride diem Paſchalem *exerte* definire poterant. Enneadecaëteris enim, non dies Paſchales, ſed Lunas XIV^tas^ Paſchales *exerte* exhibet; & in hoc anno Chriſti 387° exhibebat in die XIV Kal. Maji, hoc eſt, April. 18, Lunam XIV^tam^ Paſchalem. Si quis jam diligenter attendat, hoc anno Chriſti 387° diem XIV Kal. Maji, hoc eſt, April. 18. incurrere in Dominicam, & præterea attendat, diem Paſchalem in Luna XIV^ta^ celebrari non poſſe, deprehendet Paſcha in ſequentem Dominicam, & diem VII Kal. Maji, hoc eſt, April. 225, eſſe transferendum. Adeoque *prudenter* dicit Ambroſius, *majores in Tractatu Concilii Nicæni, eum diem* (VII Kal. Maji, hoc eſt, April. 25.) *Enneadecaëteride, ſi quis diligenter intendat, ſtatuendum putarunt.* Sed non eo, quo Bucherius vult, ſenſu: ſi enim patres Nicæni in ſua Enneadecaëteride (quod ſtatuit Ambroſius) exhibent, in anno Chriſti 387°, *exerte* Lunam XIV^am^ in die XIV Kal. Maji, hoc eſt, April. 18, eo ipſo per neceſſariam conſequentiam, (quia Paſcha in Luna XIV^a^ celebrari non poteſt) eum diem VII Kal. Maji, hoc eſt, April. 25, pro die Paſchali ſtatuendum, hoc anno Chriſti 387°, *putarunt*, & definierunt. Poſterius enim ex priori neceſſario ſequitur.

C. Cyrillus Alexandrinus in Epiſtola ad Leonem Papam ſcripta de Paſchate anni Chriſti 444, (quam Bucherius, & merito, pro genuina Cyrilli Epiſtola habet) ſic ſcribit: *Scruteminique diligentiſſime, quæ* (forte, *quas*) *ordinavit Synodus Nicæna, Lunas XIV^tas^ omnium annorum per decemnovennalem Cyclum, &c.* Et paulo poſt: *Credite mihi, quod ſi non ſcripſiſſet Synodus Nicæna Cyclum Lunarem primi menſis, &c.*

D. Proterius Alexandrinus in ſua ad Leonem Papam, de Paſchate anni

anni Christi 455, Epistola responsoria, sic scribit: *Sed Beatissimi patres nostri, Cyclum decemnovennalem certius affigentes, quem violari impossibile est, veluti crepidinem ac fundamentum, & regulam, hunc eundem decemnovennalem Computum statuerunt, non juxta Judæorum nunc indoctas atque ineptas actiones,* (forte, *rationes,*) *neque secundum exterorum putativam fictamque prudentiam, sed secundum gratiam Spiritus Sancti instituti, in revolutione sæpe memorati decemnovennalis Circuli decimas-quartas Paschales Lunas diligentius annotarunt.*

* Non expresse quidem dicitur, hos patres fuisse patres Nicænos, sed tamen ita describuntur, ut dubium non sit, eos indigitari.

E Dionysius Exiguus hoc omni nisu inculcat.

Ita enim in 1ª sua de ratione Paschæ, ad Petronium Episcopum Epistola, scribit: *Paschalis Festi rationem explicare curavimus: sequentes per omnia venerabilium trecentorum & octodecim Pontificum, qui apud Nicæam civitatem Bithyniæ contra vesaniam Arrii convenerunt, etiam rei hujus absolutam veramque sententiam. qui quartasdecimas Lunas Paschalis observantiæ per novendecim annorum redeuntem semper in se Circulum stabiles immotasque fixerunt: quæ cunctis sæculis eodem quo repetuntur exordio sine varietatis labuntur excursu. Hanc autem regulam præfati Circuli non tam peritia singulari (alii sæculari) quam Sancti Spiritus illustratione sanxerunt, & velut anchoram firmam & stabilem huic rationi Lunaris dimensionis apposuisse cernuntur.*

* Et per totam hanc Epistolam omnia, quæ hunc Cyclum decemnovalem, & Regulas Paschales spectant, ubivis patribus Nicænis tribuit. Et in specie §° ultimo dicit, *se Proterii ad Leonem Papam Epistolam, a se ante annos Latine versam, huic operi adnectandam curasse.*

Idem Dionysius in 2ᵈᵃ sua, ad Bonifacium & Bonum Epistola, dicit: *Omnem deinceps diversitatis oppugnationem sublatam fore credideram; maxime quod Sanctorum trecentorum octodecim Antistitum, qui apud Nicæam convenerant, auctoritatem totis nisibus insinuare curaveram. qui in ipso* (alii, *illo*) *Concilio venerando decemnovennalem Cyclum regulariter affigentes, quartasdecimas Lunas Paschales observantiæ per omnia tempora legi* (alii, *lege*) *suæ revolutionis immobiles annotaverunt.*

F. Auctor Chronici Paschalis (qui Heraclio Imperante, sæculo VII ineunte scripsit) idem expresse testatur.

Ita enim scribit, in Præfatione, p. 9. A—C. edit. Paris. (ex Caroli Du Fresne D Du Cange interpretatione Latina) *Pace deinde ac concordia cum Sanctarum Dei Ecclesiarum dogmatum integritate stabilita, Sancta &*

Deifera Ecclesiæ luminaria ac Doctores, cum menses Lunares non similiter ab omnibus putari adverterent, ne discordia exinde alia, turbaque in Dei Ecclesiis de Sancto & vivifico Paschate emergeret, hancce dissensionem plurima adhibita cura præcidere sategerunt, mirandumque illum & insignem decemnovalem Lunæ Cyclum, Deo inspirante, procudere (ἐξέθεντο). *Qui quidem quoto duorum mensium die, Martii, inquam, & Aprilis, quovis anno juxta Ecclesiasticam regulam occurreret decimaquarta primi apud Hebræos mensis Luna, qua legale Pascha celebrari præcipitur, quæque olim & ab initio, absque Scriptura quidem, sed rite obtinebat, indicaret, scripto mandarunt, firmaruntque, ita ut hisce perceptis, & a fidei alumnis inviolate observatis, Sanctum & redemptorium nostrum magni Dei & Servatoris Jesu Christi Pascha cum pace exigerent. Iis ergo, qui recte sentiunt, ad Sancti Paschatis Festi Ecclesiasticam regulam sufficit a Deiferis patribus propositus in semet semper recurrens decemnovennalis Lunæ Cyclus, quo indicatur quo anno ac quoto Martii vel Aprilis die, decima quarta primi mensis Lunæ invenitur, qua legale Pascha præceptum est celebrari: qua quidem cognita, quoto hebdomadis die singulis annis illa occurrat, quivis percipiet, atque adeo si die Dominica illa inveniatur, sequenti Dominica celebrandum esse Sanctum Pascha: Si vero alio quovis sex dierum die, sequenti Dominica celebrandum esse Sanctum Pascha quivis assequi facile poterit, & quoto Martii aut Aprilis die singulis annis salutare Pascha Ecclesia celebrabit.*

Recte monet Auctor, non sufficere in genere decretum fuisse, ut Pascha una eademque die ab omnibus celebraretur, (de quo egerat, p. 8.) sed ut hoc decretum executioni dari possit, etiam diversum Lunæ computum esse tollendum, & ejusmodi Cyclum Lunæ edendum, quo, si eum omnes sequerentur, concordia in Computo Lunæ, & in celebratione Paschatis in una eademque die, obtineri posset. Hoc autem Deiferos Patres, hoc est, patres Nicænos, fecisse dicit, edito Cyclo Lunæ decemnovennali, cujus ope eo, quo dicit, modo Pascha quotannis deprehenditur. Putat autem erroneè Cyclum Lunæ decemnovalem *jam olim & ab initio*, sed *non scriptum* (ἀγράφως) in usu fuisse, sed a patribus Nicænis *scripto mandatum*, *firmatumque esse*.

G. Dubitavi an Gennadii Massiliensis, hominis male informati, testimonium hic adferrem.

Ita enim in Libello de Scriptoribus Eccl. C. 33. de Theophilo Alexandrino dicit: *Paschæ etiam recursum, quem magna apud Nicæam Synodus post nonaginta & quinque annos agi in tempore, & die & Luna secundum*

cundum suum statum invenerat, additis quibusdam ipsius festivitatis rationibus & expositionibus, Theodosio obtulit.

* Theophilus, ut notum est, Laterculum Paschalem centum annorum Theodosio obtulit. In Laterculo autem centum annorum Paschali nullus obtinet *Paschæ recursus:* Sed in XCV annorum Cyclo, qualem primus edidit Cyrillus, quidam *Paschæ recursus*, sed non præcisus, observatur: quia spatio XCV annorum evoluto, eadem fere Paschata *recurrunt.* Videtur itaque Gennadius Theophili Laterculum centum annorum Paschalem, cum Cyrilli XCV annorum Cyclo Paschali confudisse. Præterea *quis veterum unquam dixit, quod magna apud Nicæam Synodus ejusmodi Paschæ recursum invenerit, quo post XCV annos Paschata eodem die & Luna recurrant, & ad suum statum, quem spatio XCV annorum elapso habuerant, iterum redeant.* Hoc, non Synodi Nicænæ, sed Cyrilli Alexandrini inventum est. Id quod veteres Synodo Nicænæ tribuunt, est institutio *Enneadecaëteridis*, seu Cycli decemnovennalis, in quo non Paschæ, sed Lunæ XIV*æ* Paschalis recursus obtinet, quo post XIX annos evolutos eædem Lunæ XIV*tæ* recurrunt, & ad suum statum revertuntur. De quo Gennadius non loquitur.

* Perit itaque *Bucherii*, in suo in Victorii Canonem Commentario. C. 6. p 127. *bella illa consideratio. Cumque magna apud Constantinum Imperatorem auctoritate polleret* (Eusebius,) *eam* (suam Enneadecaëteridem) *verisimiliter, si non nomine & tempore Synodi, saltem post illam proxime proposuerit ac ediderit; occasionemque Gennadio forte dederit, ita in Theophilo scribendi: Theophilus Paschæ recursum &c.* ut supra vidimus. Eusebius itaque, dum suum Cyclum decemnovennalem, proxime post Synodum Nicænam, proposuit & edidit, Gennadio forte occasionem dedit, tribuendi Synodo Nicænæ inventionem *recursus Paschæ spatio XCV annorum.* Quænam quæso hic consequentia, & quid Enneadecaëteris, in qua non Paschata, sed duntaxat Lunæ XIV*tæ* annotantur, cum recursu Paschæ, in quo Paschata spatio XCV annorum recurrunt, & in orbem redeunt, commune habet? Quomodo unum ex altero in mentem Gennadii venire potuit? At dicet Bucherius: *Anni isti 95 satis arguunt Cyclum illum, Enneadecaëtericum seu decemnovennalem fuisse, quando totidem anni Cyclos ejus generis quinque complectuntur.* Sed quid tum? an propterea eum ita consideravit hoc in loco Gennadius. An, quod spatio XCV annorum fiat Paschatum quidam recursus, hoc ex eo oritur, quia 95 anni quinque Cyclos decemnovales complectuntur, an vero hoc de cursu Solis seu discursu feriarum provenit? Unde etiam, quæ ibidem

dem ſubjungitur Bucherii conſideratio huc non pertinet. *Ita Gennadius*, (inquit) *quam circa Synodi tempora conſtruxerat Euſebius Enneadecaëteridem, ab ipſa Synodo profectam exiſtimaſſe videtur.* Cum enim abſque ullo fundamento aut indicio dicantur, æque facile rejiciuntur.

V.

An Synodus Nicæna Regulas Paſchales condiderit & terminos Paſchales definiverit inquiritur.

Si Synodus Nicæna Enneadecaëteridem non inſtituit, fruſtra hac de re quæritur.

Si vero ſupponatur Enneadecaëteridem inſtituiſſe. & quidem conformem Enneadecaëteridi Alexandrinorum, qualem veteres Scriptores, qui Synodo Nicænæ Enneadecaëteridis inſtitutionem tribuunt, eam fuiſſe ſtatuunt: tum Lunæ XIV[tæ] Paſchales, quæ ſpatio XIX annorum in orbem redeunt, omnes & ſingulæ determinatæ & cognitæ ſunt. Et per conſequens etiam omnes & ſingulæ Neomeniæ menſis primi ſeu Paſchalis erunt determinatæ & cognitæ. Ac tum fruſtra quæreretur, quem terminum ſeu Limitem Neomeniarum & Lunarum XIV[arum] Paſchalium citimum & ultimum conſtituerit & definiverit Synodus Nicæna.

Sed quia illa Enneadecaëteris, non ipſa Paſchata, ſed duntaxat Lunas exhibebat XIV[as] Paſchales, neceſſariæ erant regulæ, quarum ope, ex Lunis XIV[tis], ipſæ Dominicæ Paſchales, ſeu ipſa Paſchata deprehenderentur.

Hæ regulæ ſub hac unica comprehendi poſſunt, *Paſcha celebrandum in die Dominica, quæ Lunam XIV[am] Paſchalem proxime inſequitur.*

Hac enim Regula poſita, eo ipſo Dominicarum Paſchalium, & Lunæ in die Paſchatis terminus, ſeu Limes citimus & ultimus conſtituitur & definitur.

In ipſa autem hujus Enneadecaëteridis conſtitutione hæc regula obſervatur, ut nulla Luna XIV[a], quæ Æquinoctium, diei Martii 21° affixum, prævertit, pro Luna XIV[a] Paſchali habeatur, ſed tum ſequens Luna XIV[a] aſſumatur, quæ poſt XXX dies occurrit.

Curſus autem ipſe Lunaris, & menſium Lunarium initia vera vel media ad motus cœleſtes veros vel medios forent exploranda.

His præmiſſis, videamus quid hac de re apud veteres nobis occurrat.

1° Epi-

1° Epiphanius adversus Hæreses Libri 3tii Tomo 1°, de Schismate Audianorum, §° XII. p. 824. B. ita scribit: *Qua de re plura a nobis commemorari possent, ex quibus constaret, majores nostros saluberrimo consilio, sive potius Deum per illos, religiosissimi illius ac sanctissimi diei celebrandi accuratissimam tradidisse rationem, ut nimirum post Æquinoctium iniretur, quoties Lunæ decima quarta dies incideret, non ut ipsa decima quarta peragatur* (μετὰ ἰσημερίαν μὲν ποιεῖσθαι, ὅτε ὑποπίπτῃ ἡ τῆς Τεσσαρεσκαιδεκάτης κατὰ τῆς σελήνης ἡμέρας ψῆφος, οὐχ ἵνα ἐν αὐτῇ τῇ Τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἐπιτελέσωμεν.) Confer p. 823. A. B. §° XI.

2° Dionysius Exiguus in 1a de ratione Paschæ ad Petronium Episcopum epistola ita scribit: *Præfati trecenti & octodecim Pontifices ab VIII Idus Martii usque in diem Nonarum Aprilium, natam Lunam facere dixerunt primi mensis exordium: & a XII Kalendarum Aprilium usque in XIV Kalendas Majas, Lunam XIVtam solertius inquirendam.* & post pauca: *In quo* (Æquinoctio, diei XII Kal. April. affixo) *etiam, si* (alii *etiamsi*) *Luna XIVta Sabbato contigerit* (*quod semel in XCV annis accidere manifestum est*) *sequenti die Dominico, id est XI Kalendas Aprilis, Luna XVta, celebrandum Pascha, eadem Sancta Synodus sine ambiguitate firmavit. Hoc modis omnibus admonens, ut ante XII Kalendas Aprilis Lunam XIVam Paschalis Festi* (Petav. *Paschali Festo*) *nullus inquireret, quam* (Petav. *quæ*) *non primi mensis, sed ultimi esse constaret.*

3° Auctor Chronici Paschalis in Præfatione p. 9. Verba adduximus supra, §° 4°, Lit. F.

V I.

De Paschatis indicendi cura, a Synodo Nicæna Alexandrino Episcopo demandata.

Cyrillus in Prologo suo Paschali §° 2° hæc habet: *Cum his igitur atque hujusmodi dissensionibus per universum Orbem Paschalis regula turbaretur; Sanctorum totius Orbis Synodi consensione decretum est, ut, quoniam apud Alexandriam talis esset reperta Ecclesia, quæ in hujus scientia clareret, quota Kalendarum vel Iduum, quota Luna Pascha debeat celebrari, per singulos annos Romanæ Ecclesiæ literis intimaret: unde Apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem diffinitum Paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret.*

Quod cum per multa sæcula pariter (legendum meo judicio, *per multam*

ſæculi partem) cuſtodiſſent nullamque inde Scripturarum quisquam crederet ubi nulla quæſtio ſolveretur: & nonnunquam occurreret, ut in Sabbato Luna XXª (ut Petavii & Muratorii editiones legunt) *quæ illis a quinto decimo Kalendarum Majarum uſque in Octavum, quaſi in ſecundo menſe Paſcha celebrare metueretur;* (anno ſcilicet Chriſti 387) *eſſetque magna confuſio in omni Eccleſia, Prætorio vel Palatio: Theodoſius Imperator.... Sanctum Theophilum Alexandrinæ urbis epiſcopum ſuis literis conrogavit, ut Sacramentum Paſchæ evidentiſſima ratione diſſerere, ſibique dirigere dignaretur. Cujus Sanctiſſimis præceptis obtemperans,* 418 *annorum Circulum Paſchalem inſtituit, ejusque Clementiæ, a primo anno Conſulatus ejus uſque ad centum calculans, quoto Kalendarum vel Iduum, & quota Luna Paſcha debeat celebrari, ſubjectis ſuis literis deſtinavit, manifeſtamque veritatem ſub libello breviter perſtrinxit. In quo, revelante ſibi Domino, perfectæ rationis ordinem pandit, omnesque errores, ac ſuperfluas quæſtiones luce clarius expugnavit, atque diſſolvit.*

Hoc agnoſcit S. Leo Papa, in epiſtola de Paſchate anni Chriſti 455, ad Martianum Auguſtum, ita ſcribens: *Paſchale etenim feſtum, quo Sacramentum ſalutis humanæ maxime continetur, quamvis in primo ſemper menſe celebrandum ſit; ita tamen eſt Lunaris curſus conditione mutabile, ut plerumque ſacratiſſimi diei ambigua currat electio: & ex hoc fiat plerumque, quod non licet; ut non ſimul omnis Eccleſia, quod non niſi unum eſſe oportet, obſervet. Studuereque SS. Patres, occaſionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita eſſe videbatur peritia; per quam, qui annis ſingulis dies prædictæ Solemnitatis eveniret, Sedi Apoſtolicæ indicaretur; ut hujus ſcripti ad longiores Eccleſias indicium generaliter percurreret. Sed Sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, cum hujus obſervationis annos centum numero collegiſſet, ſeptuageſimo ſexto Paſchale feſtum longe aliter, quam alii decreverant, tenendum eſſe conſtituit: a primo auguſtæ memoriæ Theodoſii Senioris Conſulatu, ſuccedentes ſibi ſacræ obſervantiæ ordines ponens, ut longioris temporis ratio ejus literis teneretur adſcripta.*

Hujus rei etiam mentionem faciunt Ceolfridus Abbas in ſua ad Naitonem Pictorum Regem Epiſtola, apud Bedam in Hiſt. Eccleſ. gentis Anglorum, L. 5. C. 22. & Beda de Natura rerum & Temporum ratione, C. XLIV. (Sed in hujus rei circumſtantiis boni illi viri male erant informati.) Verba eorum vide in disquiſitione noſtra de Euſebii Enneadecaëteride, §° 8, & 9.

Notanda

Notanda etiam hac in re Ambrosii verba, in Epistola 83ª, de Paschate anni Christi 387, ad Æmiliæ Episcopos data. §° 4. *Unde necesse fuit, quia etiam post Ægyptiorum supputationes & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ per literas plerique meam adhuc exspectant sententiam, quid existimem scribere de die Paschæ.*

Item verba Paschasini Lilybitani in Sicilia Episcopi in sua ad S. Leonem Papam Epistola responsoria de Paschate anni Christi 444. *Diutino itaque tractatu, vel ratiocinatione id verum invenimus, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ Antistite* (Cyrillo scilicet) *Beatitudini vestræ rescriptum est.*

Nec non verba Proterii Alexandrini Episcopi, in sua de Paschate anni Christi 455, ad eundem Leonem Papam Epistola responsoria: *Piissimus & fidelissimus imperator noster Marcianus, litteris ad nos nuper venerabilibus usus est; quibus asseruit, æstimare quosdam non diligenter adscriptam diem festi Paschalis, quæ per octavam indictionem futuram, Domino præstante, celebranda est. Verumtamen, non velut a se commotus hoc indicavit, sed quia scripta tuæ Sanctitatis acceperit. Et præcipiebat oportere nos causam diligenter inquirere, adhibita nimis tenuissima scrutatione, quæ multum sollicitudinis & studii contineret. Quapropter negligendum non fuit, quominus statim negotium ventilarem: quando ex illo jam tempore, quo Commonitorium tuæ Venerationis accepi, plurimam curam rei hujus habuerim; nunc Legales libros inspiciens, nunc antiqaorum Doctorum instituta contingens, ex quibus possibile est hujusmodi computum investigare solertius. Sumens etiam & centenalem cursum Paschæ descriptum a Beatissimo Patre & Episcopo nostro Theophilo, omnemque decurrens, ita reperi diligenter integreque compositum; ut, quicunque ille sit, auctoritatem Scripturæ hujus quolibet modo reprehendere ac vituperare non possit. Erat enim inconsequens, virum ita vigilantem, Deoque charissimum, divinarum etiam ditatum scientia Scripturarum, in negotio tam magno ac necessario, prætermisso diligentiæ labore potuisse delinquere. Sed forte, sicut tua Sanctitas scribit, mendosi Codicis, aut Librarii error est; & propterea nos oporteret diem sanctæ illius festivitatis transferre. Quod absit. Celebratur autem ita potius ut centenarius annorum cursus ejusdem Beatissimi Patris nostri & Episcopi Theophili continet, qui antiquorum paginis omnino concordat: id est XXIX die Pharmuti juxta Ægyptios, qui est VIII Kalendas Maji. Et nos enim, & tota Ægyptia regio, atque Oriens universus, sic ipsum diem celebraturi sumus* (alii. *sic ipsius diei celebraturi auctoritatem sumus.*) *Deo præstante.* Confer Leonis Papæ Epistolas ad Martianum Augustum, Eudociam Augustam, & Julianum Coënsem Episcopum, circa finem.

Ex hoc Synodi Nicænæ decreto, quod Cyrillus profert, & Leo Papa agnoſcit, meo judicio patet, Synodum hoc modo & medio id voluiſſe curare, ut Paſcha una eademque Dominica ab omnibus ubique celebraretur. Et dum hoc decreto hanc Paſchatis indicendi curam Eccleſiæ Alexandrinæ, ejusque Epiſcopo injungit; hoc meo judicio ſupponit, Alexandrinam Eccleſiam eo tunc temporis uſam fuiſſe Cyclo, quem Synodus elegerat, ut hunc obtineret finem: alias enim hoc decretum fruſtra fuiſſet.

Præterea ex Ambroſii, & imprimis ex Paſchaſini, & Proterii Epiſtolis diſcimus Pontifices Romanos, etiam poſt editum & ad Eccleſiam Romanam transmiſſum, Theophili Alexandrini centum annorum *Laterculum* Paſchalem, *in quo* (ut dicit Leo) *longioris temporis ratio literis tenebatur adſcripta*, de Paſchatibus dubiis & controverſis Alexandrinam Eccleſiam conſuluiſſe, & non niſi audita eorum ſententia quicquam ſtatuiſſe: Epiſcopos autem Alexandrinos ſuæ Enneadecaëteridi, & Laterculo Theophiliano conſtanter adhæſiſſe.

Denique ex verbis Cyrilli, in Prologo ſuo Paſchali §° 2. ſupra adductis, patet: Alexandrinos hoc Synodi decretum per *multam ſæculi partem* cuſtodiſſe, ſcribendo ad Romanam Eccleſiam literas Paſchales, quibus dies Paſchæ indicebatur: rem autem eo deveniſſe, *ut nullam inde Scripturarum* (forte, *ſcriptarum*) *quispiam crederet, ubi nulla quæſtio ſolveretur*; hoc eſt, ut illis literis ex Alexandria ſcriptis, in quibus dies Paſchæ ſimpliciter indiceretur, & nulla quæſtio Paſchalis, nullum dubium ſolveretur, fidem non haberent Romani, neque iis acquieſcerent. Accidiſſe præterea, circa Paſcha anni Chriſti 387 Romanis dubium, & cum Alexandrinis controverſum, ut per oppoſitionem Romani Pontificis, *magna oriretur confuſio in omni Eccleſia, Prætorio vel Palatio:* atque eâ occaſione Theophilum Alexandrinum, rogatu Imperatoris Theodoſii Senioris, conſcripſiſſe Laterculum ſuum Paſchalem centum annorum, quo Eccleſia Alexandrina ab illo labore, Paſchatis quotannis Romanæ Eccleſiæ indicendi, liberaretur.

VII.

Mea de tota hac re ſententia.

Sententiam meam hac de re breviter exponam, & variis articulis comprehendam.

1°. Ec-

1°.

Ecclesia Alexandrina usa fuit Octaëteride Dionysii Alexandrini, quam ille paulum a se reformatam, edidit grassante adhuc persecutione Valeriana, quæ cœpit anno Christi 257°, & in Ægypto per menses XLII duravit.

2°.

Anatolius, genere Alexandrinus, Laodiceæ in Syria Episcopus, edidit Enneadecaëteridem circa initium Imperii Probi, circa annum Christi 277um: quam ex Græcis Eusebii verbis Hist. Eccl. L. 7. C. 32. descripsimus, in disquisitione speciali.

3°.

Hanc Anatolii Enneadecaëteridem qualem eam, in dicta disquisitione §° 17° descripsimus, recepit, meo judicio, & quidem satis mature, certe longo satis ante Synodum Nicænam tempore, Alexandrina Ecclesia.

4°.

Recepta etiam videtur fuisse hæc Anatolii Enneadecaëteris in Syria; aliisque provinciis Orientalis Ecclesiæ.

5°.

Synodus Nicæna decrevit, non tantum ut Pascha ab iis, qui hactenus illud cum Judæis, in Luna XIVa, in quamcunque Septimanæ feriam illa incideret, celebraverant, in posterum semper in die Dominica celebraretur. Sed etiam, ut Pascha ab omnibus ubique uno eodemque tempore, in una eademque Dominica celebraretur.

6°.

Cum autem hoc obtineri non posset, nisi omnes uno eodemque Cyclo iisdemque Regulis Paschalibus uterentur: eadem Synodus Enneadecaëteridem non quidem prima invenit, sed eam, quæ apud Alexandrinos,

 alios-

aliosque jam in uſu vigebat, cum ſuis regulis Paſchalibus, approbavit, adoptavit, & ſua auctoritate in Orientalem Eccleſiam introduxit.

7°.

Quod autem Occidentalem Eccleſiam attinet, ut etiam hic idem conſenſus in die Paſchatis obtineret, eadem Synodus decrevit, ut Alexandrina Eccleſia, quæ in ſcientia calculandi diem Paſchatis peritiſſima erat, (ex Enneadecaëteride enim, quæ Lunas XIVas Paſchales duntaxat exhibebat, quotannis dies Paſchatis calculo inquirendus erat.) per ſingulos annos Romanæ Eccleſiæ diem Paſchatis literis intimaret. unde Apoſtolica auctoritate univerſalis Eccleſia per totum (Occidentis) orbem definitum Paſchæ diem ſine ulla diſceptatione cognoſceret. ut Cyrillus ſcribit.

VIII.

Sententia & Objectiones Bucherii.

Bucherius, qui nullum Cyclum decemnovalem a Concilio Nicæno inſtitutum, nullosque terminos ſeu limites Paſchales ab eo definitos ſtatuit, varia ad hoc probandum argumenta adducit, variaque aliter ſentientibus objicit, in ejus in Victorii Canonem Commentario, C. 3.

1°.

Agit *de limitibus Dominicarum Paſchalium*, quarum meminit Leo Papa, in ſua ad Martianum Auguſtum, de Paſchate anni Chriſti 455, Epiſtola; in qua ſcribit, *quod Paſcha, a Theophilo VIII Kal. Majarum indictum, anni limitem antiquitus conſtitutum excedat. Siquidem* (inquit) *ab XI Kal. April.* (Mart. 22.) *uſque in XI Kal. Majarum* (Apr. 21) *legitimum ſpatium ſit præfinitum. Intra quod omnium varietatum neceſſitas concluditur; ut Paſcha Dominicum nec prius habere poſſimus nec tardius.* p. 92, & 93.

Intelligi a Leone hic patres Cæſarienſes, qui hos Dominicarum Paſchalium limites fixerant, putat Bucherius. p. 99.

* Agnoſco Romanam Eccleſiam inde ab anno Chriſti circiter 382°, in Cyclo, quo utebantur, LXXXIV annorum, hos Dominicarum Paſcha-

Paſchalium limites aſſumſiſſe. Certe Ambroſius in ſua, de Paſchate anni Chriſti 387, Epiſtola, hos limites, ut limites peritorum, inter Romanos, agnoſcit: &, dato non conceſſo, ad Romanorum de tranſitu ad ſecundum menſem objectionem reſpondet: ſed de patribus Cæſarienſibus nihil habet. *Acta* autem *illa Concilii Cæſarienſis*, quæ Latine circumferuntur, & a Bucherio edita ſunt, ſpuria & ſuppoſititia ſunt & quidem, ut mihi videtur, ſtudio eo tempore conficta, quando Romani Dominicarum Paſchalium limitem citimum triduo retraherent, & in XI Kal. April. (Mart. 22) figerent circa annum Chriſti 382^{um}, ad hanc Tridui retractionem, aut introducendam, aut jam introductam defendendam. De quo fuſe ago in Obſervationibus in Paſchalem centum annorum Laterculum, a Bucherio editum. §° 37. Caute itaque agit Leo Papa quod hos Limites antiquitus conſtitutos ſimpliciter dicat, non autem ad patres Cæſarienſes provocet, licet hoc maxime ad ſcopum ſuum feciſſet, ſi acta illa fuiſſent genuina.

2°.

Præterea objicit Bucherius. p. 95, *certos Limitis Paſchalis terminos ab Synodo definitos eſſe, non facile ex antiquorum ſcriptis hauriri poſſe.*

* Loquitur de Limitibus Dominicarum Paſchalium. Sed hic notandum naturam Enneadecaëteridis, quam Synodo Nicænæ veteres Scriptores tribuunt, ejusmodi definitionem proprie non requirere: ut ſupra §° 5° in initio videre licet. Unde etiam expreſſa Limitum Dominicarum Paſchalium definitio, a Synodo facta, fruſtra quæritur. Verum Synodus quum Enneadecaëteridem admiſit, & ſimul eam regulam, Paſcha celebrandum in die Dominica, quæ Lunam XIV^{am} Paſchalem proxime inſequitur, eo ipſo per legitimam conſequentiam, etiam Dominicarum Paſchalium Limites determinavit, ſed indirecte.

* Teſtimonium Dionyſii Exigui, quod Bucherius producit, p. 94. & nos produximus ſupra §° 4, Lit. E. & §° 5. N° 2. levi brachio rejicit; *verum,* inquit, *Dionyſium hic falli, adeoque nullum certum a Patribus Nicænis expreſſe definitum limitem prorſus exiſtimo.* Idque argumento, in quo eſt *petitio principii*, probare conatur. De quo agam infra N° 6°.

3°.

Hoc unum (inquit Bucherius p. 95, in fine, & p. 96, in initio) *omnes*

contra

contra Latinos argumentum ingerunt, quod Communem ex Embolimæo annum faciant, id quod maxime probandum erat: contra Nicænum autem eos expresse peccare limitem ne unus quidem unquam, præter Dionysium, quod sciam, objecit.

* Ad hæc Bucherii verba varia respondemus.

a. An non ergo Ambrosius Latinis objecit, *quod Synodus Nicæna, congregatis peritissimis calculandi* (quales erant tunc temporis Alexandrini) *collegerit XIX annorum rationem, seu Circulum, quem Enneadecaëterida nuncupavit, &c.* Verba vide supra, §° 4°, lit. B. quem locum Ambrosii etiam hic omittit Bucherius. Adducit solummodo, p. 95. alterum Ambrosii locum, in quo agens de Paschate proxime futuro, anno Christi 387°, sic scribit: *Unde & majores nostri in tractatu Concilii Nicæni eum diem (VII Kal. Maji) Enneadecaëteride, si quis diligenter intendat, statuendum putarunt. Hic* (inquit Bucherius) *licet dicat Enneadecaëteride maxime statuendum mensem Paschalem: cum tamen addit*, SI QUIS DILIGENTER INTENDAT, *satis innuit, ne hoc quidem a Nicæna Synodo valde expresse statutum.* Miror autem Bucherium ita ratiocinari: Ambrosius enim non loquitur de *mense Paschali*, (quo Bucherius hic intelligit spatium illud circiter menstruum, intra quod Dominicæ Paschales vagantur & concluduntur) sed loquitur de *die Paschæ*, quem paulo ante definiverat: Enneadecaëteris anno Christi 387° *expresse* exhibebat Lunam XIV^am^ Paschalem in die XIV Kal. Majarum, *Si quis jam diligenter intendat*, illo anno Christi 387° diem XIV Kal. Majarum in Dominicam incurrere. & Pascha in Luna XIV^ta^ non esse celebrandum, adeoque Pascha in sequentem Dominicam esse transferendum, & in die VII Kal. Majarum celebrandum: & per consequens Synodus Nicæna in anno Christi 387° diem Paschæ usque ad VII Kal. Majarum, hoc est, Aprilis diem 25^um^ extendit, qui in Enneadecaëteride Alexandrina Dominicarum Paschalium Limes ultimus est. An ergo Latinis non objecit Ambrosius eos, in illo anno Christi 387°, peccare contra Dominicarum Paschalium Limitem ultimum, a Synodo Nicæna Enneadecaëteride, si quis diligenter intendat, statutum. Non enim puto, Bucherium, sub his verbis, *valde expresse* statutum, latere voluisse: quod certe candidi hominis non foret. Sufficit enim hoc a Synodo Nicæna revera & per claram ac necessariam consequentiam fuisse statutum. Synodus enim Nicæna (teste Epiphanio) *definivit, Pascha faciendum juxta decentiam Computi & consequentiæ.* Vide quæ notavimus supra §° 4, lit. B. & A. Addit Bucherius, *quod Ambrosius primi mensis cancellos*

non

non aliter circumscribat, quam quo nova in Ægypto secantur frumenta, quod (inquit) *valde generale est & confusum; & inde concludit, quod, nihil a Nicænis patribus adeo præcise definitum esse, clarius significet Ambrosius.* Mira Bucherii ratiocinatio: Ambrosius in eo est, ut ad Latinorum objectionem de transitu ad secundum mensem, quæ satis obscura erat, respondeat: tripliciter autem ad eam respondet Ambrosius. Primo, dato non concesso, mensem primum intelligendum esse de mense quodam in anno Solari Civili, tum mensem Pharmuthi maxime pro primo mense habendum esse. Quo posito, dici potest, quod patres Nicæni, qui Enneadecaëteride, si quis diligenter intendat, eum diem VII Kal. Maji, hoc est, Pharmuthi 30, seu April. 25. pro die Paschali illo anno Christi 387°, statuendum putarunt, ipsum mensem Novorum recte custodierunt, quia in Ægypto *hoc* primo mense nova secantur frumenta. Hinc autem minime sequitur, Cancellos primi mensis (quo Bucherius hic idem intelligit, quod modo per mensem Paschalem intellexerat) ab Ambrosio non aliter circumscribi, quam quo nova in Ægypto secantur frumenta. Cum hoc ipso in loco, diem Paschatis illo in anno Christi 387° (adeoque etiam Dominicarum Paschalium limitem ultimum) juxta Enneadecaëteridem Nicænam, extendat usque ad diem Pharmuthi 30, qui est VII Kal. Majarum, hoc est, Aprilis 25. Vide quæ notamus in Dissert. ad hanc Ambrosii Epistolam, §° 12, 13.

b. Quod Cyrillum attinet, is, in Epistola, quam, de Paschate anni Christi 444, ad Leonem Papam scripsit, (quæ Epistolæ a Bucherio, p. 72. editæ, posterior pars est) *objicit Latinis quod Communem ex Embolimæo annum facerent:* Sed idem Cyrillus probat, hoc repugnare Enneadecaëteridi a Nicæna Synodo institutæ, in qua, per Lunas XIV^as^ Paschales, anni Communes & Embolimæi determinati sunt. Bucherius autem verba Cyrilli non candide profert, p. 96. ita scribens: *Nihil aliud pronuntiat, quam illos diligentissime scrutari oportere, quæ Nicæna Synodus ordinavit; ne Pascha cum Judæis & Tessarescaëdecatitis Luna XIV, sed sequenti tantum Dominica peragant. Quod ut certius assequantur, & in primi mensis Luna non fallantur; hortatur, ut quartasdecimas Paschæ Lunas per decemnovalem Cyclum inquirant (quem scilicet præ cæteris ipse cum Alexandrinis sequebatur) non per Judaicam* 84 *annorum Periodum, quam Afri tum probabiliter cum plerisque Latinis usurpabant. Hæc* (inquam) *patribus illis Africanis* (imo Leoni Papæ & Romanæ Ecclesiæ, confer p. 119) *commendat Cyrillus. Primum autem postremumve*

 limi-

limitis diem non magis quam Ambrosius exponit. Quis ex verbis ita propositis suspicaretur, Cycli decemnovalis institutionem Synodo Nicænæ a Cyrillo tribui. Integra itaque Cyrilli verba, ex Bucherii editione, hic describam: *Scrutemininique diligentissime, quæ ordinavit Synodus Nicæna, Lunas XIV*tas *omnium annorum per decemnovennalem Cyclum, ut non fallamur in Luna primi mensis, & celebremus Pascha in sequenti Dominico: & non faciamus in Luna XIV, cum Judæis & Hæreticis, qui dicuntur Tessarescaëdecatitæ. & constitutum est in omnibus Synodis, præter Synodum Gangrensem, & Cæsariensem, ut non faceret ulla Ecclesia, vel civitas, & omnis Regio, contraria his, quæ statuta sunt de Pascha in Nicæno Concilio. Credite mihi, quod si non scripsisset Synodus Nicæna Cyclum Lunarem primi mensis, sufficeret Cyclus lapidis Silenitis in Perside ad exemplum rationis Paschalis; cujus candor interior cum Luna primi mensis crescit & decrescit. Ideo nuntiavi vobis hæc omnia, eo quod dubitastis de Luna primi mensis in hoc anno. Ideo præcipio vobis ne faciatis Pascha in mense Martii in anno Embolismi, sed in IX Kal. Maji in unitate Ecclesiæ Catholicæ, &c.* * Fateor Cyrilli verba melius fuisse cohæsura, si legeretur, *scrutamini quas ordinavit Synodus Nicæna Lunas XIV*as &c. Sed tamen eundem sensum habent, licet legantur, ut edita sunt: *Scrutemini quæ ordinavit Synodus Nicæna, Lunas XIV*tas *&c.* Illud enim, *Lunas XIV*tas, per appositionem, & per modum explicationis cum illo, *quæ* ordinavit Synodus Nicæna, cohæret, & utrumque ab eodem verbo, *scrutemini*, regitur: & sensus horum verborum est: *Scrutemini quæ ordinavit Synodus Nicæna, nempe Lunas XIV*tas *&c.* Atque hic horum verborum sensus confirmatur ex sequentibus: *& constitutum est in omnibus Synodis, præter Gangrensem & Cæsariensem, ut non faceret ulla Ecclesia, contraria his quæ statuta sunt de Paschate in Synodo Nicæna.* & imprimis ex his verbis: *Credite mihi, quod si non scripsisset Synodus Nicæna Cyclum Lunarem primi mensis:* in quibus clare Synodo Nicænæ tribuitur scriptio Cycli Lunaris primi mensis, & inde patet, Synodum Nicænam ordinasse Lunas XIV omnium annorum per decemnovennalem Cyclum, ut non fallamur in Luna primi mensis. * His præmissis, dicimus Cyrillum id probare, quod maxime probandum erat, & recte ostendere, Latinos contra Synodi Nicænæ statuta peccare, imo etiam Dominicarum Paschalium limites Nicænos determinare. *Scrutemini* (inquit) *diligentissime quæ ordinavit Synodus Nicæna, nempe Lunas XIV*as *omnium annorum per decemnovalem Cyclum, ut non fallamur in Luna primi mensis, (facientes annum Communem de Embolismo, ut hoc anno Christi* 444° *facitis* contra

Lunas

Lunas XIV^as per decemnovennalem Cyclum a Synodo Nicæna ordinatas: hoc enim anno Christi 444°, qui est decemnovennalis Cycli annus 8^us, ordinavit Synodus Nicæna Lunam XIV^tam Paschalem in die XIIII Kal. Majarum, hoc est, Aprilis 18°, quæ præsupponit Neomeniam Paschalem in die Nonarum Aprilis, hoc est, Aprilis 5°, & indicat hunc annum esse Embolismum) *& celebremus Pascha in sequenti Dominico*; (hoc est in die Dominicâ, quæ Lunam XIV^am Paschalem proxime insequitur: unde patet, quia Luna XIV^a Paschalis citima in XII Kal. Apr. (Martii 21) incidit, ultima vero, in XIIII Kalend. Majarum (Aprilis 18) incurrit, Dominicarum Paschalium limitem citimum esse diem XI Kal. April. (Martii 22) ultimum vero, esse diem VII Kal. Majarum (Aprilis 25.) En limites Nicænos, non quidem expresse expositos (cur enim Cyrillus Latinos debuit impugnare eo quo vult Bucherius, modo) sed tamen per claram & necessariam consequentiam a Cyrillo determinatos.) *& non faciamus in Luna XIV^ta cum Judæis & Hæreticis, qui dicuntur Tessarescaëdecatitæ.* (Non tantum, quando Luna XIV extra Dominicam in alias Septimanæ Ferias, sed etiam si in Dominicam incidat.) *& constitutum est &c.*

c. An non etiam Proterius in Epistola ad Papam Leonem responsoria, de Paschate anni Christi 455, ipsi Papæ Leoni objicit *Cyclum decemnovennalem a patribus Nicænis institutum, in quo secundum gratiam Spiritus Sancti, Lunas XIV^as diligentius annotarunt.* Verba Proterii adduximus supra §° 4. lit. D.

4°.

Porro Bucherius etiam argumentatur ex illo Synodi Nicænæ decreto, quo indicendi Paschatis provincia Alexandrino Episcopo mandatur: de quo egimus supra, §° 6. Ita enim p. 97. scribit: *Imo neque se (Paschalium Dominicarum limitem) definivisse, satis ipsa Synodus arguit, cum hæc & similia Episcoporum, Romani maxime & Alexandrini, reliquit arbitrio, ut discimus e priore Leonis epistola cum ait: studuereque SS. Patres &c. Idem clare tradit Prologi sui §° 2. Cyrillus. Sancti Patres illi (ut credo, Nicæni) non ita Alexandrino Episcopo curam hanc delegaverant, nihil ut Romanus, ad quem referre debebat, opponere posset. Sed ut primus sententiam suam (quod inde sequitur) tanquam similibus assuetus expromeret. Quam si probaret Romanus, longinquioribus Ecclesiis indiceret: alias omitteret, ut ex undecima Innocentii Papæ primi Epistola, de qua infra Cap. 7.*

 intel-

intelligimus. Alioqui &c. ubi Bucherius hoc porro adſtruere conatur argumento ab abſurdo deducto, in quo tamen principii petitio eſt, de quo agam infra, N° 6. poſt pauca autem p. 98. circa medium, hæc addit: *Jam vero, ſi Romano & Alexandrino Patriarchis dubiorum Paſchatum definitionem Synodus Nicæna reliquit, quomodo certum ipſa limitem conſtituere potuit.*

* Ad hæc Bucherii ratiocinia neceſſario quædam ſunt obſervanda.

a. Nec quæ Leo in illa Epiſtola, & adhuc minus Cyrillus in Prologo ſuo dicit, nos docent *hæc & ſimilia Romani & Alexandrini Epiſcopi arbitrio a Synodo Nicæna fuiſſe relicta.* Legantur utriusque verba. Nihil Alexandrini Epiſcopi arbitrio relictum erat; ſed Synodus Nicæna decreverat, ut Alexandrina Eccleſia, pro ſua in calculatione Paſchatis peritia, juxta Enneadecaëteridem, & regulam Paſchalem, a Synodo Nicæna adoptatam, per ſingulos annos diem Paſchæ calculo inquireret, eumque per literas Romanæ Eccleſiæ intimaret. Nihil etiam Romani Epiſcopi arbitrio relictum erat, ſed diem ab Alexandrinis definitum, & per literas intimatum, reliquis Occidentis Eccleſiis indicare, ut Paſcha, juxta Synodi decretum, ab omnibus ubique uno eodemque tempore celebraretur.

b. Patres Nicæni non ita hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegarant, ut tanquam judex ſupremus definiret, ſed ei tantum miniſterialem operam demandarant, ut ex modo dictis patet. Neque Alexandrini Epiſcopi auctoritas hic in conſiderationem venit, ſed calculandi peritia. Sed hic Synodi Nicænæ auctoritas in conſiderationem venit, quæ eam Enneadecaëteridem, ac regulam Paſchalem adoptaverat, & hanc curam Alexandrinæ Eccleſiæ delegaverat.

c. An ergo patres Nicæni ita Alexandrino Epiſcopo curam hanc delegarant, ut Romanus Epiſcopus nihil opponere poſſet: Minime, inquam. Poterat opponere, errorem in calculo diei Paſchatis ab Alexandrino Epiſcopo commiſſum eſſe, aut in literis ejus Librarii errorem irrepſiſſe, ſi Romano Epiſcopo hujus rei ſuſpicio oboriretur. Qualia etiam Leo Papa in ſua ad Proterium Epiſtola, contra Paſcha anni Chriſti 455, in Theophili Laterculo Centenario deſignatum, oppoſuit, ut diſcimus ex Proterii ad Leonem Papam Epiſtola reſponſoria. Sed non poterat, diem Paſchæ ab Alexandrinis definitum, & per literas intimatum pro lubitu & propria auctoritate rejicere. *Neque eum hoc* (licite) *potuiſſe, ex Innocentii* 1^mi^ *Papæ Epiſtola XI*^a^ *intelligimus,* (ut dicit Bucherius) nam anno Chriſti 414° Innocentius Paſcha celebravit Martii die 22, in quem diem

diem etiam illud Alexandrini indixerant: ſed ſola differentia erat in ætate Lunæ in die Paſchatis, quam Alexandrini, juxta Enneadecaëteridem, numerabant XV^am^, Innocentius vero, juxta Cyclum LXXXIV annorum, XVI^am^: & vide quomodo de hac in Lunæ ætate differentia, ad Africanos ſcribat Innocentius. Sed licet Innocentius in ipſo Paſchatis die ab Alexandrinis diſſenſiſſet, eo factum quidem, ſed non licite factum probaretur.

d. Quod autem Bucherius adjicit, *dubiorum Paſchatum definitionem. Romano & Alexandrino Patriarchis, Synodus Nicæna reliquit.* Hoc fruſtra dicitur: neque ex Leonis aut Cyrilli verbis elicitur. Synodus Nicæna de dubiis Paſchatibus ne quidem cogitavit. Admiſſa enim Enneadecaëteride, & regula illa Paſchali, cujus ope ex datis Lunis XIV^tis^ produntur dies Paſchatis, omnia Paſchata ſunt determinata, & nullum remanet Paſcha dubium. Synodus Nicæna certe prævidere non poterat, Romanam Eccleſiam Cyclo ſuo 84 annorum, rejecta Enneadecaëteride, adhæſuram, & literis ex Alexandria ſcriptis fidem non habituram, imo ſe iis oppoſituram. Inde enim orta ſunt Paſchata dubia & controverſa, & per illam Romani Pontificis oppoſitionem, jam anno Chriſti circiter 387° excitata magna confuſio in Eccleſia, & Palatio, de qua Cyrillus Prologi ſui §° 2°, ut vidimus ſupra §° 6°.

5°.

Sed rogat, p. 98. Bucherius: *Cur denique Patres ipſi Nicæni, ſtudentes omnem erroris occaſionem auferre, decemnovalem Alexandrinorum Cyclum, aut ſi quem ceteris præferebant, Kalendario Romano ſemel affixum ac publicatum, ad univerſas Eccleſias non transmiſerunt, & ut in poſterum accurate ſervarent, edixerunt? uti modo in Eccleſia Catholica fieri videmus nullus ſcilicet a Concilio Nicæno Paſchæ* (ſeu Dominicarum Paſchalium) *limes præciſe conſtitutus.*

* Sed, quid ſi ad hanc Bucherii interrogationem, cur hoc non fecerint patres Nicæni, reſponderem, me hoc neſcire, & ad ejus reſponſionem: *hoc non feciſſe, quia ſcilicet nullus a Concilio Nicæno Paſchalium Dominicarum limes erat conſtitutus.* Dicerem, me hoc negare. & negationis rationem hanc adderem: quia Lunarum XIV^arum^, per aureos numeros, in Kalendario inſcriptio non dependet a limitis Dominicarum Paſchalium conſtitutione, quid haberet, quod urgeret Bucherius.

* Verum præterea, pone patres Nicænos Cyclum decemnovalem,

 hoc

hoc est, Lunas XIV^as^, seu, quod eodem redit, Neomenias Paschales in mense Martio & Aprili, imo Neomenias per totum annum, in Kalendario Romano, per aureos numeros, adscripsisse, & tale Kalendarium transmisisse, & ut in posterum accurate servarent, edixisse. An tum, Bucherii judicio, res confecta fuisset? Ego vero minime credo, nisi etiam peritiam calculi Paschalis Alexandrinorum simul transmisissent. Inquirenda enim erat Septimanæ feria, in quam Luna XIV^ta^ Paschalis quotannis incurreret: adeoque præter aureos numeros, eidem Kalendario etiam inscribendæ erant literæ Dominicales: & notitia annorum Bissextilium iis tradenda, atque imprimis illa Regula Paschalis, Pascha celebrandum in Dominica, quæ Lunam XIV^am^ Paschalem proxime insequitur, iis suppeditanda erat.

* Si jam quæratur, *cur hoc non fecerint Patres Nicæni?* Responsio facilis est. Quia ejusmodi Kalendaria cum aureis numeris & literis Dominicalibus, tempore Concilii Nicæni nondum in usu erant. Hoc enim serioris temporis inventum est.

* Nonne sufficiebat, imo magis honorificum erat, quod ex Synodi Nicænæ decreto, singulis annis, ab Alexandrino Episcopo dies Paschæ, per literas, Ecclesiæ Romanæ intimaretur.

* Si ejusmodi Kalendario fidem habituros fuisse Latinos, putet Bucherius: cur ergo Theophili Laterculum Paschalem, in quo & ipsum Cyclum decemnovennalem, quinquies repetitum, videre poterant. & præterea ipsa Paschata, cum suis Lunis, annotata conspiciebant, & quo, in centum annos, ab omni calculi labore liberabantur, non receperunt Latini, & ad longinquiores Occidentis Ecclesias transmiserunt?

6°.

Accedo nunc ad Bucherii palmarium argumentum, seu potius objectionem, quam quavis data occasione inculcat: nempe, Cap. 3°, p. 94, in fine, & p. 98. ac iterum Cap. 6. p. 128.

Objectio hæc Bucherii huc redit: *Cum Latini, Ecclesia Romana, & Pontifices Romani decreta Nicænæ Synodi semper sacrosancta habuerint, absurdum cogitatu esse, S. Leonem potuisse dicere illos, quos, in Epistola ad Martianum, profert, Paschalium Dominicarum limites, antiquitus & legitime constitutos fuisse, si ab Nicænis diversi exstitissent. Præterea Prosperum ita de Paschate anni Christi 455, ut in Chronico facit, scribere potuisse, de pertinaci Alexandrini Antistitis intentione, & Cyclum LXXXIV anno-*

annorum ita propugnare: & denique Paſchaſinum illum LXXXIV annorum Cyclum, in ſua ad Leonem Epiſtola, Romanam ſupputationem vocaſſe: ſi a Synodo Nicæna Cyclus decemnovalis inſtitutus. aut in uſum Eccleſiæ introductus fuiſſet.

Ut ad hanc Bucherii objectionem breviter reſpondeam.

a. Concedo Romanam Eccleſiam Synodi Nicænæ decreta de fide contra Arium, & Symbolum Nicænum recepiſſe. An autem etiam Canones in Synodo Nicæna conditos receperit aut illibate ſervaverit: nunc inquirere non lubet. Verum de Synodi Nicænæ decretis de Paſchate hic quæſtio eſt, an ea etiam Romana Eccleſia & Romani Pontifices ſemper ſacroſancta habuerint, hoc ſimpliciter ſupponere non licet.

b. Ejusmodi argumentum ab abſurdo deductum; Pontifices Romani hoc vel illud non obſervarunt, aut non admiſerunt. Adeoque illud a Synodo Nicæna non fuit decretum. quia abſurdum eſt Romanos Pontifices contra Synodi Nicænæ de Paſchate decreta peccare potuiſſe: ejusmodi argumentum non procedit.

c. Vel, ſi ponatur procedere, plus, quam oportet, probaret: inde enim ſequeretur, Synodum Nicænam nihil omnino de tempore celebrandi Paſchatis decreviſſe, niſi hoc unicum, ut illi in Oriente fratres, qui hactenus cum Judæis Paſcha celebraverant in Luna XIVa, in quamcunque Septimanæ Feriam illa incideret; illud in poſterum ſemper in die dominico celebrarent; ſive ille dies dominicus cum die dominico, in quo Eccleſia Paſcha celebrare ſolebat, conveniret, ſive, ab eo integra Septimana, & nonnunquam toto menſe diſſentiret. Adeoque Synodum Nicænam nihil decreviſſe de tempore celebrandi Paſchatis quod ab Eccleſia Romana obſervandum erat, neque decreviſſe, ut, quod Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores teſtantur, Paſcha uno eodemque tempore ab omnibus ubique celebraretur.

d. Cui bono & uſui ergo illud Synodi Nicænæ decretum, quo Alexandrino Epiſcopo injunxit, ut diem Paſchæ per ſingulos annos Romanæ Eccleſiæ per literas intimaret, ut eo modo definitum tempus Paſchæ longinquioribus in Occidente Eccleſiis innoteſceret. Dubitari enim non poterat, an Eccleſia Romana aliæque in Occidente Eccleſiæ illud in alio, præter Dominicum die celebrare vellent. Neque, ut huic malo occurreretur, neceſſaria erat diei Paſchatis, & quidem ſingulis annis intimatio.

e. Quod autem ea, quæ Proſper in Chronico de Paſchate anni Chriſti 455 ſcribit, attinet, notandum, Romanam Eccleſiam jam ultra inte-

grum

grum ſæculum Cyclo 84 annorum uſam fuiſſe, antequam Proſper ſuum 84 annorum Cyclum in uſum Romanæ Eccleſiæ introduxiſſet, adeoque mirum non eſſe, quod Proſper fœtum ſuum propugnet, & cum in Paſchate anni Chriſti 455, omnia, juxta Cyclum Proſperi, recte ſe haberent, & tamen Leo Papa, cum fruſtra omnia tentaſſet, Alexandrinos ſequeretur, hoc ferre non potuerit, & cum indignatione hujus rei culpam in Alexandrini Epiſcopi pervicaciam rejecerit.

f. Quod autem Paſchaſini attinet Epiſtolam, qui eam attente perlegerit, mirabitur potius, hominem, in ſumma miſeria conſtitutum, & Romani Pontificis liberalitate ſublevatum & ſublevandum, tam ingenue & tam libere rationes Alexandrinorum amplecti & propugnare, Romanorum vero graviſſimi erroris accuſare, auſum fuiſſe.

g. Denique, quid fiet de tot teſtimoniis veterum, in ſuperioribus a me productis, quæ factum nempe Romanum Pontificem contra Synodi Nicænæ de Paſchate decreta peccaſſe, directe probant. His ſimpliciter opponere, illos veteres Enneadecaëteridem, quam Euſebius primus compoſuit, & Conſtantino obtulit, Synodo Nicænæ attribuiſſe, facile dicitur; ſed æque facile rejicitur: ut vidimus in disquiſitione de Cyclo decemnovali, qui Euſebio tribuitur. Unum tantum hic addo, quia Liber ille Euſebii de Paſchate, quem Conſtantino nuncupavit, aliquo ſaltem poſt Synodum Nicænam tempore conſcriptus ſit, ſupponatur Euſebius in eo primus Enneadecaëteridem compoſuiſſe & edidiſſe: inde ſequitur Alexandrinam Eccleſiam tempore Synodi nondum Enneadecaëteride uſam fuiſſe, ſed antiqua adhuc Dionyſii Octaëteride; & peribit omnis illa Alexandrinæ Eccleſiæ peritia, propter quam decreto Synodi illi injungebatur, ut quotannis Romanæ Eccleſiæ diem Paſchæ literis intimaret.

I X.

Henr. Noriſii ſententia expenditur.

Noriſius non eouſque progreditur ac Bucherius. Loca in quibus ſententiam ſuam hac de re exponit, quæ mihi occurrerunt, ſunt ſequentia, quæ proponere & expendere conſtitui.

Locus 1[us].

Occurrit in Diſſertatione 1[a], in Faſtos Conſulares, p. 35. edit. Lipſ. ubi

ubi ita ſcribit: *In præcipuo Chriſtianæ religionis Feſto Paſchali rite celebrando tria obſervanda eſſe notat S. Epiphanius ad hæreſin LXX Audianorum, nempe ut perageretur die Dominica, quæ poſt vernum Æquinoctium primum Plenilunium, ſive Lunam XIV inſequebatur. Itaque duobus Cyclis opus erat, quorum unus diem Dominicam, quæ antea Solis dicebatur, proderet; alter vero primam Lunam XIV poſt vernum Æquinoctium indicaret. Alexandrinorum Eccleſia vel ante Imperium Diocletiani, ut colligimus ex Euſebio Lib. 7. Cap. 32. Enneadecaëteride, hoc eſt, Cyclo annorum XIX utebatur, quem a Metone inſigni Aſtronomo anno IV Olympiadis LXXVI, Urbis Romæ 281, publice propoſitum, Calippus poſtea, ac iterum rectius Hipparchus reformaverant. Hoc Cyclo poſt undeviginti annos, putabant Solis Lunæque motus in concordiam redire & paria facere.*

* Hic tantum obſervo, Euſebium L. 7. C. 32. loqui de Enneadecaëteride Anatolii, genere Alexandrini, deinde Laodiceæ Epiſcopi, quem ſummopere laudat.

Locus 2^us^.

Reperitur in ejuſdem Diſſertatione 2ª. de Paſchali Latinorum Cyclo, p. 132. ubi agens de Paſchate anni Chriſti 414, cujus Innocentius I. Papa in Epiſtola ſua XIª meminit, quodque juxta Cyclum 84 annorum indicit in Martii die 22°, Luna XVIª, deducens Neomeniam Paſchalem a Martii die 7° ita ſcribit Noriſius: *Jam vero Neomenia cœpta die 7 Martii, prodit Lunam XIV, die 20 Martii, pridie Æquinoctium Nicænum. Hinc patet Canonem Alexandrinorum, quo citima Luna XIV a die tantum 21 Martii advocabatur, non eſſe Nicænum; cum Romana Eccleſia ejus Synodi decreta ſumma religione obſervaverit.*

* Hic plane eodem modo argumentatur ac Bucherius.

Synodum Nicænam ſpecialem hac de re non condidiſſe Canonem facile conceſſerim.

Sed quia Alexandrinorum Enneadecaëteris, quam Synodus Nicæna adoptavit & introduxit, hoc fundamento in ſua conſtructione nititur, eo ipſo etiam hunc Canonem adoptavit & introduxit.

Locus 3^us^.

Occurrit, ibidem, p. 136 & 137. ubi hæc habet: *Anatolius Alexandrinus*

drinus Laodiceæ maritimæ in Syria Episcopus, qui imperante Probo floruit, Christianorum primus, quem scimus, ejus Cycli (decemnovalis) methodo Neomenias Paschales exposuit; & postea Alexandrina Ecclesia eandem Periodum propriam sibi fecit, ita ut Nicæna Synodus indicendi Paschalis Festi curam Episcopo Alexandrino commiserit; quoniam, uti Leo Magnus scribit in Epist. 64. apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia. Verum cum Alexandrini Paschalem Cyclum quibusdam regulis adstrinxerint, quæ vetustis Latinorum Canonibus repugnabant, ideo isti ipsum quoque Cyclum admittere recusarunt, quousque a Victorio in magnam Periodum multiplicatum, ac a Dionysio ad Alexandrinam amussim reformatum, pacis tandem studio, sexto Christi sæculo, in Italia præsertim admiserunt.

Hic clare Anatolio tribuit, quod inter Christianos primus Enneadecaëteridem ad usus Paschales transtulerit.

Quod postea (longo satis ante Concilium Nicænum tempore) eam Enneadecaëteridem Alexandrina Ecclesia sibi propriam fecerit.

Quod Synodus Nicæna Alexandrino Episcopo indicendi Paschatis curam commiserit, ob hujus supputationis peritiam: quo ad minimum hoc innuitur, quod Nicæna Synodus hanc Alexandrinorum Enneadecaëteridem approbaverit.

Quod Alexandrini hunc suum Cyclum Paschalem quibusdam regulis adstrinxerint, quæ vetustis Latinorum Canonibus repugnabant: Quod proponit, non ut factum post Nicænam demum Synodum, sed jam inde ab eo tempore, quo hanc Enneadecaëteridem sibi propriam fecerant: atque illæ Regulæ respiciunt non tantum ipsius Enneadecaëteridis constructionem & constitutionem, quam etiam & quidem imprimis methodum eorum Paschalem, qua utebantur ad ipsa Paschata, ex datis Lunis XIV^tis^, singulis annis deprehendenda.

Addit denique, quod Romani, quia illæ Alexandrinorum Regulæ vetustis suis Canonibus repugnabant, ipsam quoque Enneadecaëteridem admittere recusaverint.

Nullam autem Enneadecaëteridis, ab Eusebio scilicet compositæ, mentionem facit.

Locus 4^tus^.

Reperitur in ejus Dissertatione 3^tia^, de Cyclo Paschali Ravennate XCV annorum. Cap. 1°, p. 152. ubi sic scribit: *Diuturnioribus de Paschali festo*

festo rite celebrando controversiis, quæ Christianam Rempublicam varias in partes distraxerant, Nicæna Synodus jam tandem finem imposuisse videbatur, cum Dominicæ resurrectionis solemnia post Lunam XIVtam die Dominico, qui tum eandem, tum etiam Æquinoctium XII Kal. Aprilis affixum proxime consequebatur, instauranda decrevit; ejusdem etiam solemnitatis quotannis indicendæ cura Alexandrino Patriarchæ commissa, quod Ægyptii rerum Astronomicarum peritia ceteros antecellere dicebantur. Verum graves etiam post illud decretum contentiones inter Orientis ac Occidentis Ecclesias eruperunt; cum Latini vetustos in celebrando Paschate ritus, quibuscum Alexandrinorum Canones pugnabant, deserere recusarent; siquidem initium citimi mensis Paschalis biduo ante Ægyptios auspicabantur, ac proinde etiam solemnia quatriduo, ac dein biduo citra Alexandrinorum metam coërcebant, Lunam etiam XV ab eodem festo excludentes, uti in altera dissertatione prolixius exposui. Et illi quidem cum Cyclo annorum LXXXIV uterentur, quo non modo Lunationes, verum etiam Ferias perpetuo in orbem duci arbitrabantur, Alexandrinorum Enneadecaëteridem recipere recusabant.

* Hic habes veram & ingenuam historiæ facti narrationem.

Si Synodus Nicæna decrevit, ut Pascha celebraretur die Dominico, qui Lunam XIVam & Æquinoctium, XII Kal. Apr. affixum, proxime consequitur: tum eo ipso decrevit, ut nulla Luna XIVa pro Paschali haberetur, quæ Æquinoctium, Martii 21° affixum, antevertit: adeoque ille Canon pro Nicæno est habendus; & mutavit Norisius suam, quam loco 2do protulerat, sententiam.

Si Synodus Nicæna decrevit, ut (quod eodem cum modo dictis redit) citima Luna XIVa Paschalis, caderet in Æquinoctii diem XII Kal. April., hoc est Martii 21um, certum est, etiam Synodum Nicænam Enneadecaëteridem Alexandrinorum approbasse, adoptasse, & ut ab Ecclesia observaretur decrevisse; (quod etiam cura illa indicendi Paschatis Alexandrino Episcopo, a Nicæna Synodo, commissa, confirmat.) tota enim Enneadecaëteridis Alexandrinæ constructio & constitutio hoc fundamento nititur: posita enim Citima Luna XIVa in XII Kal. April., (Mart. 21.) determinantur omnes Lunæ XIVtæ totius Enneadecaëteridis, & ultima Luna XIVta cadet in XIV Kal. Maji. (Apr. 18.)

Si Synodus Nicæna decrevit, ut Pascha celebraretur die Dominico, qui Lunam XIVam Paschalem proxime consequitur: certum est etiam Synodum Nicænam Regulam ac methodum Alexandrinorum, qua ad Paschata prodenda utebantur, approbasse, adoptasse, & ut ab Ecclesia observaretur, decrevisse: (quod etiam cura illa indicendi Paschatis Ale-

 xandrino

xandrino Epiſcopo, a Nicæna Synodo commiſſa, confirmat.) Poſita enim illa Regula ponitur ipſa Alexandrinorum methodus Paſchalis in die Dominico Paſchatis ſupputando, & Citimum Paſcha incidet in XI Kal. Apr. (Martii 22) Luna XV^{a}, ultimum vero in VII Kal. Majarum (Aprilis 25) Luna XXI^{a}.

Cum autem Romana Eccleſia ipſam Alexandrinorum Enneadecaëteridem & methodum Paſchalem admittere recuſaverit, & nihil horum, quæ circa Paſchatis celebrationem Synodus Nicæna decrevit, obſervaverit: non video, quo ſenſu Romana Eccleſia ejus Synodi (de Paſchate) decreta ſumma religione obſervaſſe, dici poſſit.

ATHANASIUS ALEXANDRINUS

AN

ENNEADECAËTERIDEM

Composuerit, inquiritur.

I.

BUcherius in suo in Victorii Canonem Commentario, C. 6. p. 127. scribit: *Nam quod priore sua Epistola suggerit Dionysius Exiguus, Athanasium Alexandriæ Episcopum, qui Nicænæ Synodo juvenis, & adhuc privatus interfuit, cursum Paschalem aliquem concinnasse, quem deinde successores ejus Theophilus Cyrillusque secuti sint; vereor ut conjectura potius, quam antiquioris ullius Scriptoris auctoritate fulciatur.*

II.

Verba ipsius Dionysii Exigui, in 1ª sua de ratione Paschæ, ad Petronium Episcopum, Epistola, §° 2. hæc sunt: *Sed Alexandrinæ urbis Archiepiscopus beatus Athanasius, qui etiam ipse Concilio Nicæno tunc Sancti Alexandri Pontificis Diaconus & in omnibus adjutor interfuit, & deinceps Venerabilis Theophilus, & Cyrillus, ab hac Synodi veneranda* (alii, *reverendæ*) *constitutione minime desciverunt.* (alii, *discesserunt.*) *Imo potius eumdem decemnovennalem Circulum, qui Enneadecaëterida Græco vocabulo nuncupatur, sollicite retinentes, Paschalem cursum nullis diversitatibus interpolasse monstrantur. Papa denique Theophilus centum annorum*

curſum Theodoſio Seniori principi dedicans, & Sanctus Cyrillus Cyclum temporum XCV annorum componens, hanc Sancti Concilii traditionem ad obſervandas XIV^tas Lunas Paſchales per omnia ſervaverunt.

III.

In ſuperiori §° 2, nec dicit, nec etiam, meo judicio, innuit Dionyſius Exiguus, quod curſum aliquem Paſchalem concinnaverit Athanaſius.

Dicit quidem Dionyſius, quod Athanaſius, & deinceps Theophilus, & Cyrillus, a Synodi Nicænæ conſtitutione de Paſchate minime deſciverint, aut diſceſſerint: imo potius Cyclum decemnovalem (a Synodo Nicæna inſtitutum) ſollicite retinentes, curſum Paſchalem nullis diverſitatibus interpolaſſe monſtrentur. (dum ſcilicet in Indictione Paſchatum regulas Paſchales, quibus Cyclum decemnovalem Synodus Nicæna adſtrinxerat, obſervaverint.)

Deinde de Theophilo & Cyrillo in ſpecie addit, quod Theophilus Laterculum Paſchalem centum annorum, & Cyrillus Cyclum Paſchalem XCV annorum componentes, hanc Concilii traditionem ad obſervandas Lunas XIV^tas Paſchales per omnia ſervaverint. (Dum ſcilicet, non tantum Lunas XIV^tas Paſchales Cyclo decemnovali a Concilio affixas, ſed etiam Regulas Paſchales a Concilio traditas ad ipſa Paſchata ex Lunis XIV^tis quotannis deprehendenda, ſervaverint.)

IV.

Si quis quærat, quam occaſionem habuerit Dionyſius hic mentionem Athanaſii faciendi, & quo fundamento hæc, quæ modo vidimus, de Athanaſio teſtetur. Reſpondemus Dionyſium hæc habere ex Proterii Alexandrini ad Leonem Papam, de Paſchate anni Chriſti 455, epiſtola reſponſoria; quam Dionyſius Latine verterat, & Operi ſuo de Paſchate adnectendam curaverat. In illa autem Epiſtola ita ſcribit Proterius *in octogeſimo nono quidem anno ab imperio Diocletiani, ſuperſtite beatæ memoriæ Patre noſtro & Epiſcopo Anaſtaſio,* (legendum, *Athanaſio,*) *cum XIV^ta Luna Paſchalis* 28° *die menſis Phamenoth, id eſt, IX Kal. Apr. die, proveniſſet, die Dominico; in ſubſequentem tranſlatum eſt hebdomadem: ita ut* 5^a *die Pharmoti, hoc eſt, pridie Kal. Apr. celebraretur Paſcha Dominicum.*

Hinc

Hinc enim patet, quod Pascha anni Christi 373^{tii} (a Diocletiano 89^{ni}) celebratum fuerit juxta Enneadecaëteridem, & regulas Paschales Concilii Nicæni. Hoc autem factum fuit *superstite Athanasio*, adeoque ex more Ecclesiæ Alexandrinæ, hoc Pascha *ab ipso Athanasio* in die Epiphaniorum fuerat indictum. Et per consequens, *Athanasius a Synodi Nicænæ constitutione de Paschate minime descivit aut discessit: imo potius eundem decemnovalem Cyclum sollicite retinens, Paschalem cursum nullis diversitatibus interpolasse monstratur.*

V.

Morianum, seu Morinum, aut Murinum (ita enim diversimode appellatur) Episcopum Alexandrinum, qui Cycli decemnovalis compositionem Athanasio tribuit, non curo. Vide quæ notavimus in disquisitione de Eusebii Enneadecaëteride, §° 11.

DE

DE ENNEADECAËTERIDIS ALEXANDRINÆ

Natura & Conſtitutione.

I.

De Scopo hujus Diſſertationis.

SCopus meus eſt agere de Enneadecaëteride Alexandrinorum, ejusque Naturam & Conſtitutionem exponere, & imprimis diſpoſitionem Neomeniarum determinare & confirmare.

Idque cum in finem, ut via ſternatur ad Computum Alexandrinorum Paſchalem tanto melius intelligendum.

Et imprimis ad illam quæſtionem, tanto melius determinandam, an ſcilicet anni Enneadecaëteridis Alexandrinorum initium ſumant a Neomenia Paſchali.

II.

Scopus ulterius explicatur.

Non eſt animus hic agere de Enneadecaëteride ſeu Cyclo Lunari XIX annorum in genere ejusque Natura & Conſtitutione, hæc ut nota ſuppono.

Neque etiam conſtitui hic omnia exponere, quæ ad naturam & conſtitutionem Enneadecaëteridis Alexandrinorum in ſpecie pertinent; varia enim jam antea præoccupavi, quæ hic non repetam.

Sed ſcopus eſt exhibere Schema hujus Cycli decemnovalis, in quo Neomeniæ per omnes & ſingulos Cycli annos ordine diſponuntur, & hanc diſpoſitionem argumentis & teſtimoniis veterum confirmare.

III. *Sco-*

III.

Scopus porro explicatur.

Non inquiram nunc, an Alexandrini unquam usi fuerint tali Cyclo decemnovali Naturali vel Epactali, qualem ex Paulo Foro-Semproniensi describit Petavius in Opere de Doctr. Temp. L. 6. C. 2, 3. de quo tamen vehementer dubito.

Sed agam de Enneadecaëteride Alexandrinorum Paschali.

Hanc supponunt viri docti incipere a mense Paschali, quod & ego antea cum illis supposui. De quo tamen nunc dubito.

Imo contrarium mihi videtur, nempe Enneadecaëterida Paschalem, qua usi sunt Alexandrini, saltem in prima constructione & constitutione, incepisse a Lunatione, quæ in mense Thoth terminatur, & cujus Neomenia diei Thoth 1° proxima est.

Hujus sententiæ rationes & argumenta nunc non proferam.

Neque etiam nunc inquiram an deinceps Enneadecaëterida Paschalem inceperint a mense Paschali, necne: & quando & qua occasione hoc fecerint: & quo sensu id dicantur Ecclesiastice fecisse.

Sed nunc id suppono & assumo Enneadecaëterida Alexandr. Paschalem, incipere (saltem ratione primæ constructionis & constitutionis) a Neomenia, quæ diei Thoth 1° proxima est.

Adeoque per Enneadecaëterida Alexandrinorum hic intelligo Cyclum Lunæ Solarem, XIX annorum, ad formam & initium anni Ægyptiaci fixi accommodatum, & ad rationes Paschales inflexum, quem in usu & Computo Paschali adhibuerunt Alexandrini.

Hujus Cycli Neomenias inquirere, disponere, & hanc dispositionem confirmare animus est.

IV.

Schemata quædam hujus Cycli a me constructa recensentur.

Primum exhibet dispositionem & ordinationem Neomeniarum per omnes & singulos Enneadecaëteridis annos, juxta dies mensium Ægyptiacorum.

Alterum exhibet eandem dispositionem Neomeniarum, juxta dies mensium Romanorum.

Tertium exhibet Ætatem Lunæ in primo die mensium Ægyptiacorum per omnes Enneadecaëteridis annos.

Quartum exhibet ætatem Lunæ in primo die mensium Romanorum per omnes Enneadecaëteridis annos.

PRIMUM

Dispositio Enneadecaëteridis mensium

1.	Epag. 5. *	Thoth 30.	Paoph. 29. *	Ath. 29.	Choi. 28. *	Tybi 28.
2.	Mes. 24. *	Thoth 19.	Paoph. 18. *	Ath. 18.	Choi. 17. *	Tybi 17.
3.	Mes. 13. *	Thoth 8.	Paoph. 7. *	Ath. 7.	Choi. 6. *	Tybi 6.
4.	Epag. 2. *	Thoth 27.	Paoph. 26. *	Ath. 26.	Choi. 25. *	Tybi 25.
5.	Mes. 21. *	Thoth 16.	Paoph. 15. *	Ath. 15.	Choi. 14. *	Tybi 14.
6.	Mes. 10. *	Thoth 5.	Paoph. 4. *	Ath. 4.	Choi. 3. *	Tybi 3.
7.	Mes. 29. *	Thoth 24.	Paoph. 23. *	Ath. 23.	Choi. 22. *	Tybi 22.
8.	Mes. 18. *	Thoth 13.	Paoph. 12. *	Ath. 12.	Choi. 11. *	Tybi 11.
9.	Thoth 2. *	Paoph. 2.	Ath. 1. *	Choi. 1.	Choi. 30. *	Tybi 30.
10.	Mes. 26. *	Thoth 21.	Paoph. 20. *	Ath. 20.	Choi. 19. *	Tybi 19.
11.	Mes. 15. *	Thoth 10.	Paoph. 9. *	Ath. 9.	Choi. 8. *	Tybi 8.
12.	Epag. 4. *	Thoth 29.	Paoph. 28. *	Ath. 28.	Choi. 27. *	Tybi 27.
13.	Mes. 23. *	Thoth 18.	Paoph. 17. *	Ath. 17.	Choi. 16. *	Tybi 16.
14.	Mes. 12. *	Thoth 7.	Paoph. 6. *	Ath. 6.	Choi. 5. *	Tybi 5.
15.	Epag. 1. *	Thoth 26.	Paoph. 25. *	Ath. 25.	Choi. 24. *	Tybi 24.
16.	Mes. 20. *	Thoth 15.	Paoph. 14. *	Ath. 14.	Choi. 13. *	Tybi 13.
17.	Mes. 9. *	Thoth 4.	Paoph. 3. *	Ath. 3.	Choi. 2. *	Tybi 2.
18.	Mes. 28. *	Thoth 23.	Paoph. 22. *	Ath. 22.	Choi. 21. *	Tybi 21.
19.	Mes. 17. *	Thoth 12.	Paoph. 11. *	Ath. 11.	Choi. 10. *	Tybi 10.

SCHEMA.

Alexandrinorum juxta dies Ægyptiorum.

Mech.27.* Pham.27. Phar 26.* Pach.26. Paun.25.* Epip.25.
Mech.16.* Pham.16. Phar.15.* Pach.15. Paun.14.* Epip.14.
Mech. 5.* Pham. 5.* Phar. 5. Pach. 4.* Paun. 4. Epip. 3.* Mes. 3.
Mech.24* Pham.24. Phar.23.* Pach.23. Paun.22.* Epip.22.
Mech.13.* Pham.13. Phar.12.* Pach.12. Paun.11.* Epip.11.
Mech. 2.* Pham. 2.* Phar. 2. Pach. 1.* Paun. 1. Paun.30.* Epip.30.
Mech.21.* Pham.21. Phar.20.* Pach.20. Paun.19.* Epip.19.
Mech.10.* Pham.10.* Phar.10. Pach. 9* Paun. 9. Epip. 8.* Mes. 8.
Mech.29.* Pham.29. Phar.28.* Pach.28. Paun.27.* Epip.27.
Mech.18.* Pham.18. Phar.17.* Pach.17. Paun.16.* Epip.16.
Mech. 7.* Pham. 7.* Phar. 7. Pach. 6.* Paun. 6. Epip. 5.* Mes. 5.
Mech.26.* Pham 26. Phar.25.* Pach.25. Paun.24.* Epip.24.
Mech 15.* Pham.15. Phar.14* Pach.14 Paun.13.* Epip.13.
Mech. 4.* Pham. 4.* Phar. 4. Pach. 3.* Paun. 3. Epip. 2.* Mes. 2.
Mech.23.* Pham.23. Phar.22.* Pach.22. Paun 21.* Epip.21.
Mech.12* Pham.12. Phar.11.* Pach 11. Paun.10.* Epip.10.
Mech. 1.* Pham. 1.* Phar. 1. Phar 30* Pach 30. Paun.29.* Epip.29.
Mech.20.* Pham.20. Phar.19.* Pach 19. Paun.18.* Epip.18.
Mech. 9.* Pham. 9.* Phar. 9. Pach. 8.* Paun. 8. Epip. 7. Mes. 6.

SECUNDUM

Dispositio Enneadecaëteridis mensium.

1.	Aug. 28.	*	Sept. 27.	Oct. 26.	*	Nov. 25.	Dec. 24.	*	Jan. 23.			
2.	Aug. 17.	*	Sept. 16.	Oct. 15.	*	Nov. 14.	Dec. 13.	*	Jan. 12.			
3.	Aug. 6.	*	Sept. 5.	Oct. 4.	*	Nov. 3.	Dec. 2.	*	Jan. 1.			
4.	Aug. 25.	*	Sept. 24.	Oct. 23.	*	Nov. 22.	Dec. 21.	*	Jan. 20.			
5.	Aug. 14.	*	Sept. 13.	Oct. 12.	*	Nov. 11.	Dec. 10.	*	Jan. 9.			
6.	Aug. 3.	*	Sept. 2.	Oct. 1.	*	Oct. 31.	Nov. 29.	*	Dec. 29.			
7.	Aug. 22.	*	Sept. 21.	Oct. 20.	*	Nov. 19.	Dec. 18.	*	Jan. 17.			
8.	Aug. 11.	*	Sept. 10.	Oct. 9.	*	Nov. 8.	Dec. 7.	*	Jan. 6.			
9.	Aug. 30.	*	Sept. 29.	Oct. 28.	*	Nov. 27.	Dec. 26.	*	Jan. 25.			
10.	Aug. 19.	*	Sept. 18.	Oct. 17.	*	Nov. 16.	Dec. 15.	*	Jan. 14.			
11.	Aug. 8.	*	Sept. 7.	Oct. 6.	*	Nov. 5.	Dec. 4.	*	Jan. 3.			
12.	Aug. 27.	*	Sept. 26.	Oct. 25.	*	Nov. 24.	Dec. 23.	*	Jan. 22.			
13.	Aug. 16.	*	Sept. 15.	Oct. 14.	*	Nov. 13.	Dec. 12.	*	Jan. 11.			
14.	Aug. 5.	*	Sept. 4.	Oct. 3.	*	Nov. 2.	Dec. 1.	*	Dec. 31.			
15.	Aug. 24.	*	Sept 23.	Oct. 22.	*	Nov. 21.	Dec. 20.	*	Jan. 19.			
16.	Aug. 13.	*	Sept. 12.	Oct. 11.	*	Nov. 10.	Dec. 9.	*	Jan. 8.			
17.	Aug. 2.	*	Sept. 1.	Sept. 30.	*	Oct. 30.	Nov. 28.	*	Dec. 28.			
18.	Aug. 21.	*	Sept. 20.	Oct. 19.	*	Nov. 18.	Dec. 17.	*	Jan. 16.			
19.	Aug. 10.	*	Sept. 9.	Oct. 8.	*	Nov. 7.	Dec. 6.	*	Jan. 5.			

SCHEMA.

Alexandrinorum juxta dies Romanorum.

Feb. 21.* Mart. 23. April. 21.* Maji 21. Jun. 19.* Jul. 19.
Feb. 10.* Mart. 12. April. 10.* Maji 10. Jun. 8.* Jul. 8.
Jan. 30.* Mart. 1.* Mart. 31. Apr. 29.* Maji 29. Jun. 27.* Jul. 27.
Feb. 18.* Mart. 20. April. 18.* Maji 18. Jun. 16.* Jul. 16.
Feb. 7.* Mart. 9. April. 7.* Maji 7. Jun. 5.* Jul. 5.
Jan. 27.* Feb. 26.* Mart. 28. Apr. 26.* Maji 26. Jun. 24.* Jul. 24.
Feb. 15.* Mart. 17. April. 15.* Maji 15. Jun. 13.* Jul. 13.
Feb. 4.* Mart. 6.* April. 5. Maji 4.* Jun. 3. Jul. 2.* Aug. 1.
Feb. 23.* Mart. 25. April. 23.* Maji 23. Jun. 21.* Jul. 21.
Feb. 12.* Mart. 14. April. 12.* Maji 12. Jun. 10.* Jul. 10.
Feb. 1.* Mart. 3.* April. 2. Maji 1.* Maji 31. Jun. 29.* Jul. 29.
Feb. 20.* Mart. 22. April. 20.* Maji 20. Jun. 18.* Jul. 18.
Feb. 9.* Mart. 11. April. 9.* Maji 9. Jun. 7.* Jul. 7.
Jan. 29.* Feb. 28.* Mart. 30. Apr. 28.* Maji 28. Jun. 26.* Jul. 26.
Feb. 17.* Mart. 19. April. 17.* Maji 17. Jun. 15.* Jul. 15.
Feb. 6.* Mart. 8. April. 6.* Maji 6. Jun. 4.* Jul. 4.
Jan. 26.* Feb. 25.* Mart. 27. Apr. 25.* Maji 25. Jun. 23.* Jul. 23.
Feb. 14.* Mart. 16. April. 14.* Maji 14. Jun. 12.* Jul. 12.
Feb. 3.* Mart. 5.* April. 4. Maji 3.* Jun. 2. Jul. 1. Jul. 30.

TERTIUM

Dispositio Ætatum Lunæ in primo die Enneadecaëteridis

Epactæ		Thoth	Paophi	Athyr	Choiac	Tybi	Mechir
o	1	II	II	III	III	IV	IV
XI	2	XIII	XIII	XIV	XIV	XV	XV
XXII	3	XXIV	XXIV	XXV	XXV	XXVI	XXVI
III	4	V	V	VI	VI	VII	VII
XIV	5	XVI	XVI	XVII	XVII	XVIII	XVIII
XXV	6	XXVII	XXVII	XXVIII	XXVIII	XXIX	XXIX
VI	7	VIII	VIII	IX	IX	X	X
XVII	8	XIX	XIX	XX	XX	XXI	XXI
XXVIII	9	XXIX	XXX	I	I	II	II
IX	10	XI	XI	XII	XII	XIII	XIII
XX	11	XXII	XXII	XXIII	XXIII	XXIV	XXIV
I	12	III	III	IV	IV	V	V
XII	13	XIV	XIV	XV	XV	XVI	XVI
XXIII	14	XXV	XXV	XXVI	XXVI	XXVII	XXVII
IV	15	VI	VI	VII	VII	VIII	VIII
XV	16	XVII	XVII	XVIII	XVIII	XIX	XIX
XXVI	17	XXVIII	XXVIII	XXIX	XXIX	XXX	I
VII	18	IX	IX	X	X	XI	XI
XVIII	19	XX	XX	XXI	XXI	XXII	XXII

SCHEMA.

mensium Ægyptiorum per omnes annos Alexandrinorum.

Phamen.	Pharm.	Pachon	Pauni	Epiphi	Mesori	Epagom.
V	V	VI	VI	VII	VII	VIII
XVI	XVI	XVII	XVII	XVIII	XVIII	XIX
XXVII	XXVII	XXVII	XXVIII	XXVIII	XXIX	XXIX
VIII	VIII	IX	IX	X	X	XI
XIX	XIX	XX	XX	XXI	XXI	XXII
XXX	XXX	I	I	II	II	III
XI	XI	XII	XII	XIII	XIII	XIV
XXII	XXII	XXII	XXIII	XXIII	XXIV	XXIV
III	III	IV	IV	V	V	VI
XIV	XIV	XV	XV	XVI	XVI	XVII
XXV	XXV	XXV	XXVI	XXVI	XXVII	XXVII
VI	VI	VII	VII	VIII	VIII	IX
XVII	XVII	XVIII	XVIII	XIX	XIX	XX
XXVIII	XXVIII	XXVIII	XXIX	XXIX	XXX	I
IX	IX	X	X	XI	XI	XII
XX	XX	XXI	XXI	XXII	XXII	XXIII
I	I	II	II	III	III	IV
XII	XII	XIII	XIII	XIV	XIV	XV
XXIII	XXIII	XXIII	XXIV	XXIV	XXV	XXVI

QUAR-

QUARTUM

Dispositio Ætatum Lunæ in primo die Enneadecaëteridis.

Epactæ		Septemb.	Octob.	Novemb.	Decemb.	Januar.	Februar.
0	1	V	V	VII	VII	IX	X
XI	2	XVI	XVI	XVIII	XVIII	XX	XXI
XXII	3	XXVII	XXVII	XXIX	XXIX	I	III
III	4	VIII	VIII	X	X	XII	XIII
XIV	5	XIX	XIX	XXI	XXI	XXIII	XXIV
XXV	6	XXX	I	II	III	IV	VI
VI	7	XI	XI	XIII	XIII	XV	XVI
XVII	8	XXII	XXII	XXIV	XXIV	XXVI	XXVII
XXVIII	9	III	III	V	V	VII	VIII
IX	10	XIV	XIV	XVI	XVI	XVIII	XIX
XX	11	XXV	XXV	XXVII	XXVII	XXIX	I
I	12	VI	VI	VIII	VIII	X	XI
XII	13	XVII	XVII	XIX	XIX	XXI	XXII
XXIII	14	XXVIII	XXVIII	XXX	I	II	IV
IV	15	IX	IX	XI	XI	XIII	XIV
XV	16	XX	XX	XXII	XXII	XXIV	XXV
XXVI	17	I	II	III	IV	V	VII
VII	18	XII	XII	XIV	XIV	XVI	XVII
XVIII	19	XXIII	XXIII	XXV	XXV	XXVII	XXVIII

SCHEMA.

mensium Romanorum per omnes annos Alexandrinorum.

Mart.	April.	Maj.	Junii	Julii	August.
IX	X	XI	XII	XIII	XIV
XX	XXI	XXII	XXIII	XXIV	XXV
I	II	III	IV	V	VI
XII	XIII	XIV	XV	XVI	XVII
XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII	XXVIII
IV	V	VI	VII	VIII	IX
XV	XVI	XVII	XVIII	XIX	XX
XXVI	XXVII	XXVIII	XXIX	XXIX	I
VII	VIII	IX	X	XI	XII
XVIII	XIX	XX	XXI	XXII	XXIII
XXIX	XXX	I	II	III	IV
X	XI	XII	XIII	XIV	XV
XXI	XXII	XXIII	XXIV	XXV	XXVI
II	III	IV	V	VI	VII
XIII	XIV	XV	XVI	XVII	XVIII
XXIV	XXV	XXVI	XXVII	XXVIII	XXIX
V	VI	VII	VIII	IX	X
XVI	XVII	XVIII	XIX	XX	XXI
XXVII	XXVIII	XXVIII	XXX	I	III

V.

Cognita & probata quædam.

1. Primus Enneadecaëteridis annus habet Neomeniam Paſchalem in die Phamen. 27°, Mart. 23°. Quod fuſe probavi in Diſſert. de initio, ſeu primo anno Enneadec. Alexandrinæ & Dionyſianæ.

2. Enneadecaëteris dividitur in duas partes, quarum prima Ogdoas, altera Hendecas appellatur.

3. Anni Ogdoadis Embolimæi ſunt tertius, ſextus, & octavus: Hendecadis autem, tertius, ſextus, nonus, & undecimus: adeoque totius Cycli, 3us, 6us, 8us, 11us, 14us, 17us, & 19us. Quod fuſe probavi in Diſſ. de Ratione Embolismi in Enneadecaët. Alex.

4. Anni Communes ſunt 354 dierum, Embolimæi vero 384, excepto anno 19°, qui uno die defectivus, & 383 dierum eſt. Quod in eadem Diſſ. probavi.

5. Dies Biſſextiles, ſeu intercalares in Enneadecaëteride non numerantur, licet tacite eorum ratio habeatur.

6. Epactæ Alexandrinorum Lunares, ſeu dies adjectitii, quibus ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die dato, & ſic ad inveniendas Lunas XIV Paſchales, utuntur, cognitæ & determinatæ ſunt pro ſingulis Enneadecaëteridis annis.

VI. *Neo-*

VI.

Neomeniæ & Lunæ XIV^æ Pasch. in Enneadecaët. Alexandr. fixæ & cognitæ sunt sequentes.

Epactæ	anno Cycli	Neomeniæ		Paschal.		Lunæ XIV^æ		Pasch.	
o	1.	Pham.	27.	Mart.	23.	Phar.	10.	April.	5.
XI	2.	Pham.	16.	Mart.	12.	Pham.	29.	Mart.	25.
XXII	* 3.	Phar.	5.	Mart.	31.	Phar.	18.	April.	13.
III	4.	Pham.	24.	Mart.	20.	Phar.	7.	April.	2.
XIV	5.	Pham.	13.	Mart.	9.	Pham.	26.	Mart.	22.
XXV	* 6.	Phar.	2.	Mart.	28.	Phar.	15.	April.	10.
VI	7.	Pham.	21.	Mart.	17.	Phar.	4.	Mart.	30.
XVII	* 8.	Phar.	10.	April.	5.	Phar.	23.	April.	18.
XXVIII	9.	Pham.	29.	Mart.	25.	Phar.	12.	April.	7.
IX	10.	Pham.	18.	Mart.	14.	Phar.	1.	Mart.	27.
XX	* 11.	Phar.	7.	April.	2.	Phar.	20.	April.	15.
I	12.	Pham.	26.	Mart.	22.	Phar.	9.	April.	4.
XII	13.	Pham.	15.	Mart.	11.	Pham.	28.	Mart.	24.
XXIII	* 14.	Phar.	4.	Mart.	30.	Phar.	17.	April.	12.
IV	15.	Pham.	23.	Mart.	19.	Phar.	6.	April.	1.
XV	16.	Pham.	12.	Mart.	8.	Pham.	25.	Mart.	21.
XXVI	* 17.	Phar.	1.	Mart.	27.	Phar.	14.	April.	9.
VII	18.	Pham.	20.	Mart.	16.	Phar.	3.	Mart.	29.
XVIII	* 19.	Phar.	9.	April.	4.	Phar.	22.	April.	17.

Æquinoctium Vernale
Pham. 25. Mart. 21.

VII.

De ætate Lunæ in die Thoth 1° in Enneadecaët. anno 1°.

In Enneadecaëteridis anno 1° est in die mensis Thoth 1°, Luna II^da.
Adeoque prima totius Cycli Neomenia cadebat in diem Epagom. 5^um, Aug. 28^um.

Et ab hac Neomenia Enneadecaëteris Alexandrina, & in ſpecie ejus annus primus initium ſumebant.

Probatur

1° Ex methodo ad inveniendam ætatem Lunæ, quam Maximus exhibet in ejus Computo Eccleſ. Parte 3ª, C. 8. N° 1 & 2. (Confer Anonymum, a Muratorio editum, in Computo, Capit. 76. & Diſſ. de Computo Lunari Alexandr. §° 36.)

Quæ methodus Alexandrinorum fuit, quia non tantum ad Æram Diocletianeam, ſed etiam ad menſes Ægyptiacos accommodata eſt. Quod etiam ex Collatione ſequent. Cap. 9, 10, & 11. patet.

Hæc enim methodus jubet *accipere Epactas Lunæ, & labentis Ægyptiaci menſis ποσίαιαν, & dimidium menſium a Thoth, & unam* Καθολικήν. *Et dicit, ſi horum ſummam invenimus XXX aut infra XXX, totidem dies Lunam habere cognoſcimus; ſin vero ultra XXX, demptis XXX, quot ſupererunt, totidem dies Lunam habere cognoſcimus.*

Exempli gratia.

Quæratur Ætas Lunæ in die Phamenoth 27° in anno Cycli 1°, qui habet Epact. o.

Epactæ hujus anni . .	0
Menſis Phamenoth dies .	27
Menſes a Thoth uſque ad Phamenoth elapſi ſunt ſeptem, horum dimidium . . .	3
Καθολική ſeu Regularis . .	1
ſumma	31
aufer	30
ſupereſt	1

adeoque Luna 1ª in die Phamenoth 27°.

Quæritur ætas Lunæ in die Thoth 1° in anno Cycli 1°, qui habet Epact. o.

Epacta	0
Menſis Thoth dies. . .	1
Dimidium menſis elapſorum .	0
Regularis	1
ſumma	2

adeoque Luna 2da in die Thoth 1°.

Quod

Quod etiam per ſe patet, quia hæc methodus jubet ſemper adjicere Καθολικὴν unam: Hoc enim ſupponit annum Lunarem in initio Cycli uno die prævertere annum Solarem.

Vide Diſſ. de Computo Lunari Alexandrinorum in eorum methodo ſeu Computo Paſchali. §um 24. &c.

Probatur

2° Ex methodo quorundam, ad imitationem Ægyptiorum adhibita ad inveniendam ætatem Lunæ in Kalendas quaſcunque, cujus meminit Beda in Lib. de Natura rerum & Ratione temp. C. 20. ut & Anonymus, a Muratorio editus, in Libro de Computo, Capit. 22°, & 3°.

Quæ methodus ætatem, quam Luna habet in Kalendis XII menſium in anno Cycli 1°, pro Regularibus ſeu Epactis menſium aſſumit.

Quæque incipiens a Septembri, aſſumit pro Regularibus ſeu Epactis Septembris V, Octobris V, Novemb. VII. &c.

Supponitur itaque in hac methodo

Quod in Septembris die 1° ſit Luna Va

aufer dies 3 . . III

erit in Auguſti die 29° — Luna IIa

Adeoque erat in Auguſti die 28°, ſeu Epagomen. 5a, Luna 1a.

VIII.

De quantitate menſis Lunaris primi in anno Cycli 1°, 2°, 3°, &c.

Lunatio prima in anno Cycli 1° eſt Plena dierum XXX, non Cava dierum XXIX.

Probatio 1a,

Per Lunationem primam intelligo eam, quæ in Epagomen. 5a naſcitur, & in menſis Thoth die 1° habet Lunam 2dam.

Suppono menſes Lunares alternando eſſe Plenos & Cavos.

Dico itaque illam Lunationem, quæ naſcitur Epagom. 5a, terminari in menſis Thoth die 29°, adeoque eſſe Plenam dierum XXX.

 Ratio

Ratio eſt, quia alias in die Phamenoth 27° (Mart. 23°) non foret Luna 1ª, ſeu Neomenia Paſchalis.

Nam in anno Solari a menſis Thoth die 1° uſque ad menſis Phamenoth diem 27ᵘᵐ excluſive elapſi ſunt dies 206, adde unum diem, quia Lunatio, de qua agitur, init Epagomen. 5ª, erunt dies 207, qui per ſeptem Lunationes impleri debent; quod fieri non poteſt, niſi quatuor ſint Plenæ & tres Cavæ, & hoc fieri non poteſt, retenta alternatione menſium, niſi prima ſtatuatur Plena.

Hoc clarius ex ſequenti Schemate patebit.

Lunatio				Lunatio			
1ª	dierum	30.	P.	1ª	dierum	29.	C.
2ª	—	29.	C.	2ª	—	30.	P.
3ª	—	30.	P.	3ª	—	29.	C.
4ª	—	29.	C.	4ª	—	30.	P.
5ª	—	30.	P.	5ª	—	29.	C.
6ª	—	29.	C.	6ª	—	30.	P.
7ª	—	30.	P.	7ª	—	29.	C.
		207.				206.	
aufer diem		1.				1.	
		206.				205.	

Juxta primum Schema, Lunatio 7ª terminatur in die anni Solaris a Thoth ineuntis, 206°, hoc eſt, in menſis Phamenoth die 26°, & ſequenti die Phamenoth 27° init Lunatio 8ª, quæ Paſchalis eſt, & dat debitam Lunam XIVᵃᵐ Paſchalem in die Pharmuthi 10°, ut §° 6° videre licet.

Sed juxta alterum Schema Lunatio 7ª terminaretur in die anni Solaris 205°, hoc eſt, in die 25° menſis Phamenoth, & ſequenti die 26° ejusdem menſis Phamenoth iniret Lunatio 8ª, quæ daret Lunam XIVᵃᵐ in Pharmuthi die 9°. Omnia erroneë.

Corollaria

1ᵘᵐ Eodem modo probatur Lunationem primam in anno Cycli 2°, quæ init undecim diebus citius, in die Meſori 24°, eſſe Plenam dierum XXX.

XXX. Ut & Lunationem primam in reliquis annis Cycli Communibus, esse Plenam.

2um. Eodem modo probatur Lunationem 1am in anno Cycli 3°, 6°, & reliquis annis Embolimæis, esse Plenam, posito, quod mensis Antepaschalis sit Embolimæus & Plenus dierum XXX, quod in sequentibus probabo.

Probatio 2a,

Desumitur ex illa methodo, cujus Beda & Anonymus meminerunt: Vide præced. §um 7um.

Nam illa methodus ponit Septembris Regularis V, Octob. V, Nov. VII, &c. hoc est, ponit in Kalendis Septembris Lunam 5am, Octobris, 5am, Novembris, 7am &c.

Adeoque erit in die

Augusti 28° / Epagom. 5a	Luna 1.	Sept. 27° / Thoth 30°	Luna 1a	Octob. 26° / Paophi 29°	Luna 1a

Harum autem Lunationum prima Plena, altera Cava est.

IX.

De quantitate mensis Lunaris Ante-Paschalis in annis Embolimæis.

Mensis Lunaris, qui in annis Embolimæis, mensem Paschalem immediate præcedit, est Plenus dierum XXX, licet ex ordine deberet esse dierum XXIX.

Probatio 1a,

In anno Cycli, exempli gratia, 3°, qui Embolimæus est, Neomenia Paschalis cadit in Pharmuthi diem 5um.

Dies Pharmuthi 5us est anni Solaris, a Thoth ineuntis, dies 215us, adeoque ante hunc diem elapsi dies 214.

Annus Lunaris in Cyclo 3us, init duobus & viginti diebus citius, quam 1us, qui inierat in die Epagom. 5a; adeoque init in die Mesori 13°.

Lunatio,

Lunatio, iniens in die Mesori 13°, dat Lunam XXIV^am^ in mensis Thoth die 1°. Quod & methodus illa cujus S. Maximus meminit, comprobat. Vide §^um^ 7^um^.

Adeoque annus Lunaris init diebus 23 ante annum Solarem: & proinde in anno Lunari ante Neomeniam Paschalem, in Pharmuthi die 5°, elapsi sunt dies 237.

Hi dies 237 impleri debent per Lunationes octo; quod fieri non potest nisi ex illis, quinque statuantur Plenæ, & tres Cavæ.

Pone Lunationem 1^am^ esse Plenam (quod fieri debere etiam hinc patet, & in præcedentibus annis, 1° & 2°, obtinuisse, probavi) erit, alternando, Lunatio 2^a^, Cava; 3^a^, Plena; 4^a^, Cava; 5^a^, Plena; 6^a^, Cava; 7^a^, Plena; & ex ordine 8^a^ deberet esse Cava, (qualis etiam in anno præcedenti 1° & 2° fuit) sed, quia hic quinque Plenæ requiruntur, debet extra ordinem fieri Plena.

Pone iterum dies	237
Aufer pro sex mensibus Lunaribus, tribus Plenis & tribus Cavis, dies	177
Remanent dies	60

Hi dies 60 faciunt duos menses Plenos, adeoque indicant mensem 7^um^ & 8^um^ esse Plenos, primum ex ordine, & alterum extra ordinem. Q. E. D.

Probatio 2^a^,

Ex methodo, qua utitur Imp. Heraclius, ad inveniendas Lunas XIV^as^; quam vide in Observ. nostris ad ejus Computum Paschalem.

Hæc enim methodus, quam clarissime præsupponit, & ostendit mensem Ante-Paschalem tam in Communibus, quam in Embolimæis annis, semper, adeoque in annis Embol. extra ordinem esse Plenum dierum XXX.

Nam in annis Communibus mensis Paschalis est ordine 8^us^, adeoque 7^us^ mensis ordinario Plenus: In annis vero Embol. mensis Paschalis est ordine 9^us^, & habet duos ante se Plenos, 7^um^ ordinario, 8^um^ vero extraordinario.

Probatio 3^tia^,

Ex Maximi Computo, P. 1^a^. C. 8°. Vide nostras in Maximum Observ. §° 14°.

Ubi

Ubi & expreſſe dicit, & præterea ex die & Luna, in quam introitus jejuniorum incidit, & a qua uſque ad diem in quam Luna XIV^a^ Paſchalis cadit, (terminis incluſis) numerantur dies LVII, clariſſime patet, in annis Embolimæis duos menſes Plenos, ſe invicem ſequentes, menſem Paſchalem immediate præcedere. & in annis Communibus menſem ante-Paſchalem quoque eſſe Plenum.

Fateor Maximum Enneadecaëterida incipere a menſe Paſchali, & habere annum Solarem Technicum incipientem a Kalendis Aprilis, ſed tamen retinuit easdem Neomenias, quas in Enneadecaëteride Alexandrini fixerant, exceptis iis Neomeniis, quæ propter Saltum Lunæ, quem Maximus loco ſuo movit, & in ultimo anni ſui 19^ni^ menſe poſuit, uno die differunt.

Corollarium.

Ex duabus his probationibus præcedentibus patet menſem anni primum eſſe Plenum. Nam, ſi 7^us^ anni menſis, tam in Communibus, quam in Embolimæis annis, ex ordine Plenus eſt, ſequitur 5^um^, 3^um^, adeoque & 1^um^ ſemper ex ordine Plenum eſſe.

X.

De ſitu menſis Embolimæi in Enneadecaëteride.

In Enneadecaëteride Alexandr. menſis Embolimæus, dierum XXX, ſemper immediate præcedit menſem Paſchalem, eſtque octavus anni menſis.

Probatur

Hoc ex iis, quæ §° præcedenti dicta ſunt, jam per ſe patet.

Nam ſi menſis Lunaris, qui Paſchalem præcedit, in annis Embolimæis ſemper extra ordinem ſit Plenus, ſequitur illum eſſe menſem Embolimæum.

X I.

De Saltu Lunæ, cui menſi inſeratur in Enneadec.

Non quæritur hic de anno; certum enim eſt, Saltum Lunæ inſeri anno Cycli 19° ſive annum Cycli 19^um^ eſſe uno die defectivum.

Sed quæritur de menſe, ſive quæritur quis menſis in anno Cycli 19° fiat uno die defectivus, hoc eſt, ex Pleno Cavus.

Tum enim Saltus Lunæ alicui menſi inſeri dicitur, quando menſis ille, qui ex ordine Plenus foret, uno die minuitur, & extra ordinem fit Cavus.

Nam quando hoc fit, tum Luna, quæ præcedenti die numerabatur XXIX^a^, ſequenti die non numeratur XXX^a^, ut ex ordine fieri deberet, ſed numeratur 1^a^, & ſic Luna unum diem quaſi tranſilit, &, ut Beda dicit, *ex vigeſima nonâ ſaltat in Novam,* ſeu *Primam.*

His poſitis, dico Saltum Lunæ inſeri in anno Cycli 19°, & quidem hujus anni menſe Lunari penultimo; ſive in illa Lunatione, quæ init in die Epiphi 7° ſeu Julii die 1°, quæque, propter Saltum Lunæ Cava facta, terminatur in die Meſori 5°, ſeu Julii die 29°.

Probatur 1°.

Beda in Libro de Natura rerum & Ratione temporum, C. 42. in fine, agens de Saltu Lunæ, hæc habet: *Sed ſunt, qui hoc nobis in Luna Novembris menſis agendum magis autument, quatenus hujusmodi impedimentis cum præcedentis anni fine abſolutis, novum de cætero annum libero poſſint Computu ingredi, juxta exemplum videlicet Ægyptiorum, qui hoc in penultimo anni ſui menſe qui eſt noſter Julius, facere perhibentur. Sed ſive hic, ſive illic, ſive alibi feceris, neceſſe eſt ibidem, ni fallor, tres pariter menſes undetricenorum computare dierum.*

Idem Beda, eodem Libro, C. 20. ubi methodum proponit ad inveniendum quota ſit Luna in Kalendas quasque; & quænam cautela in uſu hujus methodi adhibenda ſit, etiam in anno 19°, non tantum propter Embolismum, ſed & propter Saltum Lunæ, oſtendit, hæc habet. *Item anno XIX°, quia Luna Embolismi &c. quo etiam anno ratio Saltus Lunaris fidem ejusdem argumenti impugnat. Si enim ipſum argumentum juxta*

juxta Ægyptios a Septembri mense, ubi principium est anni eorum, inchoaveris, necesse est, ut Luna Julii mensis, eo anno, XXIX dies, ut nunquam alias, habeat, uno videlicet ratione Saltus amisso; & ob id Luna Kalendarum Augustarum tertia reddatur, quæ juxta argumenti regulam secunda computabatur.

Ex his duobus Bedæ locis, inter se collatis, patet Ægyptios Saltum Lunæ inserere in anno Cycli 19°, in mense anni eorum penultimo, qui Romanorum Julius est; & quidem in specie in illo mense Lunari, qui init in mensis Julii die 1°, quique propter Saltum Lunæ, unum diem amittens, extra ordinem Cavus fit, dierum tantum XXIX, & propterea terminatur in ejusdem mensis Julii die 29°, quo efficitur, ut in Kalendis Aug. sit Luna IIIª.

Julii autem dies 1us est Ægyptiorum Epiphi dies 7us, & Julii dies 29us est Ægyptiorum Mesori dies 5us.

Corollaria.

Primum: hinc sequitur hanc Lunationem quæ in anno Cycli 19°, utpote Embolimæo, duodecima est, ex ordine Plenam esse, sed propter Saltum fieri extra ordinem Cavam; adeoque in annis reliquis Embolimæis Lunationem 12am, seu anni penultimam esse Plenam.

Secundum: hinc porro sequitur Lunationem anni in Cyclo 19ni, ultimam, seu 13am, ex ordine esse Cavam: si enim ex ordine esset Plena, non præcedenti, sed huic Saltum Lunæ inseruissent: præterea Lunatio quæ in mensis Mesori die 6° init & in Epagom. 4ª terminatur, est tantum dierum XXIX; ibidem autem terminari patet, quia annus sequens Cycli 1us ab Epagom. 5ª incipit, & in Thoth die 1° Lunam 2dam habet, ut §° 7° ostensum est: & proinde statuendum est Lunationem 13am etiam in reliquis annis Embolimæis esse ex ordine Cavam.

XII.

De quantitate mensis Paschalis in annis Embolimæis.

Mensem Paschalem in annis Communibus, utpote 8um anni mensem, esse Cavum, certum est: quippe, ut ostensum est §° 8°, primus anni mensis est Plenus.

Per inſertionem menſis Embolimæi, qui ſemper 8us anni menſis eſt, ordo & alternatio menſium Plenorum & Cavorum, in annis Embolimæis abrumpitur: nam 7us anni menſis ex ordine Plenus eſt, & 8us, utpote Embolimæus, extra ordinem fit Plenus; adeoque duo Pleni ſe invicem ſequuntur; ut oſtenſum eſt §° 9°.

Menſis Paſchalis in annis Embolimæis, eſt 9us anni menſis.

Quæri itaque poteſt an menſis Paſchalis in annis Embolimæis, ſit Plenus, quia 9us anni menſis, & iſte in communibus annis ſemper ex ordine Plenus eſt: an vero menſis Paſchalis in annis Emb. ſit extra ordinem Cavus, quia præcedens extra ordinem Plenus factus fuit.

Ego poſterius in Enneadecaëteride obtinuiſſe ſtatuo; nempe menſem Paſchalem in annis Embolimæis, æque ac in Communibus, ſemper eſſe Cavum dierum XXIX.

Probatur 1°.

Quia plane incongruum foret, ſi menſis Paſchalis ſtatueretur Plenus; tum enim non tantum tres Lunationes Plenæ ſe invicem ſequerentur, ſed præterea tum ex quatuor Lunationibus ſequentibus tres deberent fieri Cavæ, & unica tantum poſſet eſſe Plena, adeoque vel tres, vel ad minimum duæ Cavæ ſe invicem ſequerentur, idque obtineret in ſex prioribus annis Embolimæis, & in ſeptimo Embolimæo, ſeu Cycli 19°, propter Saltum Lunæ quatuor Lunationes Cavæ ſe invicem ſequerentur.

Contra ſi menſis Paſchalis ſtatuatur Cavus, tum ſequentes ex ordine Lunationes alternando Plenæ & Cavæ eſſe poterunt.

Probatur 2°.

Quia Lunatio anni Embolimæi 12a Plena, & 13a Cava eſt, ut vidimus in Corollario 1° & 2°, §i præcedentis: nam ſi alternando retrogrediaris, erit Lunatio 11a, Cava; 10a, Plena; & 9a, quæ Paſchalis eſt, Cava.

Probatur 3°.

Ex Computo Maximi P. 1a, C. 8°. Inde enim patet menſem Paſchalem ſemper eſſe Cavum. Vide noſtras in Maximum obſervationes, §° 14.

Et hoc argumentum tanto magis ſtringit, quia Maximus annos Cycli ſui ordiatur a menſe Paſchali. Omnes enim Cyclorum conſtructores ſolent

lent in Cyclis ſuis primum anni menſem facere Plenum : adeoque hinc patet Maximum menſem Paſchalem retinuiſſe Cavum, quia eum in Enneadecaëteride Alexandrinorum talem, hoc eſt, Cavum invenerat, & Neomenias Enneadecaëteridis in iisdem anni Solaris diebus retinere volebat, quibus eas Alexandrini affixerant.

XIII.

De ordinatione menſium poſteriorum in annis Embolimæis.

Ex iis, quæ in præcedentibus, imprimis §° 9°, 11°, & 12° vidimus, patet, menſes poſteriores in annis Embolimæis, eo modo ordinatos fuiſſe, ut in ſequenti Schemate exhibetur.

Menſis
7us eſt Plenus, ex ordine, ut in annis Communibus.
8us —— Plenus, extra ordinem, quia Embolimæus.
9us —— Cavus. Vide §um 12um.
10us —— Plenus.
11us —— Cavus.
12us —— Plenus. excepto anno 19°, in quo fit extra ordinem
13us —— Cavus. §° 11°, Coroll. 2°. (Cavus propter Saltum Lunæ.

XIV.

De anno Cycli 9°, a quo menſe Lunari ineat.

Annus Enneadecaëteridis 9us incipit ab illo menſe Lunari, qui init in menſis Thoth die 2°.

Probatur 1°.

Ogdoas Lunaris in Enneadecaëteride eſt dierum 2922; habet enim annos quinque Communes, dierum 354, & tres Embolimæos, dierum 384.
Octo anni Solares, dierum 365, non numeratis Biſſextilibus, ſeu intercalaribus diebus, conficiunt dies 2920.
Adeoque Ogdoas Lunaris biduo ſuperat Ogdoada Solarem.

 Quod

Quod & Paſchaſinus teſtatur in Epiſtola ad Leonem, & Dionyſius in Epiſtola ad Bonifacium, & Beda in Libro de Natura rerum & Ratione temp. C. 46.

Si itaque ab Epagomen. 5ª, a qua Ogdoas Lunaris in Enneadecaëteride Alexandrina initium ſumit, numeres dies 2922, complebitur Ogdoas Lunaris in menſis Thoth die 1°.

Adeoque Hendecas, & totius Cycli annus 9us, incipiet a menſis Thoth die 2°. Q. E. D.

Probatur 2°.

Non poteſt incipere a menſe Lunari præcedente, cujus Luna naſcitur in die Meſori 8°.

Nam tum annus præcedens 8us non foret Embolimæus, ſed Communis.

Præterea tum annus præcedens 8us foret dierum 355, quia a die Meſori 18°, a quo annus 8us init uſque ad diem Meſori 7um, in quem tum deſineret, tot præciſe dies numerentur, adeoque foret uno die ſuperabundans.

Et contra annus 9us tum iniens in die Meſori 8°, & deſinens in die Meſori 25°, foret non tantum Embolimæus, ſed præterea dierum 383, adeoque uno die defectivus.

Probatur 3°.

Non poteſt ſtatui annum 9um incipere a die Meſori 7°.

Nam tum, ut modo dixi, annum 8um ex Embolimæo faceres Communem, & annum 9um ex Communi Embolimæum: idque non obſtante, quod in anno 8° menſis Embolimæus, XXX dierum, ante menſem Paſchalem fuerit inſertus.

Præterea tum in fine anni 8vi duo menſes Cavi ſe invicem ſequerentur, & in initio anni 9ni, duo Pleni.

Denique tum menſis 12us, qui in annis Embolimæis ſemper ex ordine eſt Plenus, adeoque etiam in anno 8vo, utpote Embolimæo, deberet eſſe Plenus, extra ordinem fieret Cavus; & menſis 13us, qui in annis Embolimæis ſemper ex ordine eſt Cavus, adeoque in anno 8°, utpote Embolimæo, deberet eſſe Cavus, extra ordinem conſtitueretur Plenus, & præterea ab anno 8° avelleretur, & adjungeretur anno 9°, & iſtius anni primus menſis fieret.

XV. De

XV.

De Ætate Lunæ in menſis Thoth die 1° in anno Solari 9°.

Ex iis, quæ §° præcedente 14°, nec non §° 11°, Corollario 2° vidimus, patet menſis Thoth diem 1um, in anno Solari 9°, eſſe ultimum diem Ogdoadis Lunaris; adeoque pertinere ad annum Enneadecaëteridis 8um, & eſſe menſis 13tii diem ultimum; adeoque in illo die menſis Thoth 1° eſſe Lunam XXIXam.

Probatur 1°.

Quia menſis annorum Embolimæorum 13us ſemper eſt Cavus, ut oſtenſum eſt §° 11°, Corollario 2°.

Probatur 2°.

Quia a Neomenia Paſchali anni 8vi uſque ad Neomeniam Paſchalem anni 9ni, præciſe numerantur dies 354, ſeu duodecim menſes Lunares, quorum ſex Cavi & ſex Pleni, & nullus menſis Embolimæus hic intercurrit, adeoque nulla ratio eſt, cur alternatio Cavorum & Plenorum hic interrumperetur.

Unde ſequitur, quia menſis Paſchalis eſt Cavus, ejusque Neomenia, anno Cycli 8°, incurrit in diem Pharmuthi 10um, menſem, qui inde quintus eſt, quoque eſſe Cavum, ejusque Neomeniam incurrere in diem Meſori 8um, adeoque in menſis Thoth dic 1° fore Lunam XXIXam.

Probatur 3°.

Ex Maximi Computo, P. 1a, C. 8°, nam inde patet, Maximum menſem Paſchalem (qui ipſi anni ſui menſis primus eſt) ſemper facere Cavum, & menſem anni ſui 12um, continua alternatione Cavorum & Plenorum, ſemper facere Plenum, adeoque menſem anni ſui 5um ſemper facere Cavum, & 6um Plenum.

Unde ſequitur, quod in anno 8°, in quo menſis Paſchalis init menſis April. die 5°, menſis inde quintus ineat Auguſti die 1°, & deſinat Auguſti die 29°, & in illo die habeat Lunam XXIXam.

Dies autem Auguſti 1us eſt menſis Meſori dies 8us, & dies Auguſti 29us eſt dies Thoth 1us, adeoque in die Thoth 1° eſt Luna XXIXa.

DE

DE INITIO SEU PRIMO ANNO

ENNEADECAËTERIDIS ALEXANDRINÆ.

I.

Quid quæratur.

QUæritur hic de Enneadecaëteride ſive decemnovennali Lunæ Cyclo, quo primum Alexandrini & Eccleſiæ Orientis uſi ſunt, & quem deinde Dionyſius Exiguus in Eccleſiam Latinam & Occidentalem invexit: quodnam ſit hujus Cycli initium, ſeu quis ſit hujus Cycli primus annus.

II.

Senſus hujus quæſtionis explicatur.

Non quæritur hic de initio generali omnium & ſingulorum XIX hujus Cycli annorum; an ſcilicet incipiant anni omnes & ſinguli a Luna Paſchali, an vero a Lunatione, quæ in menſe Thoth, aut Septembri terminatur.

Sed quæritur hic, quis, ex illis XIX hujus Cycli annis, pro primo totius Cycli anno habeatur, unde numerandi initium ſumendum ſit, atque hujus Cycli anni dicantur 1us, 2us, 3us, 4us &c.

III.

Senſus hujus quæſtionis ulterius explicatur.

Annus Cycli primus certis characteribus diſtinctivis, quæ hunc a reliquis octodecim annis diſtinguant, determinandus eſt.

Unus-

Unusquiſque Cycli annus ſuam determinatam habet Lunam XIV^am^ Paſchalem, & proinde etiam Neomeniam Paſchalem; adeoque character diſtinctivus, quo primus in Cyclo annus a reliquis octodecim annis diſtinguatur & determinetur, deſumendus a certa aliqua Luna XIV^ta^ aut Neomenia Paſchali, quæ in illum annum, qui primus ſtatuitur, incidit.

Unusquiſque Cycli annus certam & determinatam habet connexionem cum certis & determinatis annis in Æra Mundi Alexandrina, Antiochena, Diocletianea, Vulgari Chriſti, &c. Adeoque character diſtinctivus deſumitur a certo alicujus Æræ anno, in quem illa Luna XIV^ta^ & Neomenia Paſchalis, modo deſcripta, incurrit.

Cyclus decemnovalis dividitur in duas partes, in Ogdoada & in Hendecada. Primus itaque Ogdoadis eſt quoque primus Cycli annus: adeoque quando cognita eſt Luna XIV^a^ & Neomenia Paſchalis, quæ in primum Ogdoadis annum incidit, cognita quoque erit ea, quæ in primum Cycli annum incidit.

In Kalendario Romano ſequioris ævi inſcripti ſunt per totum annum numeri aurei, ad prodendas Neomenias; adeoque etiam hinc deſumitur character diſtinctivus.

IV.

Quæſtio hæc verſatur circa duos annos.

Quidam enim *ſtatuunt primum Cycli annum eſſe eum, in quem incidit Neomenia Paſchalis in diem menſis Pharmuthi* 9, *Aprilis* 4, *ſeu pridie Nonas Aprilis, aureo numero XIX. & in quem incidit Luna XIV^a^ Paſchalis in diem Pharmuthi* 22, *Aprilis* 17, *ſeu XV Kalendas Majas.*

Alii vero *ſtatuunt primum Cycli annum eſſe eum, in quem incidit Neomenia Paſchalis in diem menſis Phamenoth* 27, *Martii* 23, *ſeu X Kal. Aprilis, aureo numero I. & in quem incidit Luna XIV^ta^ Paſchalis in diem menſis Pharmuthi* 10. *Aprilis* 5, *ſeu Nonis Aprilis.*

V.

Quinam hac de re agant.

Petavius in animadverſionibus ad Epiphanium, Tomo 2°, p. 299.

de Doctr. Temp. Tomo 1°, Lib. 6. C. 10. & Tomo 2°, L. 12. C. 2. & in Notis ad Dionysii Epistolam 1am ad Bonifacium.

Noris in Dissertatione de Cyclo Paschali Ravennate annorum XCV, C. 5, p. 196. edit. Lips.

VI.

Nostra sententia.

Nos, cum Norisio, posteriorem tuemur sententiam, & *statuimus Enneadecaëteridis* seu Cycli decemnovennalis *primum annum esse eum, in quem incidit Neomenia Paschalis in diem mensis Phamenoth* 27, *Martii* 23, *seu X Kalendas Aprilis, aureo numero I. & in quem incidit Luna XIVta Paschalis in diem mensis Pharmuthi* 10, *Aprilis* 5, *seu Nonis Aprilis.*

VII.

Probatio prima

Desumitur *ex veterum Cyclis Paschalibus*, & quidem

1°. *Ex* Enneadecaëteride, quæ innexa erat *Cyclo magno Paschali* 532 annorum *Aniani Monachi Ægyptii.* Periodus enim 532 annorum Aniani prima inibat cum Æræ Mundi Aniani (quæ nunc Alexandrina dicitur) anno 1°, qui concurrit a sequentibus Kalendis Januariis cum Periodi Julianæ Prolepticæ anno 7202°. Adeoque in Æra Mundi Aniani annum 1um, (qui etiam Periodi ejus 532 annorum primæ, & Enneadecaëteridis annus 1us est) incidit Neomenia Paschalis Martii 23, & Luna XIVa Paschalis Aprilis 5. Ut ostendimus in Dissertatione de Cyclo magno Paschali Aniani.

2°. *Ex* Enneadecaëteride, quæ innexa erat *Cyclo magno Paschali* 532 annorum *Panodori Monachi Ægyptii.* Periodus enim 532 annorum Panodori prima inibat cum Æræ Mundi Panodori (quæ nunc Antiochena dicitur) anno 1° (qui concurrit a sequentibus Kal. Januariis cum Per. Jul. Prolepticæ anno 7202°) & cum Enneadecaëteridis anno 1°, in quem incidebat Neomenia Paschalis in diem Martii 23, & Luna XIVta Paschalis in diem Aprilis 5. ut ostendimus in Dissertatione de Cyclo magno Paschali Panodori.

3°. *Ex*

3°. *Ex Theophili Alexandrini Laterculo centum annorum Paschali.* Hoc enim Laterculum incipiebat ab anno Æræ Vulg. Christi 380°, ut ostendimus in Dissertatione de Theophili Laterculo centum annorum. In annum autem Christi 380 incidit Neomenia Paschalis in diem Martii 23, & Luna XIV^a Paschalis in diem Aprilis 5.

4°. *Ex Theophili Cyclo* 418 *annorum*, qui 22 Cyclis decemnovalibus constat. Incipit enim hic Cyclus ab anno Æræ Vulg. Christi 475°, ut ostendimus in Dissertatione de Theophili Cyclo Paschali 418 annorum, in annum autem Æræ Vulg. Christi 475 incidit Neomenia Paschalis in diem Martii 23, & Luna XIV^a Paschalis in diem Aprilis 5.

5°. *Ex Cyrilli Alexandrini Cyclo Paschali annorum XCV*, qui quinque Enneadecaëteridibus constat. Hic Cyclus enim Cyrilli incipit ab anno Æræ Diocletianeæ 153, qui cum anno Æræ Vulg. Christi 437 concurrit, ut ostendimus in dissertatione de Cyrilli Cyclo Paschali annorum XCV. in annum autem Æræ Diocletianeæ 153, & Æræ Vulg. Christi 437 incidit Neomenia Paschalis in Martii diem 23, & Luna XIV^a Paschalis in Aprilis diem 5.

6°. *Ex Dionysii Exigui Cyclo Paschali annorum XCV*, qui quinque Cyclis decemnovalibus constat. Incipit enim hic Cyclus (proxime post Cyrilli Cyclum annorum XCV absolutum) ab Æræ Diocletianeæ anno 248, seu potius ab Æræ Vulg. Christi anno 532, ut ostendimus in Dissertatione de Cyclo Paschali XCV annorum a Dionysio edito. In annum autem Æræ Diocletianeæ 248, & Vulg. Christi 532 incidit Neomenia Paschalis in Martii diem 23, & Luna XIV^a Paschalis in Aprilis diem 5.

7°. *Ex Cyclo Paschali Ravennate annorum XCV*, a Norisio edito, qui revera Dionysianus, sed in formam Cycli dispositus est. In hoc Cyclo enim decemnovalis Cycli annus primus, & totius Cycli XCV annorum annus primus ita signatur *LVnaris Cycli annus XCI, hoc est XVII. ANnus I Cycli decemnovalis. LVna XIIII. NOnis APrilis, hoc est Aprilis die 5°. PAscha III. IDus APrilis. LVna XX.* Vide Dissertationem de Cyclo Paschali XCV annorum Ravennatensi.

8°. *Ex Cyclo Paschali annorum XCV Isidori Hispalensis*, qui in quinque decemnovalibus Cyclis distinguitur, & proxime post Dionysii Cyclum Paschalem annorum XCV absolutum, incipit ab Æræ Vulg. Christi anno 627, & editus est in Isidori Hispalensis Originum L. 6. C. 17. In hoc enim Cyclo in uniuscujusque decemnovalis Cycli anno primo tale Pascha cum sua Luna signatur, unde clarum est, in decemnovalis

Cycli annum primum incurrere Neomeniam Paſchalem in Martii die 23, & Lunam XIV^am^ Paſchalem in Aprilis die 5. Vide Diſſertationem de Cyclo Paſchali XCV annorum Iſidori Hiſpalenſis: & Obſervationes ad Iſidori Hiſpalenſis C. 17, L. 6. Originum, de Cyclo Paſchali.

9°. *Ex Cyclo Paſchali XCV annorum S. Felicis Abbatis.* Hic Cyclus enim incipit (proxime poſt Dionyſii Cyclum Paſchalem XCV annorum abſolutum) ab anno Chriſti 627, Indictione XV, ut oſtendimus in Diſſertatione de Cyclo Paſchali XCV annorum S. Felicis Abbatis. In Æræ autem Vulg Chriſti annum 627 incidit Neomenia Paſchalis in Martii diem 23, & Luna XIV^ta^ Paſchalis in Aprilis diem 5.

10°. *Ex Bedæ Cyclo magno Paſchali annorum* 532, qui in 28 decemnovales Cyclos diſtinguitur. Hic Cyclus incipit ab anno Chriſti 532°, a quo Dionyſius Cyclum ſuum XCV annorum orſus fuerat, & Dionyſii Cyclum continuat uſque ad annum Chriſti 1063: ut oſtendimus in Diſſertatione de Cyclo Paſchali XCV annorum a Dionyſio edito, & a Beda continuato, & ad annos 532 perducto. Cum itaque hic Bedæ Cyclus, æque ac Dionyſii, ab anno Chriſti 532 incipiat, & in annum Chriſti 532 incidat, ut vidimus, Neomenia Paſchalis in Martii diem 23, & Luna XIV^a^ in Aprilis diem 5, ut etiam in Bedæ Cyclis videre licet, patet utriusque Cycli eandem eſſe rationem.

VIII.

Probatio ſecunda.

Deſumitur *ex veterum Patrum & Pontificum Epiſtolis & Prologis Paſchalibus, aliisque de Paſchate ſcriptis*, & quidem

1°, *Ex Syncelli* in Chronographia ſua p. 36. de Aniani Monachi Ægyptii methodo Paſchali, *teſtimonio:* ubi Anianum ita loquentem introducit. *Si annos 5816 partimur per 532, invenimus Periodos decem, & reliquos 496 annos, hos inferentes in Tomum de Paſchate, invenimus conſonam XIV^am^* (Lunam Paſchalem, in die) *Phamenoth 29°, quod eſt Martii 25°, Dominicam vero* (Paſchalem) *Pharmuthi* (die) *tertio, hoc eſt Martii 29°.* Eſt itaque Æræ Mundi Aniani annus 5816^us^ Periodi ejus XI^æ^ annus 496^us^. Periodi autem annus 496^us^ (ſi per XIX partiatur) prodit Cyclos decemnovales 26 elapſos, & reliquos annos 2; unde patet Periodi annum 496^um^ eſſe Cycli decemnovalis 27^mi^ annum 2^dum^ labentem. Si autem Cycli decemnovalis annus 2^dus^ habet Lunam XIV^am^

 Paſcha-

Paſchalem in die Phamenoth 29°, Martii 25°, ſequitur Cycli decemnovalis annum 1^{um} habuiſſe Lunam XIV^{am} Paſchalem die Pharmuthi 10°, Aprilis 5°, ſeu Nonis Aprilis. Quod etiam in Cyclis Bedæ experiri licet ad annum Chriſti 324, & 323, qui Æræ Mundi Aniani 5816 & 5815 reſpondent.

2°, *Idem de Panodoro* Monacho Ægyptio *teſtatur* loco citato *Syncellus.* Unde idem naſcitur ratiocinium.

3°, *Ex Theophili Alexandrini Prologo Paſchali, & ex Ambroſii Epiſtola* 83^a *ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos, & ex Cyrilli Alexandrini Prologo Paſchali, inter ſe collatis*, patet Theophili Alexandrini Prologum conſcriptum, & ejus Laterculum Paſchale centum annorum editum fuiſſe, occaſione Paſchatis dubii & controverſi anni Chriſti 387^{mi}, quod juxta Alexandrinos incidebat in diem Pharmuthi 30, Aprilis 25, VII Kalendas Majas, Luna XXI^a, & cujus Luna XIV^a Paſchalis incidebat in diem Dominicam, Pharmuthi die 23, Aprilis 18, XIV Kal. Majas. Quod etiam confirmat Proterius Alexandrinus in ſua ad Leonem Papam Epiſtola reſponſoria, & contigiſſe dicit anno Diocletiani 103°, qui eſt Chriſti 387^{us}. ut in Obſervationibus ad hæc veterum ſcripta oſtendimus. Cum autem hoc Paſcha anni Chriſti 387 ſit in Theophili Laterculo, quod anno Chriſti 380 incipit, Paſcha octavum, ſequitur (ſi Lunas XIV^{as} Paſchales retronumeres) Paſcha anni Chriſti 380, & Laterculi primum habere Lunam XIV^{am} Paſchalem in die Aprilis 5, ſeu Nonis Aprilis. Idem probatur *ex Leonis Epiſtolis ad Martianum Auguſtum, ad Eudociam Auguſtam, & ad Julianum Coënſem*, nec non *ex Proterii Alexandrini ad Leonem Papam Epiſtola* de Paſchate dubio & controverſo anni Chriſti 455. Dicit enim Leo Papa Theophilum in Laterculi ſui centenarii anno 76° adſcripſiſſe Paſcha VIII Kalendas Majas, hoc eſt, Aprilis die 24°. Dicit autem Proterius hujus Paſchatis Lunam XIV^{am} incidere in diem Pharmuthi 22, qui eſt XV Kalendas Majas, hoc eſt, Aprilis 17, in diem Dominicam: ut in obſervationibus noſtris ad has Epiſtolas videre licet. Hinc autem ſic argumentamur, ſi Laterculi Theophiliani annum 76 per XIX partiamur, erit ille annus 76 quartæ Enneadecaëteridis annus 19, & Laterculi ſequens annus 77 erit Enneadecaëteridis quintæ annus 1^{us}, & habebit eandem Lunam XIV^{am} Paſchalem, quam habuerat Laterculi annus 1^{us}. Cum itaque, ut vidimus, Laterculi annus 76 habeat Lunam XIV^{am} Paſchalem in Pharmuthi die 22, Aprilis 17, XV Kal. Majas, habebit Laterculi annus 77, adeoque

etiam annus 1us Lunam XIVam Paſchalem in die Pharmuthi 10, Aprilis 5, Nonis Aprilis.

4°, *Ex Cyrilli Alexandrini & Paſchaſini Lilybitani ad Leonem Papam epiſtolis*, de dubio & controverſo Paſchate anni Chriſti 444, patet juxta Alexandrinos eo in anno incidere in IX Kal. Majas, ut Cyrillus dicit, & quidem Luna XIXa, ut Paſchaſinus adjicit: adeoque Lunam XIVam Paſchalem iſtius Paſchatis cadere in diem XIV Kalendas Majas, Aprilis 18. & præterea, ut Paſchaſinus expreſſe teſtatur, hunc annum eſſe *Ogdoadis* (quæ cœpit *Conſulatu Aetii iterum & Segisvulti*) annum octavum. ut in obſervationibus noſtris ad has Epiſtolas videre licet. Cum itaque Ogdoadis annus octavus habeat, ut vidimus, Lunam XIVam Paſchalem in die XIV Kal. Majas, Aprilis 18. ſequitur (ſi Lunas XIVas Paſchales retronumeres) Ogdoadis annum primum, qui etiam Cycli decemnovalis annus primus eſt, habuiſſe Lunam XIVam Paſchalem Nonis Aprilis, hoc eſt, Aprilis die 5.

5°, *Ex Dionyſii Exigui epiſtola 2da ad Bonifacium & Bonum* patet, eum annum præſentem, quo hanc ſcribebat Epiſtolam, Chriſti 526, his characteribus deſcribere: *Indictio quippe IVta eſt, & Lunaris Circulus XIus, decemnovalis Cyclus 14us, & quoniam Hendecadis 6us annus eſt, eum Embolismum eſſe neceſſe eſt.* Huic anno autem tribuit Lunam XIVam Paſchalem pridie Idus Aprilis, hoc eſt, Aprilis die 12. *Transacto autem anno per Indictionem IIIam*, tribuit Lunam XIVam Paſchalem IX Kal. April. die, id eſt 24 menſis Martii: ut in obſervationibus noſtris ad hanc Dionyſii Epiſtolam oſtendimus. Luna autem XIVa Paſchalis in pridie Idus Aprilis, hoc eſt, Aprilis die 12, in anno decemnovalis Cycli 14°, Hendecadis 6°, præſupponit (ſi Lunas XIVas Paſchales retronumeres) in anno decemnovalis Cycli 1°, & Ogdoadis 1° Lunam XIVam Paſchalem Nonis Aprilis, id eſt, Aprilis die 5.

6°, *Ex Dionyſii argumentis ad titulos Paſchales inveniendos*, quæ Epiſtolæ ſuæ 1a ad Petronium ſubjecerat, & Jo. Guil. Janus, in Hiſtoria Cycli Dionyſiani p. 79, ex Codice Digbæano edidit. Vide obſervationes noſtras ad hanc Dionyſii epiſtolam §° 23. Exempli gratia. *Argumento Vto, Si vis ſcire quotus ſit annus Circuli X & VIIII annorum, ſume annos Domini, ut, puta, DXXV, & unum ſemper adjice, fiunt DXXVI. Hos partire per X & VIIII, remanent XIII. Tertius decimus eſt annus Cycli decemnovennalis.* Annus autem Chriſti 525 habet Lunam XIVam Paſchalem IX Kal. Aprilis, hoc eſt, Martii die 24: eaque præſupponit Lunam XIVam Paſchalem Nonis Aprilis, hoc eſt, Aprilis

prilis die 5, in Cycli decemnovalis anno 1°, Christi 513, & 532. Confer Bedam, qui de natura Rerum & temporum Ratione C. LVIII. hoc eodem argumento (sed ad annum Christi DCCXXV applicato) utitur, atque illud, C. XLVII, Dionysio tribuit, & præterea rationem reddit, quare Dionysius ad annum Domini datum semper unum præcipiat adjicere. quia scilicet illo incarnato unus Circuli decemnovennalis annus jam fuerat completus: adeoque annus Christi 1us erat Cycli decemnovalis annus 2us.

7° *Ex Bedæ Libro de Natura rerum & temporum Ratione*, ubi varia occurrunt. (a) C. XX. fol. XLVIII. *Primo* (inquit) *decemnovennalis Circuli anno, in quo nullæ sunt Epactæ, in Kalendas Januarias IX est Luna, in Kalendas Februarias X, in Kalendas Martias IX, in Kalendas Aprilis X, &c. Hos tibi numeros pro Regularibus singulorum mensium sume, quibus annuas addens Epactas, Luna quota sit per Kalendas quasque sine errore reperias.* Luna autem Xa in Kalendas Aprilis præsupponit Neomeniam seu Lunam 1am in Martii die 23, & indicat Lunam XIVam in Aprilis die 5: adeoque in Cycli decemnovalis anno primo est Luna XIVa Paschalis in Aprilis die 5°, hoc est, Nonis Aprilis. (b) C. XLII. fol. LXV verso. ubi agens de Saltu Lunæ; sic scribit: *Porro Ægyptii, in quorum sententiam Catholica nunc consentit Ecclesia, eandem mutationem* (quæ propter saltum Lunæ in anno præcedenti, qui propterea uno die fit defectivus, insertum, in Epactis anni sequentis, conspicitur, dum eæ extra ordinem duodenario numero crescunt) *primo anno Circuli decemnovennalis adfigunt, facientes Epactas Lunæ annuas.... de octava decima in nullam facere saltum.* Hæc hactenus bene, sed erroneum est, quod sequitur: *Ideoque annum eundem, si non Bissextus adsit, diebus trecentis quinquaginta tribus consummantes.* Nam 1°, Bissextus in Computo Lunæ non numeratur. præterea 2°, si de eodem anno Cycli 1° intelligatur, falsum est, eos illum diebus 353 consummasse. Si autem 3°, hoc intelligatur de anno Cycli 19° (*cui*, ut sequenti Cap. 43 dicit, *saltus Lunæ inseritur*, quique propterea fit uno die defectivus) etiam verum non est, eos illum diebus 353, sed diebus 383 consummasse. Sed in errorem abreptus est, per Dionysii verba, quæ in sequentibus adducit, de quibus agimus in observationibus nostris ad Dionysii Epistolam 2am. Hoc tamen ex his Bedæ verbis patet, *Epactas anni decemnovalis Cycli de octava decima* (qualis erat Epacta anni 19ni) *in nullam facere saltum:* & hoc ex Dionysii verbis recte probat: unde etiam C. 20. dixerat, *quod in primo decemnovennalis Circuli anno nullæ sint Epactæ.*

Epactæ. Ille autem Cycli annus habet Lunam XIV^{am} Nonis Aprilis, hoc est, Aprilis 5. Sicut ille, qui hunc præcedit, & 19^{nus} numeratur, quique habet Epactas XVIII. & uno die defectivus est, habet Lunam XIV Paschalem XV Kal. Majas, hoc est, Aprilis die 17. (c) C. XLVI, fol. LXVI verso. *Est & (inquit) alia præfati Circuli (decemnovalis) divisio, qua in Ogdoadem & Hendecadem, hoc est, in VIII & in XI distinguitur annos, eo quod octavo & undecimo anno Luna Paschalis supremas suæ nativitatis metas subeat.* Hoc verum est, si ponamus annum Cycli 1^{um} & Ogdoadis 1^{um} esse eum, in quem incidit Neomenia Paschalis in diem Martii 23, & Luna XIV^{a} Paschalis in diem Aprilis 5, hoc est, Nonis Aprilis. Nam anno ab hoc octavo Luna Paschalis nascitur Aprilis die 5, & fit XIV^{a} Aprilis die 18, hoc est, XIV Kal. Majas; & deinceps anno ab hoc undecimo Luna Paschalis nascitur Aprilis die 4, & fit XIV^{a} Aprilis die 17°, hoc est, XV Kal. Majas. Ubi Luna Paschalis in primo casu ultimam, in altero vero casu penultimam nativitatis suæ metam subit. Item eodem C. XLVI, sic scribit: *Denique, ut rei ipsius evisceremus interna, primo anno Circuli decemnovennalis nullæ sunt Epactæ, quia in XI Kalendas Aprilis Lunæ finitus est cursus. Item Nono ejusdem Circuli anno, id est, post dies IIMDCCCCXXII, nono Kalendarum Aprilium die trigesima est Luna, quod etiam Epactarum, quæ tunc XXVIII sunt, ordo manifeste testatur.* Si anno 9no Circuli decemnovennalis, IX Kalendarum Aprilium die, hoc est, Martii die 24°, Luna XXX^{a} est, erit sequenti die VIII Kal. Apr. hoc est, Martii die 25° Neomenia Paschalis, & Luna XIV^{a} Paschalis VII Idus Aprilis. Hoc autem præsupponit in primo anno Cycli Neomeniam Paschalem Martii die 23, & Lunam XIV^{am} Paschalem Aprilis die 5, hoc est, Nonis Aprilis. (d) C. XLVII. fol. LXVII. *Quia ergo secundo anno Circuli, quem primum Dionysius scripsit, quingentesimus tricesimus tertius ab Incarnatione Domini completus est annus, ipse est nimirum juxta concursus siderum ille, in quo incarnari dignatus est, quia hic secundus annus decemnovennalis octavusdecimus est Cycli Lunaris, XI habens Epactas, V concurrentes septimanæ dies, Lunam Paschæ decimam quartam VIII Kalendas Aprilis, omnia tunc fuere simillima, & si esset, qui tunc Pascha more nunc Ecclesiis usitato die Dominica faceret, ipse nimirum dies, quomodo hic adnotatum est, VI Kalendas Aprilis veniret, ac Lunam haberet decimam sextam.* Si itaque hi sunt characteres Cycli decemnovalis anni secundi & quidem (quoad Pascha cum sua Luna, & quoad concurrentes) anni secundi Cycli decemnovalis primi a Dionysio editi, & cum an-

no

no Christi 533 concurrentis, dubitari non potest quin annus Cycli decemnovalis primus, & simul Cycli XCV annorum Dionysiani annus primus habuerit Lunam XIV^am Paschalem Nonis Aprilis. Confer C. LXI, fol. LXXI. verso, ubi de anno Cycli quo Christus resurrexit, agitur.

IX.

Altera sententia.

Quidam, ut vidimus supra §° 4., *priorem tuentur sententiam, statuuntque primum Cycli decemnovalis annum esse eum, in quem incidit Neomenia Paschalis in diem mensis Pharmuthi* 9, *Aprilis* 4, *seu pridie Nonas Aprilis. Aureo Numero XIX. & in quem incidit Luna XIV^a Paschalis in diem mensis Pharmuthi* 22, *Aprilis* 17, *seu XV Kalendas Majas.*

Nos argumenta pro hac sententia proponemus, & Responsiones nostras adjiciemus.

X.

Primum Argumentum cum Responsione.

Primum pro altera sententia argumentum desumitur *ex Dionysii Regula*, quam in Epistola sua 2^da ad Bonifacium & Bonum proponit, & ex diagrammate, quod huic Epistolæ subjungit.

Sed respondemus viros illos doctos Dionysii mentem non percepisse: ut in observationibus ad hanc Dionysii Epistolam fuse ostendo: & quidem ita, ut ex hac Dionysii regula, ejusque diagrammate potius argumentum pro nostra sententia desumi possit. Vide quoque observationes in Prosperi Chronicon, ejusque LXXXIV annorum Cyclum, §° LIII. N° 3°, p. 197.

XI.

Secundum Argumentum cum Responsione.

Secundum pro altera sententia argumentum desumitur *ex ratione Embolismi in Cyclo decemnovali.*

 Sed

Sed respondemus inde nullum desumi posse argumentum. Quod ostendimus in dissertationibus de Embolismi ratione in Enneadecaëteride Alexandrina, in Cyclo decemnovali Dionysii, & in Cyclo decemnovali Bedæ.

X I I.

Tertium Argumentum cum Responsione.

Tertium pro altera sententia argumentum desumitur *ex Bedæ Libro de Natura rerum & temporum Ratione*, *Cap. LVI.* & ex Diagrammate Cycli Lunaris, quod Beda ad imitationem Dionysii composuit, & ibidem exhibet.

Sed respondemus inde nullum pro altera hac sententia peti posse argumentum: ut ostendimus in Dissertatione de Cyclo Lunari Dionysii & Bedæ ejusque natura & constitutione.

DE

DE

EMBOLISMI RATIONE

IN

ENNEADECAËTERIDE

ALEXANDRINA.

I.

Quid hic proprie inquirendum ſit.

QUæritur hic 1° quinam in Enneadecaëteride Alexandrinorum anni dicantur Embolimæi. 2° quo ſenſu & fundamento iſti anni dicantur Embolimæi.

II.

Ad Quæſtionem 1am Reſponſio.

Dicimus *in Alexandrinorum Enneadecaëteride annos dici Embolimæos.*

3um, *Qui habet Lunam XIVam Paſchalem Idibus Aprilis, ſeu Aprilis die* 13.

6um, *Qui habet Lunam XIVam Paſchalem IV Idus Aprilis, ſeu Aprilis die* 10.

8um, *Qui habet Lunam XIVam Paſchalem XIIII Kalendas Majas, ſeu Aprilis die* 18.

11um, *Qui habet Lunam XIV Paſchalem XVII Kalendas Majas, ſeu Aprilis die* 15.

14um, *Qui habet Lunam XIVam Paſchalem II Idus Aprilis, ſeu Aprilis die* 12.

17um, *Qui habet Lunam XIVam Paſchalem V Idus Aprilis, ſeu Aprilis die 9°.*

19um, *Qui habet Lunam XIVam Paſchalem XV Kalendas Majas, ſeu Aprilis die 17.*

Et obſervamus has modo dictas Lunas XIVas Paſchales omnes & ſingulas præſupponere in Enneadecaëteridis Alexandrinæ anno 1°, Lunam XIVam Paſchalem Nonis Aprilis, ſeu Aprilis die 5.

III.

Probatur primo, ex Cyrilli teſtimonio.

Cyrillus in Prologo Paſchali §° 4, dicit illum annum, in quem Paſcha illud controverſum tempore Theophili Alexandrini inciderat, quodque Theophilus indixerat VII Kal. Majas, hoc eſt, Aprilis die 25, Luna XXIa, fuiſſe *annum Emboliſmicum.* Habuit autem hic annus Lunam XIV Paſchalem, incidentem in Dominicam, XIV Kal. Majas, hoc eſt, Aprilis die 18: inciditque hoc Paſcha in Æræ Diocletianeæ annum 103, & Æræ Vulg. Chriſti 387. (Ut vidimus in Diſſertatione de Enneadecaëteridis initio ſeu primo anno, §° 8, N° 3°.) Habemus itaque hic *annum Emboliſmicum, annum Chriſti* 387, qui eſt Enneadecaëteridis 8us, qui habet Lunam XIVam Paſchalem XIV Kal. Majas, hoc eſt, Aprilis die 18. Vide Obſervationes noſtras ad Cyrilli Alexandrini Prologum Paſchalem.

IV.

Probatur ſecundo, ex ejuſdem Cyrilli teſtimonio.

Cyrillus in ſua ad Leonem Papam Epiſtola de Paſchate anni Chriſti 444, ſic ſcribit: *Quod optamus Chariſſimi fratres, ut ſimul Paſcha celebremus IX Kalendas Maji, propter rationem Emboliſmi anni. Quod ſi faciatis VII Kalendas Aprilis Luna XXII, ut jam præparatis, communem annum facitis de Emboliſmo, dum obſervatis Lunam incenſam in III Nonas Martias juxta Regulam Latinorum, Kalendis Januarii, Dominica* (lege, *Sabbato*) *Luna XXVII. & non obſervandum eſt in hoc anno, pro cauſis, quas ſupra diximus. Sicut enim vitandum eſt Paſcha quod diximus in hoc anno, ita cavendum eſt, ut faciamus Paſcha anni Emboliſmi, in anno Communi, & Communis in Emboliſmo.* Juxta Alexandrinos erat anno Chriſti 444°, qui Enneadecaëteridis annus 8us eſt, Luna XIVa Pa-

Paſchalis XIIII Kal. Majas, hoc eſt, Aprilis die 18, Paſcha autem IX Kal. Majas, hoc eſt, Aprilis die 23. Luna XIX. & hunc annum dicit Cyrillus eſſe Embolismum. Vide Obſervationes noſtras ad hanc Cyrilli Epiſtolam.

V.

Probatur tertio, ex Paſchaſini teſtimonio.

Paſchaſinus Lilybitanus in ſua ad Leonem Papam, de eodem Paſchate anni Chriſti 444, Epiſtola, ita ſcribit: *Diutino itaque tractatu, vel ratiocinatione id verum invenimus, quod ab Alexandrinæ Eccleſiæ antiſtite* (Cyrillo ſcilicet) *Beatitudini veſtræ reſcriptum eſt. Nam cum Romana ſupputatio, quæ Cyclo concluditur, cujus ipſe de quo agitur erit annus LXIII, qui cœpit a Conſulatu Antonini & Syagrii* (hoc eſt, ab anno Chriſti 382°) *nobis dubietatem afferret, eo quod VII Kal. Aprilis, & die Dominica, Luna XXI* (lege, *XXII*) *incurreret, & iterum IX Kalendarum Majarum, ut rei veritas habet, Dominica dies, & Luna XIX obveniret; in hoc ambiguo fluctuantes ad Hebræorum, hoc eſt legalem ſupputationem* (intelligit Enneadecaëterida, in qua Lunæ XIV^tæ^ ſeu Paſchata Legalia Hebræorum erant annotata) *nos convertimus, quæ cum a Romanis ignoratur, facile errorem incurrunt. Cœpit ergo Ogdoas Conſulatu virorum clariſſimorum Aëtii iterum & Segisvulti,* (hoc eſt, anno Chriſti 437°) *quæ clauditur anno, de quo quæſtio videtur exorta.* (hoc eſt, anno Chriſti 444.) *Cujus ratio hæc eſt: Duo ſunt priores anni Communes, tertius Embolismus; iterum quartus & quintus Communes, ſextus Embolismus; ſeptimus Communis, octavus Embolismus. Pervidet ergo Apoſtolatus veſtri prudentia octavum annum Ogdoadis fieri aliter non poſſe, niſi Embolismum teneamus. Quoniam ſi voluerimus illud quod ſuperius diximus, id eſt, quod primum incurrit Paſcha VII Kalendas Aprilis, celebrare, Communem annum faciemus; & incipiet omnis deinceps annorum ſupputatio vacillare.* Loquitur hic, ut ex pluribus characteribus patet, de Paſchate anni Chriſti 444. Dicit eo anno Paſcha, juxta Alexandrinos, incidere IX Kal. Majas, Luna XIX: adeoque indicat eo anno Lunam XIV^am^ Paſchalem cadere XIIII Kal. Majas. Atque hunc annum Chriſti 444, qui eſt Cycli 8^us^, & hanc habet Lunam XIV^am^ Paſchalem, dicit eſſe *annum Emboliſmum.* Præterea Ogdoadis annos omnes & ſingulos percurrens, diſtincte quinam ſint Communes, quinam vero ſint Embolismi, indicat. Ogdoas cœpit, ut indicat, anno

Christi 437°, & clauditur anno de quo quæstio erat, hoc est, anno Christi 444. *Ogdoadis annum* 3^{um}, 6^{um}, *&* 8^{um} *dicit esse Embolismos.* Ogdoadis annus primus est quoque Enneadecaëteridis annus primus. Ogdoadis annus 8^{us} habet Lunam XIV^{am} Paschalem XIIII Kal. Majas, hoc est, Aprilis die 18: adeoque etiam Ogdoadis & Enneadecaëteridis annus 3^{us} & 6^{us} habent illas Lunas XIV^{as}, quæ supra §° 2. indicantur: & idem dicendum de annis in Hendecade Embolimæis.

Idem Paschasinus, in eadem Epistola, porro sic scribit: *Non ergo nos dies una longius posita terreat, ne cum hanc vitamus, incurramus errorem. Sicut evenit tempore piæ recordationis Domini mei, prædecessoris Apostolatus vestri Zosimi anno Consulatus Honorii Augusti XI & Constantii bis.* (hoc est, anno Christi 417°.) *Tunc enim cum declinatur, ne X Kalendas Maji die Pascha teneretur, celebratum est VIII die Kalendas Aprilis: id est pro Embolismo Communis est annotatus, & error gravissimus ortus.* Anno Christi 417°, qui Enneadecaëteridis annus 19^{us} est, incidit Alexandrinorum Pascha X Kal. Maji, Luna XIX, & Luna XIV^{a} Paschalis XV Kal. Majas, hoc est, Aprilis die 17. & hunc annum, dicit Paschasinus, fuisse *Embolismum.*

Vide Observationes nostras ad hanc Paschasini Epistolam.

VI.

Ad Quæstionem 2^{dam} *Responsio.*

Cum ex supradictis jam constet, quinam in Enneadecaëteride Alexandrina anni dicantur Embolimæi, illi nempe, qui §° 2. designantur. Nunc ad Quæstionem 2^{am}, quo scilicet sensu & fundamento isti anni dicantur Embolimæi, respondemus *eos propterea dici Embolimæos, quia revera Embolimæi sunt, mensium XIII, & dierum* 384. Excepto Enneadecaëteridis anno 19°, qui propter Saltum Lunæ, huic anno insertum, quo uno die defectivus redditur, est quidem mensium XIII, sed dierum tantum 383.

VII.

Probatio Responsionis ad Quæstionem 2^{am}.

Petitur ex eorundem Auctorum testimoniis, quæ iisdem, quæ supra adduximus, locis perhibent.

a. Cyrillus

a. Cyrillus Alexandrinus in Prologo ſuo Paſchali, §° 4. dicit: *Poſt* (hoc eſt, præterea) *annus Emboliſmicus occurrit, quem tredecim menſes Lunares, id eſt, trecentos octoginta quatuor dies habere, Sancto Moyſi divinitus revelatum eſt.*

b. Idem Cyrillus in ſua ad Leonem Papam Epiſtola, ſic ſcribit: *ut numeremus XII tantum Lunas juxta ſupputationem Legalem Hebræorum, in anno Communi, & XIII in Emboliſmo, ſecundum computationem dierum.*

c. Paſchaſinus (qui caſtra Alexandrinorum ſequebatur) in ſua ad Leonem Papam Epiſtola, ſic pergit: *Et ne hoc quod expoſuimus, Beatitudini veſtræ obſcuritatem aliquam afferat, ſuggerimus Communes annos apud Hebræos XII tantum Lunas, hoc eſt dies* 354. *Emboliſmos vero Lunas XIII habere, hoc eſt, dies* 384. *neceſſitate igitur Emboliſmi cogimur id tenere quod longius eſt, ne à vero deviare videamur.*

VIII.

Corollarium.

Anni itaque Enneadecaëteridis Alexandrinæ omnes & ſinguli ineunt, non a Luna Paſchali, ſed a Lunatione quæ terminatur in menſe Thoth, qui apud Alexandrinos anni eorum Solaris Civilis primus menſis eſt.

Quod etiam pluribus argumentis confirmo in Diſſertatione de Enneadecaëteride Alexandrina, an inceperit a menſe Paſchali, an vero a Lunatione, quæ in Thoth terminatur, & anno primo init ab Epagomena 5ª.

DE

DE
EMBOLISMI RATIONE
IN
CYCLO DECEMNOVENNALI
DIONYSII.

I.

Quid hic proprie inquirendum sit.

QUæritur hic 1°, quinam in Dionysii Cyclo decemnovennali anni dicantur Embolimæi. 2°, quo sensu & fundamento isti anni dicantur Embolimæi.

II.

Ad Quæstionem 1am Responsio.

Dicimus in Dionysii Cyclo decemnovali eosdem annos dici Embolimæos, qui in Alexandrinorum Enneadecaëteride dicuntur Embolimæi, quosque, in Dissertatione de Embolismi ratione in Enneadecaëteride Alexandrina, §° 2. designavi.

III.

Probatur primo ex Dionysii ipsius Epistola 2da.

Dionysius in sua de ratione Paschæ Epistola 2da, scripta anno Christi 526, ad Bonifacium & Bonum, varia habet, quæ huc pertinent.

(a) Circa Epiſtolæ initium, omnes Cycli decemnovalis annos, in ſuo cum Cycli Lunaris annis concurſu, ordine percurrens, diſtinctè indicat, quinam in Cyclo decemnovali ſint anni Communes, quinam vero Embolimæi: ſecutus hac in re Paſchaſinum, cujus Epiſtolam dicit ſe huic præſenti operi indidiſſe. *Noverimus itaque* (inquit) *quia idem decemnovennalis Cyclus per Ogdoadem & Hendecadem ſemper in ſe revolvitur. Octo namque & undecim ipſe numerus explicatur. Ogdoas ergo quæ incipit a primo decemnovennali Cyclo, qui eſt, Lunaris decimus ſeptimus, hac ratione peragitur; ut annos primum & ſecundum, Communes, hoc eſt, minores habeat, tertium Emboliſmum, id eſt, majorem; annum quartum & quintum item Communes, ſextum Emboliſmum; ſeptimum Communem, octavum Emboliſmum. Ac per hoc Ogdoadis Communes anni quinque, & tres Emboliſmi jugiter adſcribuntur. Item Hendecas hac lege diſcurrit. Incipit nono anno Cycli decemnovennalis, qui eſt Lunaris ſextus. Cujus primus & ſecundus annus Communis eſt, tertius Emboliſmus; quartus & quintus Communes, ſextus Emboliſmus; ſeptimus & octavus Communes, nonus Emboliſmus; decimus Communis, undecimus Emboliſmus: ſicque Hendecas Communibus annis ſeptem, Emboliſmis quatuor terminatur.*

Hinc tantum notamus Dionyſium annum Ogdoadis 1^um^, Cycli decemnovalis 1^um^, & Cycli Lunaris 17^um^ componere; atque hoc ordine annos Cycli decemnovalis numerare: unde etiam determinatum eſt, quænam Lunæ XIV^æ^ Paſchales in ſingulis Cycli decemnovalis annis, ita numeratis reperiantur: adeoque etiam annos Cycli decemnovalis Embolimæos eaſdem habere Lunas XIV^as^ Paſchales, quas Enneadecaëteridis Alexandrinæ anni Embolimæi habent.

(b) In medio circiter Epiſtolæ, tradit Regulam ad dignoſcendas aut explorandas Lunas XIV^as^ Paſchales. Regula illa his verbis concepta eſt: *A XV^a^ Luna* Paſchalis Feſti, *anni verbi gratia præcedentis, uſque ad XIV^am^ ſequentis, quod quærimus, ſi Communis annus eſt,* 354 *dies habebit, ſi Emboliſmus,* 384. *Quod ſi dies unus plus minusve contigerit, evidens error eſt. Excepto videlicet anno primo ſæpe dicti decemnovennalis Cycli, quem a XIV^a^ Luna Paſchæ ultimi, hoc eſt nonidecimi anni, uſque ad XIV^am^ ejuſdem primi numerare curamus. propter quod &c.* Horum verborum hic ſenſus eſt, ſi quæratur Luna XIV^a^ Paſchalis ſequentis ſeu præſentis anni, numera a XV^a^ Luna Paſchali præcedentis anni uſque ad XIV^am^ Lunam Paſchalem ſequentis ſeu præſentis anni, ſi præſens annus Communis eſt, dies 354, ſi vero præſens annus Embolimæus eſt, dies 384, & dies ille in quem illa numeratio terminatur, erit Luna XIV^a^

Paschalis sequentis, hoc est, præsentis anni. Excipit primum Cycli decemnovalis annum; si enim quæratur primi anni Luna XIV Paschalis, jubet numerare non a Luna XV[a], sed a Luna XIV[a] Paschali anni 19[ni] (qui uno die defectivus est) usque ad XIV[am] Paschalem primi anni, quia primus annus Communis est, dies 354. Si enim hic, ut alias, a Luna XV[ta] anni 19[ni] numerationem instituisset, fuissent usque ad Lunam XIV[am] primi anni dies tantum 353, quod evitare volebat.

(c) Hanc Regulam illustrat exemplo anni præsentis Christi 526, quem dicit esse Hendecadis sextum, & propterea Embolimæum: ut hujus anni præsentis Christi 526 Lunam XIV[am] Paschalem inquirat aut exploret: numerat ab anni præcedentis præteriti Christi 525, Luna XV[a] Paschali, quæ fuerat VIII Kal. April., hoc est, Martii die 25°, usque ad XIV[am] Paschalem anni præsentis Christi 526, quem dixerat esse Embolimæum, dies 384, qui terminantur in Aprilis die 12°, hoc est, pridie Idus Aprilis: atque sic invenit anni præsentis, Christi 526, Lunam XIV[am] Paschalem in die pridie Idus Aprilis ponendam, & in Cyclo suo recte positam esse.

(d) Ad finem denique Epistolæ subjungit Diagramma, in quo omnes Cycli decemnovalis annos juxta hanc Regulam percurrit: hoc modo

Anno decemnovennali 1°, *Lunari* 17°. *a XV Kal. Maji* (hoc est a Luna XIV[a] Paschali anni 19[ni]) *usque in Nonas Aprilis* (hoc est, Lunam XIV[am] Paschalem anni 1[mi]) *quia* (annus 1[us]) *communis annus est*, *sunt dies* 354.

Anno decemnovennali 2° *Lunari* 18°. *ab Octavo Idus Aprilis* (hoc est a Luna XV[a] Paschali anni 1[mi]) *usque in VIII Kal. Apr.* (hoc est, Lunam XIV[am] Paschalem anni 2[di]) *quia* (annus 2[us]) *Communis annus est*, *sunt dies* 354.

Anno decemnovennali 3°, *Lunari* 19°. *a VII Kal. Apr.* (hoc est, a Luna XV[a] Paschali anni 2[di]) *usque in Idus Apr.* (hoc est, Lunam XIV[am] Paschalem anni 3[tii]) *quia* (annus 3[us]) *Embolismus est*, *sunt dies* 384. & sic porro.

Si hæc eo modo, ut debent, intelligantur, tum hic in Cyclo decemnovali iidem anni indicantur ut Embolimæi, quos supra, circa Epistolæ initium, ut Embolimæos designaverat: atque hi anni suis Lunis XIV[tis] Paschalibus hic ita designantur & distinguuntur, ut certum sit annos in Cyclo decemnovali Dionysii Embolimæos easdem habere Lunas XIV[as] Paschales, quas habent anni in Enneadecaëteride Alexandrina Embolimæi.

Vide nostras in hanc Dionysii Epistolam observationes.

IV. *Pro-*

IV.

Probatur ſecundo, ex Cyclo XCV annorum Ravennate.

In Cyclo Ravennate annorum XCV, qui revera Dionyſianus, ſed in Cycli formam diſpoſitus eſt, quemque edidit & docta Diſſertatione illuſtravit Henricus Noris: in illo, inquam, Cyclo expreſſe, ut Embolimæi anni ſignantur

annus Cycli Decemn.	annus Cycli Lunaris	habens Lunam XIVam Paſchalem
3us	19us	*Idus Aprilis.*
6us	3us	*IV Idus Aprilis.*
8us	5us	*XIIII Kal. Majas.*
11us	8us	*XVII Kal. Majas.*
14us	11us	*Pridie Idus Aprilis.*
17us	14us	*V Idus Aprilis.*
19us	16us	*XV Kal. Majas.*

Hi anni plane iidem ſunt, quos Dionyſius circa initium Epiſtolæ deſignaverat, & ſub finem Epiſtolæ in Diagrammate indicaverat, ut Embolimæos.

V.

Probatur tertio, ex Iſidori Cyclo annorum XCV.

Iſidorus Hiſpalenſis Originum L. VI. C. XVII. edidit Cyclum Paſchalem XCV annorum, qui in quinque Cyclis decemnovalibus diſtinguitur, quique, poſt Dionyſii Cyclum XCV annorum elapſum, initium ſumit ab anno Chriſti 627°.

In hoc Cyclo annotantur 95 annorum Paſchata cum ſuis Lunis, & ad ſingulos annos ſigna annorum Communium & Embolimæorum.

Et in quinque decemnovalibus Cyclis ſignantur ut Embolimæi anni Cycli 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. & ex Lunis in die Paſchatis patet, hos

 annos

annos easdem habere Lunas XIV^{as} Paschales quas in Cyclo Paschali Ravennate iidem anni habent.

VI.

Ad Quæstionem 2^{am} Responsio.

Nunc porro dicimus, annos istos hoc sensu & fundamento dici *Embolimæos, quia revera erant Embolimæi, mensium XIII, & dierum* 384. Excepto anno Cycli 19°, qui mensium XIII quidem est, sed dierum duntaxat 383, propter Saltum Lunæ ei insertum.

VII.

Probatur Responsio ad Quæstionem 2^{am}.

1° Ipse Dionysius, circa Epistolæ initium, ubi annos in Cyclo decemnovali Communes & Embolimæos recenset, hæc interserit: *Communis autem annus duodecim Lunares menses colligit, qui dies* 354 *efficiunt. Embolismus autem annus & Lunas tredecim, & dies* 384 *habere monstratur.*

2° Hæc eadem repetit Isidorus Hispalensis Originum L. VI. C. XVII.

VIII.

Corollarium.

Anni itaque in Dionysii Cyclo decemnovali omnes & singuli ineunt, non a Luna Paschali, hoc est, a Neomenia mensis Paschalis, neque etiam a Luna Januarii mensis, hoc est, a Lunatione, quæ in Januario terminatur, sed a Lunatione, quæ terminatur in mense Thoth, qui anni Solaris Civilis apud Ægyptios primus mensis erat, seu, quod eodem redit, a Lunatione, quæ terminatur in mense Septembri, qui anni Græco-Romani apud Græcos, qui Æra Alexandrina utebantur, primus mensis erat.

Ab

Ab his enim, qui Æra Alexandrina utebantur, Cyclum ſuum decemnovalem accepit Dionyſius. Servavit enim in Cyclis ſuis decemnovalibus eum annorum ordinem, quem Enneadecaëteris apud Alexandrinos & Græcos, qui Æra Alexandrina utebantur, habebat.

Vide noſtras ad hanc Dionyſii Epiſtolam, & in Chronicon Proſperi, ejusque 84 annorum Cyclum, Obſervationes.

I X.

Appendix de Dionyſii Cyclo Lunari & Emboliſmi in eo ratione.

1° Anni in Cyclo Lunari, qui reſpondent annis in Cyclo decemnovali Embolimæis, ſunt quoque juxta Dionyſium Embolimæi. exempli gratia, Cycli Lunaris annus 19us, 3us, 5us &c. Quod colligo, quia Dionyſius per totam hanc Epiſtolam annos Cycli Lunaris cum annis Cycli decemnovalis continuo componit, quando annos in Cyclo decemnovali Communes & Embolimæos deſignat, quod itaque etiam ad annos Cycli Lunaris, qui cum illis Cycli decemnovalis annis componuntur, referendum. Quod etiam ex Cyclo Ravennate confirmatur. Vide ſupra §° 4.

2° Dionyſius hunc Cyclum Lunarem accepit ab iis Computiſtis Orientalibus, qui Æram Mundi Conditi Conſtantinopolitanam inſtituerunt, quæ a Septembri init, cum Cycli Lunaris anno primo. Hi Computiſtæ ſeriem Ætatum Lunæ in Kalendis Januariis pro fundamento Lunæ habebant, & ut illa ſeries ætatum Lunæ ordine ac rite procederet, quatuor Lunas Embolimæas loco ſuo, quem in Enneadecaëteride Alexandrina obtinebant, moverunt, & ad anteriora infra Lunam Januarii menſis retruſerunt. Quæ fuſius explicata vide, in noſtris ad hanc Dionyſii Epiſtolam, & ad Chronicon Proſperi, ejusque 84 annorum Cyclum Obſervationibus, & in Diſſertatione de Cyclo Lunari Dionyſii & Bedæ.

3° Anni itaque in Dionyſii Cyclo Lunari, more iſtorum Computiſtarum, revera inibant, non a Luna Januarii, ſed a Lunatione, quæ terminatur in Septembri, qui in Æra Conſtantinopolitana, æque ac in Æra Alexandrina, anni primus menſis erat.

X.

Indicia, quod Dionyſius anni initium a Luna Septembris deducat.

Videor mihi deprehendere in ipſa illa, quam in Epiſtola ſua 2da tradit, Regula: quæ illam quatuor Lunarum Embolimæarum retruſionem videtur ſupponere: nec non in argumentis titulorum Paſchalium Dionyſii; de quibus vide noſtras ad Dionyſii Epiſtolam 1am Obſervationes, §o 23.

DE

RATIONE EMBOLISMI

IN

CYCLO DECEMNOVENNALI

BEDÆ.

I.

Quid hic proprie inquirendum sit.

QUæritur 1°, quinam in Bedæ Cyclo decemnovali anni dicantur Embolimæi. 2°, Quo sensu & fundamento isti anni dicantur Embolimæi.

II.

Ad Quæstionem 1am Responsio.

Dicimus in Bedæ Cyclo decemnovali eosdem annos dici Embolimæos, qui in Enneadecaëteride Alexandrina, & in Dionysii Cyclo decemnovali dicuntur Embolimæi. Nempe

annum Cycli Decemn.	qui habet Lunam XIVam Paschalem	
3um	*Idus Aprilis*	*Apr. die* 13.
6um	*IV Idus April.* . .	*Apr. die* 10.
8um	*XIIII Kal. Maji* . .	*Apr. die* 18.
11um	*XVII Kal. Maji* . .	*Apr. die* 15.
14um	*II Idus April.* . . .	*Apr. die* 12.
17um	*V Idus April.*	*Apr. die* 9.
19um	*XV Kal. Maji.* . .	*Apr. die* 17.

III. *Pro-*

III.

Probatio Responsionis ad Quæstionem 1am.

Ex Bedæ Cyclis, & scriptis petenda est.

Argumentum primum.

In Cyclis Bedæ, quos habemus anni Cycli decemnovalis hoc ordine numerantur, & in suo cum Cycli Lunaris annis, & Æræ Vulg. Christi annis concursu, exhibentur.

Argumentum secundum.

Beda Libro de Natura rerum & temporum Ratione, C. LX. proponit anni Communis & Embolimæi Criterium. *Sed* (inquit) *& hoc notandum, quia decima quarta Luna, si Communis annus est, XI diebus prius; si vero Embolismus, XIX tardius, quam præcedente anno transierat, semper redire consuevit. Excepto uno duntaxat primo Circuli decemnovalis anno, in quo propter rationem Saltus Lunaris*, (anno Cycli 19° inserti,) *XII diebus annotinum cursum præcurrere solet.* Si hoc anni Embolimæi Criterium ad annos septem, supra §° 2 designatos, applicetur, inveniemus eos esse Embolimæos.

Argumentum tertium.

Beda, Libro de Ratione temporum, C. XII. dicit, *quod Saltus Lunæ ultimum decemnovalis Cycli annum CCCLXXXIII diebus faciat computare.* Facit itaque Cycli decemnovalis annum 19um Embolimæum, & uno die defectivum: is autem annus habet Lunam XIVam Paschalem XV Kal. Majas.

Argumentum quartum.

Beda, Libro de Natura rerum & Ratione temporum. C. XLIII. *Quod si quis* (inquit) *gravius huic insistens quæstioni, dixerit, se novam Lunam, eo anno, quo saltus inserendus est, hoc est, ultimo Circuli decemnovennalis, biduo priusquam prima caneretur, multis cum testibus vidisse, id est,*

id est, quarto Nonarum Aprilium die, cum ejusdem anni XIIII Luna Paſchalis in Circulo memorato XV Kalendarum Majarum ſit adnotata, ideoque non niſi pridie Nonas Aprilis eſſe prima valeat, rationemque a nobis hujus cauſæ exegerit, hic noſtra puſillitas, ne ſui fragilitate deficiat, ad paternæ, imo divinæ auctoritatis auxilium concurrat. Per paternam authoritatem intelligit autoritatem Nicænæ Synodi, *quæ* (ut dicit) *Lunas XIV*^as^ *Paſchales infallibiliter præfigentes, Lunam illius anni Paſchalem a pridie Nonas Aprilis incipere ſignarunt. Idque* (ut addit) *ne indiſſolubilis Communium annorum & Emboliſmorum ſtatus ſolveretur.* Per divinam autoritatem intelligit illa ſpecialia divinæ auctoritatis indicia, quæ in Cyrilli & Paſchaſini ad Leonem Papam Epiſtolis memorantur: ex Paſchaſini autem hæc habet: *quod tempore Zoſimi Papæ, cum eſſet ultimus Circuli decemnovalis annus, & declinarent quidam X Kal. Majarum die Paſcha tenere, celebrantes VIII die Kal. April., id eſt, pro Emboliſmo Communem tenentes annum, quæ eſſet Paſchalis obſervantiæ veritas, multiplici miraculo ſupernæ virtutis claruerit.* Ex hoc loco quam clariſſime patet, Cycli decemnovalis annum ultimum eſſe eum, cui Saltus Lunæ inſerendus, quique habet Lunam XIV Paſchalem XV Kal. Majarum, & eſſe Embolimæum.

Argumentum quintum.

Beda, ibidem, C. XX. *Sunt autem anni tres Circuli decemnovalis, quibus idem argumentum ſtabilitatem ſui tenoris conſervare nequeat, octavus videlicet, undecimus, & nonusdecimus, cui cauſam nutandi varia facit ac diſperſa per annum Emboliſmorum inſertio. Siquidem* (ut dicit) *anno octavo Emboliſmus in Martio menſe inſeritur. Item anno XI Luna Emboliſmi pridie Nonas Decembris accenditur. Item anno XIX Luna Emboliſmi tertio die Nonarum Martiarum incipit, &c.* Hic vides duas Lunas Embolimæas anni ſcilicet Cycli decemnovalis VIII^vi^ & XIX^ni^, eo in loco eſſe retentas, in quo ab Alexandrinis erant poſitæ, immediate ſcilicet ante menſem Paſchalem: Luna autem Embolimæa, pridie Nonas Martias nata, dat Neomeniam Paſchalem Nonis Aprilis, & Lunam XIV^am^ Paſchalem XIIII Kal. Majas, anno Cycli decemnovalis 8°. Item Luna Embolimæa, III Nonas Martias nata, dat Neomeniam Paſchalem pridie Nonas Aprilis, & Lunam XIV^am^ Paſchalem XV Kal. Majas, anno Cycli decemnovalis XIX°. Vide ſupra §° 2. Tertia autem Luna Embolimæa, anni 11^mi^, quæ pridie Nonas Decembris accenditur, loco

ſuo

ſuo mota & ad anteriora retruſa eſt. Vide Diſſertationem de Cyclo Lunari Dionyſii & Bedæ. NB. Tres illæ Lunæ Embolimææ hic conſiderantur ut ad Cycli decemnovalis annum 8, 11, & 19 pertinentes.

Argumentum ſextum.

Beda, ibidem, C. XLV. *Dividitur autem Circulus idem (decemnovalis) in Emboliſmos, annosque Communes, quos Hebræorum quoque priſcorum autoritate conſtat obſervatos: communes quidem annos, id eſt, 354 dierum, XII. Emboliſmos autem, id eſt, 384 dierum, continens VII. Primus nempe & ſecundus Communes; tertius eſt Emboliſmus; quartus & quintus Communes, ſextus Emboliſmus: ſeptimus Communis, octavus Emboliſmus: Nonus & decimus Communes, undecimus Emboliſmus: duodecimus & tertiusdecimus Communes, quartusdecimus Emboliſmus: quintusdecimus & ſextusdecimus Communes, ſeptimusdecimus Emboliſmus: octavusdecimus Communis, nonusdecimus Emboliſmus.* Plane ut Dionyſius. * Nota Bedam hic Cycli decemnovalis annos eo ordine numerare, quo in ejus Cyclis editis conſpiciuntur. Cyclum enim decemnovalem a ſe editum, & vigeſies octies repetitum deſcribit. Confer C. LXV. & ſequens Argumentum 7^{um}. Et poſt pauca: *Et Hebræi quidem, qui ſolos Lunares in lege noverant, & obſervabant menſes, juxta naturalem Lunæ curſum tricenis, undetricenisque diebus Communium annorum menſes duodenos explicabant, & tertio vel ſecundo ubi decebat anno, tertiumdecimum in fine anni menſem XXX dierum adponebant Emboliſmum. Porro Romani, qui diſpares habent menſes, non unoquolibet in loco Emboliſmos computando interponere voluerunt, ſed potius ubilibet mediis anni temporibus vacuum congruumque inter Kalendas locum invenire potuiſſent. Primam igitur Emboliſmorum Lunam IIII Nonas Decembris. Secundam IIII Nonas Septembris. Tertiam pridie Nonas Martias. Quartam pridie Nonas Decembris. Quintam IIII Nonas Novembris. Sextam IIII Nonas Auguſti. Septimam III Nonas Martias, naſci dixerunt.* Vide Diſſertationem de Cyclo Lunari Dionyſii & Bedæ.

Argumentum ſeptimum.

Beda, ibidem, C. XLVI. *Eſt & alia præfati Circuli* (decemnovalis) *diviſio, qua in Ogdoadem & Hendecadem, id eſt, in VIII, & in XI diſtinguitur annos, eo quod octavo & undecimo anno Luna Paſchalis ſu-*

pre-

premas suæ nativitatis metas subeat, & utrumque eorum insolito Embolismis more unus Communis præcedat annus. Hic eum, quem Cap. XLV numeraverat Cycli decemnovalis annum 8um, vocat Ogdoadis annum 8um: & eum, quem Cap. XLV numeraverat Cycli decemnovalis annum 19um, vocat Hendecadis annum 11mum. Hos annos designat a Luna Paschali, quæ in hisce annis supremas suæ nativitatis metas subeat; Luna autem Paschalis, quæ Ogdoadis anno 8°, nascitur Aprilis die 5°, & fit XIVta Aprilis die 18°, hoc est, XIIII Kal. Majas, ultimam nativitatis suæ metam subit: Luna vero Paschalis, quæ Hendecadis anno 11mo nascitur Aprilis die 4°, & fit XIVta Aprilis die 17°, hoc est, XV Kal. Majas, penultimam suæ nativitatis metam subit. Hos annos dicit esse Embolismos, & quidem insolito Embolismis more, quia utrumque unus tantum annus Communis præcedit. Vide supra §° 2.

Argumentum octavum.

Beda, ibid. C. LVI. ubi agit de Cyclo Lunari, sic scribit: *Sicut ille* (Cyclus decemnovalis) *sic & iste* (Cyclus Lunaris) *primum & secundum Communes annos, tertium habet Embolismum: quartum & quintum Communes, sextum Embolismum: septimum Communem, octavum Embolismum. Hendecas quoque Cycli Lunaris, instar decemnovalis Circuli, VII Communes, & IIII habet Embolismos.* Vide Dissertationem de Cyclo Lunari Dionysii & Bedæ. Et nota Bedam hic annos Cycli decemnovalis eo ordine numerare, quo eos numeraverat C. XLV, & quo in Cyclis a se editis numerati conspiciuntur: illum enim quem edebat Cyclum, in quo Dionysium continuabat, hic describit: & in hujus Capitis initio dixerat, Cyclum Lunarem a quarto Cycli decemnovalis anno incipere: adeoque Cycli decemnovalis annum 1um cum Cycli Lunaris anno 17° componit: quod etiam in Cyclis a Beda editis videre licet.

IV.

Ad Quæstionem 2am Responsio.

Nunc porro dicimus annos istos hoc sensu & fundamento *dici Embolimæos, quia revera erant Embolimæi, mensium XIII, & dierum 384.* Excepto anno Cycli 19°, qui mensium quidem XIII est, sed dierum tantum 383, propter Saltum Lunæ huic anno insertum.

V.

Probatio Responsionis ad Quæstionem 2^dam^.

1°, Beda, Libro de Temporum ratione. C.IX. *Annus Lunaris Communis* (inquit) *XII Lunis, id est, diebus* 354. *Embolismus XIII Lunis & diebus actis* 84 *expletur.*

2°, Beda, Libro de Natura rerum & Temporum ratione. C. II^do^: *Porro* (inquit) *natura duce repertum est, Solis annum* 365 *diebus & quadrante confici. Lunæ vero annum, si Communis sit,* 354, *si Embolismus,* 384 *diebus terminari, totumque Lunæ cursum decemnovali Circulo comprehendi.*

3°, Beda, ibidem, C. XXXVI. *Lunaris annus quadrifarie accipitur. Primus, &c. Secundus, &c. Tertius, qui XII mensibus hujusmodi, & diebus* 354 *expletur, & vocatur Communis, eo quod duo sæpissime tales pariter currant. Quartus, qui* Ἐμβολισμὸς *Græce dicitur, id est, superaugmentum, & habet XIII menses, id est, dies* 384.

4°, Beda, ibidem, C. XLV. *Dividitur autem* (inquit) *Circulus idem* (decemnovalis) *in Embolismos, annosque Communes, quos Hebræorum quoque priscorum autoritate constat observatos: Communes quidem annos, id est,* 354 *dierum, XII, Embolismos autem, id est,* 384 *dierum, continens VII. Primus namque & secundus Communes, tertius est Embolismus: &c.*

5°, Beda, ibidem, C. LVI. agens de Cyclo Lunari: *Et habent Communes anni menses Lunares XII, id est, dies* 354. *Embolismi autem menses XIII, dies videlicet* 384.

V I.

Corollarium.

Anni itaque Cycli decemnovalis Bedæ, omnes & singuli considerandi ut ineuntes, non a Luna mensis Paschalis, neque a Luna mensis Januarii. Sed a Luna mensis Thoth, qui apud Alexandrinos anni eorum Solaris Civilis primus mensis erat; aut, quod eodem redit, a Luna mensis Septembris, qui anni Græco-Romani apud Græcos, qui Æra Alexandrina utebantur, primus mensis erat.

VII. *In-*

VII.

Indicia, quod Beda initium anni a Luna Septembris deducat.

Videor mihi deprehendere in iis, quæ Beda dicit in Libro de Natura rerum & temporum Ratione, C. 20. *Quo etiam* (inquit) *anno* (Cycli decemnovalis 19°) *ratio Saltus Lunaris, de quo in ſequentibus dicemus, fidem ejusdem argumenti* (ad inveniendum quota ſit Luna in Kalendas quaſque) *impugnat. Si enim ipſum argumentum juxta Ægyptios a Septembri menſe, ubi principium eſt anni eorum, inchoaveris, neceſſe eſt, ut Luna Julii menſis eo anno XXIX dies, ut nunquam alias habeat, uno videlicet ratione Saltus amiſſo, &c.* Et paulo poſt: *Non autem tranſitorie commemorandum, quod hoc argumentum a Septembri quidam incipiunt, ponentes eidem Septembri Regulares V. Octobri V. Novembri VII. Decembri VII. & cætera ut ſupra nos poſuimus: Quod ob autoritatem Ægyptiorum rationabiliter prorſus agunt, ut a quibus origo computandi ſumpta eſt, horum quoque in computando anni principium imitentur.* Item C. 42. *Porro Ægyptii, in quorum ſententiam Catholica nunc conſentit Eccleſia, hanc mutationem* (quæ propter Saltum Lunæ præcedenti anno inſertum, in ſequentis anni Epactis conſpicitur) *primo anno Circuli decemnovennalis adfigunt, facientes Epactas Lunæ annuas de octavadecima in nullam facere ſaltum.* Et deinde in Capitis fine: *Sed ſunt, qui hoc nobis in Luna Novembris menſis agendum magis autument: quatenus hujusmodi impedimentis cum præcedentis anni fine abſolutis, novum de cætero annum libero poſſunt computu ingredi, juxta exemplum videlicet Ægyptiorum, qui hoc in penultimo anni ſui menſe, qui eſt noſter Julius, facere perhibentur.*

VIII.

Objicitur, Bedam annos Cycli decemnovalis inchoare a Luna Paſchali.

Beda hoc videtur expreſſe teſtari, Libro de Natura rerum & Temporum ratione, C. XLV. ubi agit de Emboliſmis & Communibus (in Cyclo decemnovali) annis; ſic ſcribit: *Qui utrique*, (menſes ſcilicet in Cyclo decemnovali Communes & Embolimæi, quos ordine recenſuerat) *ſicut*

sicut & supra dictum est, ab exordio primi mensis, quem Hebræi Nisan vocant, hoc est, ab accensione Lunæ Paschalis initium sumunt.

Idem Beda, ibidem, C. LVI. ubi agit de Cyclo Lunari, ita scribit: *Quinta Circuli decemnovalis regione Lunaris Cyclus includitur, a quarto ejus incipiens, & tertio completur in anno: qui proprie Romanorum est: & ad mensem Januarium pertinens: nam sicut annus quisque decemnovalis Circuli propter legalem Hebræorum observationem a Paschali mense inchoat, ibidemque finitur; ita & hic Romanorum institutione a Luna Januarii mensis inchoat, atque ibi desinit, sicut ille, sic & iste primum & secundum Communes annos, tertium habet Embolismum, &c.*

IX.

Responsio ad objectionem §° 8. propositam.

Beda, ut mihi videtur, *loquitur de initio annorum* in Cyclo decemnovali, non apud Christianos, sed *apud Hebræos, quando dicit, utrosque tam Communes, quam Embolimæos annos a mense Paschali sumere initium.*

Nam in primo loco, ex Libro de Natura rerum & Temporum ratione, C. XLV, provocat Beda ad locum anteriorem in quo hac de re egerat. *Sicut* (inquit) *& supra dictum est.* Nempe, C. XXXVI. ubi hæc leguntur: *Qui uterque* (*annus* scilicet *Communis & Embolismus*) APUD HEBRÆOS *a principio mensis Paschalis incipit, ibique finitur. Apud Romanos vero ab incipiente Luna mensis Januarii sumit initium, ibique terminatur.* Unde etiam hoc in loco C. XLV, & in altero C. LVI, hoc subintelligendum est, *apud Hebræos* scilicet. Confer quoque ejusdem Libri, C. XI. & C. IX. Et vide nostras in Prosperi Chronicon, ejusque 84 annorum Cyclum Observationes. §° 53, N° 3°, p. 212. ubi omnia Bedæ loca, hac de re agentia, ordine produxi.

Præterea, Beda statuit primum diem sæculi, quo Mundus creatus est, esse diem XV Kal. April.; Mundi autem quarto die, XII Kal. April. in Æquinoctio verno Solem, & Lunam esse creata, Solem quidem mane istius diei in puncto Æquinoctiali, Lunam vero ad vesperam ejusdem diei. De Natura rerum & Temporum ratione. C. VI. Et Lunam quidem ab ea vespera usque ad vesperam sequentis diei XI Kal. Apr. fuisse

XVam,

XV^am^, ibidem C. VI. & XLIII. & LXI. Porro ſtatuit, Hebræos incipere annum Solarem ab Æquinoctio verno. de Temporum ratione, C. IX. & de Natura rerum & Temporum ratione, C. XXXVI. Annum vero Lunarem a Luna naſcente, & quidem a Neomenia Paſchali. Ibidem C. XXXVI. Statuit quoque, *Hebræos, qui ſolos Lunares in lege noverant & obſervabant menſes, juxta naturalem Lunæ curſum tricenis undetricenisque diebus communium annorum menſes duodenos explicaſſe.* Ibidem C. XLV. Confer C. XI. quo videtur innuere, anni Hebræorum Lunaris menſem primum eſſe plenum dierum XXX. Verum in Cyclis decemnovalibus Alexandrinorum, Græcorum, & Lunari Romanorum Paſchalis menſis Cavus eſt, dierum XXIX. De Hebræorum autem Emboliſmo dicit, ibid. C. XI. *Secundo demum vel tertio anno exacto menſem ſuperfluum, qui ex annuis XI Epactarum diebus confici ſolet, intercalant*; eodem modo ſe exprimit C. IX. circa finem: unde concluderes primum apud Hebræos menſem Embolimæum cadere in Cycli annum ſecundum. Sed quia, C. XLV. ordine inverſo dicit, *tertio vel ſecundo ubi decebat anno tertiumdecimum in fine anni menſem XXX dierum adponebant Emboliſmum.* Atque hoc modo ſe etiam exprimit, C. IX. in initio: non auſim hoc urgere. De Saltu Lunæ dicit, C. XLII, circa finem: *Qui profecto Saltus non alibi aptius quam XII Kalendarum Aprilium die videtur anno reddendus, propter originem videlicet, quam præfati ſumus* (C. VI) *conditionis* (hoc eſt, creationis) *Syderum, ut Luna menſis Martii, quæ eo fit die viceſimanona, dehinc vertatur in novam.*

X.

Quid incommodi inde ſequatur ſi præcedens ſolutio non admittatur.

Si mea illa ad objectionem Reſponſio, & difficultatis ſolutio, quam ſupra §° 9 propoſui, alicui non ſatisfaciat, & contendere velit *Bedam loqui etiam de eo, quod apud Chriſtianos obtinebat, quando*, C. XLV & LVI. *dicit*, in Cyclo decemnovali, *utroſque annos Communes & Emboliſmos, a Luna Paſchali initium ſumere*, tum inde oritur maximum incommodum.

Si enim anni Cycli decemnovalis omnes & ſinguli ineant a Neomenia menſis Paſchalis, inde ſequitur, non annos Cycli decemnovales 3^um^, 6^um^, 8^um^, 11^um^, 14^um^, 17^um^ & 19^um^, ſupra §° 2 deſignatos, ſed hos immediate

mediate præcedentes, 2um, 5um, 7um, 10um, 13um, 16um, & 18um; esse Embolimæos, hoc est, mensium XIII, & dierum 384.

Exempli gratia.

annus Cycli decemn.	incipit	desinit	habet dies	
1us	Mart. 23.	Mart. 11.	354.	
2us	Mart. 12.	Mart. 30.	384.	*
3us	Mart. 31.	Mart. 19.	354.	
4us	Mart. 20.	Mart. 8.	354.	
5us	Mart. 9.	Mart. 27.	384.	*
6us	Mart. 28.	Mart. 16.	354.	
7us	Mart. 17.	April. 4.	384.	*
8us	April. 5.	Mart. 24.	354.	

& sic porro.

X I.

Quomodo alii hoc incommodum tollere conentur.

Quidam, ut hoc incommodum tollerent, commenti sunt, primum Cycli decemnovalis annum esse eum, in quem incidit Neomenia Paschalis Aprilis die 4°, hoc est, pridie Nonas Aprilis, aureo numero XIX. & Luna XIVa Paschalis Aprilis die 17°, hoc est, XV Kalendas Majas. Hæc hypothesis, si vera esset, difficultatem tolleret: sed in Dissertatione de initio, seu primo anno Enneadecaëteridis Alexandrinæ, invictis argumentis, ex professo probavimus, primum Cycli decemnovalis annum esse eum, in quem incidit Neomenia Paschalis Martii die 23°, hoc est, X Kal. Aprilis, aureo numero I. & Luna XIVa Paschalis Aprilis die 5°, hoc est, Nonis Aprilis. Vide etiam argumenta, supra §° 3, adducta.

Norisius, qui probe perspexerat, primum Cycli decemnovalis annum esse eum, qui habet Neomeniam Paschalem Martii die 23°, hoc est, X Kal. Aprilis, aureo numero I. & Lunam XIVam Paschalem Aprilis die 5°, hoc est, Nonis Aprilis, idque omni nisu probaverat, cum tamen putaret Cycli decemnovalis annos Communes & Embolimæos etiam apud Christianos incipere a Neomenia mensis Paschalis, & se ex hac difficultate

ficultate circa Embolifmi rationem expedire non poterat, hanc coactus eft admittere hypothefin, quod veteres in propagatione & progreffu Embolifmorum Cyclum decemnovalem inceperint ab aureo numero XIX hoc eft, a Luna Pafchali, quæ nafcitur Aprilis die 4°, hoc eft, pridie Nonas Aprilis, & fit XIV^a^ Aprilis die 17°, hoc eft, XV Kal. Majas. Hæc Norifii hypothefis difficultatem quidem tollit, fed ejus fententiam de primo Cycli decemnovalis anno, ineunte ab aureo numero 1, evertit. Præterea hæc Norifii hypothefis iis, quæ fupra §° 3. adduxi, argumentis refellitur: inde enim patet, Bedam etiam iis in locis, in quibus de annis Embolimæis agit, annos Cycli decemnovalis eo ordine numerare, quo in Cyclis ab eo editis confpiciuntur.

X I I.

Quid rejecta mea ad objectionem Refponfione, de ipfo Beda dicendum fit.

Primo, fi admittatur Bedam ftatuere, (C. XLV & LVI.) Cycli decemnovalis annos, non tantum apud Hebræos, fed etiam apud Chriftianos, inire a Luna Pafchali, tum ingenue agnofcendum, Bedam ἀσύστατα tradere, quæ fimul confiftere non poffunt, non modo cum iis, quæ aliis in locis dicit, fed etiam iis, quæ in ipfis illis Capitibus XLV^to^ & LVI^to^ dixerat.

Secundo, Bedæ autoritatem non fufficere, ut ipfi hoc fimpliciter dicenti, fed non probanti, quod Cycli decemnovalis anni omnes & finguli a Neomenia menfis Pafchalis ineant, fides habenda fit, fed me hujus fententiæ probationem requirere.

X I I I.

Appendix de Cyclo Lunari Bedæ & Embolifmi in eo ratione.

Beda hac de re agit, Libro de Natura rerum & Ratione temporum, C. LVI. & ibi exhibet Cycli Lunaris Diagramma ad inftar Cycli decemnovalis Diagrammatis, quod Dionyfius exhibuerat: & Cyclum Lunarem, ad inftar Cycli decemnovalis dividit in Ogdoada & Hendecada.

Sed Beda, non animadvertens duas Lunas Embolimæas fuo loco effe

 retentas,

retentas, & Cyclo Lunari propriam Ogdoada & Hendecada assignare volens, se ipsum confudit, & annos Cycli Lunaris Communes & Embolimæos non per omnia recte designavit: ut fuse ostendi in Dissertatione de Cyclo Lunari Dionysii & Bedæ.

Unde dubito, an Beda Embolismi rationem in Cyclo Lunari perspectam habuerit.

Alias enim, si, ut oportebat, eos in Cyclo Lunari annos, qui annis in Cyclo decemnovali Embolimæis respondent, pro Embolimæis habuisset, & initium annorum in Cyclo Lunari, non a Luna Januarii mensis, sed a Luna mensis Septembris deduxisset, more eorum Computistarum, qui Æram Constantinopolitanam instituerunt, a quibus Cyclum suum Lunarem Dionysius accepit, tum illos Cycli Lunaris annos esse revera Embolimæos, mensium XIII, dierum 384. dixisset, excepto Cycli Lunaris anno 16°, qui Cycli decemnovalis anno 19° respondet, qui mensium quidem XIII est, sed dierum tantum 383, propter Saltum Lunæ huic anno insertum.

DE

DE
ENNEADECAËTERIDE
ALEXANDR. PASCHALI,

An inceperit a menſe Paſchali, an vero a Lunatione, quæ in Thoth terminatur, quæque init anno 1°, in die Epagomen. 5°.

I.

Quid ego hac de re ſentiam.

Mea ſententia eſt Enneadecaëteridem Alexandr. Paſchalem (ſaltem in prima ejus conſtructione & conſtitutione) incepiſſe a Luna menſis Thoth, qui primus anni Ægyptiaci civilis menſis eſt, & quidem ab illa Luna, quæ in die Epagom. 5° nata, in die Thoth 29° terminatur.

I I.

Argumenta ad confirmationem hujus ſententiæ.

Varia argumenta ad hanc ſententiam probandam obſervavi: quæ, prout mihi nunc occurrunt, ordine confuſo, hic annotabo.

I I I.

Argumentum primum.

Scopus & uſus Cycli Lunaris eſt ut ejus ope, tanquam methodo expeditâ, detegantur & determinentur Neomeniæ & Lunæ XIV^a Paſchales in anno Solari Civili.

 Adeo-

Adeoque congruum eſt, ut Cyclus ille Lunæ Solaris (qui ſpatio XIX annorum cum Sole paria facit, vel facere ſupponitur) incipiat a tali Lunatione quæ vel in ipſo anni Solaris Civilis primo die, ſi id fieri poſſit, vel in die, qui huic proximus eſt, ineat, ita ut menſis Lunaris primus maximam partem concurrat cum menſe anni Solaris primo.

I V.

Argumentum ſecundum.

Hoc, quod modo dixi, in Cyclis Lunæ Solaribus, quorum notitia ad nos pervenit, obtinet. Exempli gratia

In Cyclo Romanorum LXXXIV annorum.

In Cyclo Victoriano.

In Cyclo Lunari Dionyſii.

In quibus anni Lunaris initia ad initium anni Solaris Civilis Romanorum accommodata ſunt, & a Lunatione, quæ in Januarium terminatur, incipiunt.

V.

Argumentum tertium.

Si in prima conſtructione Cycli, menſem Paſchalem conſtituiſſent primum Cycli & ſingulorum annorum menſem, non feciſſent eum Cavum dierum XXIX, ſed plenum dierum XXX.

Id enim obtinet in Cyclis modo memoratis &c.

V I.

Argumentum quartum.

Si id ad imitationem Hebræorum feciſſent, menſem Paſchalem plenum dierum XXX, quemadmodum Niſan in anno Judaico eſt, conſtituiſſent.

V I I.

Argumentum quintum.

Græci (inquit Anonymus in Computo Capitulo 22°, inter Anecdota Muratorii) *mutant Epactas* (Lunares) *in Septembri.*

Ergo

Ergo etiam annum Lunarem circa initium Septembris ineunt.

Græci autem Enneadecaët. Alexandr. ſatis mature receperunt.

Græcorum annus init a Septembri, tribus diebus poſt initium anni Ægyptiaci.

VIII.

Argumentum ſextum.

Deſumitur a Computo Lunari ad inveniendam Ætatem Lunæ in quolibet anni die, adeoque etiam ad inveniendam Neomeniam & Lunam XIVam Paſchalem, quo uſi ſunt Alexandrini, teſte Maximo in Computo P. 3a, C. 8. N° 1, 2.

Qui Computus præſupponit Enneadecaëterida, ejusque annum 1um incipere ab Epagom. 5°. & Enneadecaëterida accommodatam eſſe ad annum Solarem Ægypt. Civilem incipientem a menſe Thoth.

IX.

Argumentum ſeptimum.

Ex Bedæ Libro de Natura rerum & Ratione temporum C. 20, in fine. *Non autem tranſitoriè commemorandum, quod hoc argumentum* (ad inveniendum quota ſit Luna in Kal. quaſque) *a Septembri quidem incipiant, ponentes eidem Septembri Regulares V, Octob. V, Novemb. VII, Decembris VII, &c.* ut ſupra nos poſuimus. *Quod ob autoritatem Ægyptiorum rationabiliter prorſus agunt, ut a quibus origo computandi ſumpta eſt, horum* quoque *in computando anni principium imitentur.* Et paulo ante, *ſi enim ipſum argumentum juxta Ægyptios, a Septembri menſe, ubi principium eſt anni eorum, inchoaveris, neceſſe eſt &c.*

X.

Argumentum octavum.

Ex Anonymi Computo, a Muratorio edito, Capitulo 22. p. 126. *Si vis ſcire Epactas in Kal. XII menſium, ſcias quot Regulares habeat unusquiſque menſis incipiens a Septembri, quia ille eſt principium anni & principium menſium apud Ægyptios, & in principio Septembris mutant*

Ægyptii Epactas, & illas Epactas primas, quas Ægyptii habent in principio Cycli in Kal. XII mensium nos Regulares habemus &c. V. G. a Sept. V, Oct. V. &c.

Confer Capit. 3um §o 1 & 5.

X I.

Argumentum nonum.

Desumitur *ex Saltu Lunæ, quem Ægyptii, teste Beda, ponunt in penultimo anni sui mense, qui Romanorum Julio respondet*, hoc est, in mense Epiphi.

Quod certe non fecissent, si annos Enneadecaët. incepissent a mense Paschali.

Unde etiam *Maximus*, qui in Cyclo suo annos Lunares a mense Paschali incipit, & annos suos Solares Technicos a Kal. April. orditur, Saltum Lunæ loco movit, & in ultimo anni sui Lunaris mense posuit.

Ut & Dionysius in Cyclo suo Lunari eum posuit in penultimo anni sui Lunaris mense, quæ dicitur Luna Novembris mensis.

Confer omnino Bedam L. de Natura rerum & Ratione temp. C. 42, in fine.

X I I.

Argumentum decimum.

Ex Maximo, P. 3a, C. 10, 11. ubi dicit *Epactas esse duplicis generis, priores* Κανονίζεσθαι ἕως τῆς τελακάδος πρώτης *Martii mensis*, quibus ipse utitur, *posteriores vero* Κανονίζεσθαι ἕως τῆς τοῦ Αὐγούστου εἰκοστῆς ὀγδόης. *& has posteriores clare ostendit esse Epactas Ægyptiorum.*

AN & QUANDO
INITIUM ANNORUM
IN
CYCLO LUNÆ ALEXANDRINORUM

Tranſlatum ſit a Luna menſis Thoth, ad Lunam menſis Paſchalis, ſaltem in uſu Paſchali.

I.

Indicatur quid in hac Quæſtione ſupponatur.

SUpponimus, ut in Diſſertatione ſingulari jam probatum, initium primi & reliquorum omnium annorum in Cyclo Lunæ Alexandrinorum, ex antiquiore hujus Cycli conſtitutione, proceſſiſſe a Luna menſis Thoth, ſeu a Lunatione, quæ in menſe Thoth terminatur, a quo menſe annus Alexandrinorum Civilis inibat.

II.

Quæſtio exponitur.

Quæſtio duplex eſt: quæritur de re ipſa, *an* factum fuerit? quæritur etiam de tempore, *Quando* factum fuerit?

Præterea Quæſtio de re ipſa quodammodo limitatur, his verbis: ***Saltem in uſu Paſchali***; adeoque tertio quæritur, ſi hoc factum fuerit, quouſ-

quouſque ſe hæc tranſlatio extenderit? & an hoc ſimpliciter, & abſolute, an vero cum aliqua limitatione capiendum ſit.

Hæc tria ordine tractabimus.

III.

Ad Quæſtionem, an *Talis tranſlatio facta fuerit*, *reſpondetur*.

Quanquam hactenus nulla mihi teſtimonia occurrerunt, quæ teſtantur, Alexandrinos in Cyclo ſuo Lunæ talem tranſlationem admiſiſſe.

Videor mihi tamen talia deprehendiſſe indicia, unde hoc colligi poſſit, ſi non abſolute, ſaltem cum tanta probabilitate, ut res ipſa vix negari poſſit.

IV.

Probatio prima ex Lunæ Epactis Dionyſii & Bedæ.

Epactæ Lunæ, quarum Dionyſius in ſuis de ratione Paſchæ Epiſtolis meminit, & quæ in Cyclo XCV annorum ab ipſo edito, & a Beda continuato conſpiciuntur, *affixæ ſunt diei XI Kal. Aprilis*, *hoc eſt*, *Martii* 22°, *qui eſt menſis Phamenoth dies* 26us.

Dionyſius quidem, in ſuis de ratione Paſchæ Epiſtolis, nihil de proprio Epactarum Lunæ loco monet, quantum obſervare potui.

Verum Beda, quavis data occaſione, expreſſe indicat, *Epactarum Lunæ locum proprium* eſſe *diem XI Kal. Apr.* (Ut & *Concurrentium*, ſeu *Epactarum Solis*, de quibus alibi ago, *locum proprium* eſſe *diem IX Kal. April.*)

Hæ Epactæ Lunæ, huic diei affixæ, non ſunt ipſius Dionyſii aut Bedæ inventum: ſed admodum probabile eſt, Dionyſium has Lunæ Epactas (ut & Concurrentes, ſeu Solis Epactas) habuiſſe ab Alexandrinis, easque (una cum Concurrentibus, ſeu Solis Epactis) ex Cyrilli Cyclo XCV annorum, in ſuum totidem annorum tranſtuliſſe. Cyclus enim Dionyſii erat continuatio Cyrilliani. & *ad illius normam compoſitus*, ut ipſe Dionyſius dicit in Epiſtola 1a de ratione Paſchæ. Confer ſupra Diſſertationem de Cyclo Paſchali XCV annorum a Dionyſio edito, & a Beda continuato, §o 32.

V. *Pro-*

V.

Probatio ſecunda, ex natura Epactarum Lunæ in relatione ad annum Alexandrinorum, & ordinarium eorum Computum Lunarem.

In anno Alexandrinorum Civili, in primo Enneadecaëteridis Alexandrinæ anno, in Kalendis, ſeu die 1° menſis eorum Thoth cadebat Luna II^{da}: adeoque in præcedentis anni Alexandrini *die ultimo, ſeu 5ª Epagomenâ* cadebat Luna 1ma ſeu Neomenia : & hæc Lunatio, quæ in 5ª Epagomena incipit, & in ſequentis menſis Thoth die 29° terminatur, erat primi anni & totius Enneadecaëteridis Lunatio prima. In *die* autem præcedentis anni Alexandrini *penultimo, ſeu 4ª Epagomena* terminabatur Lunatio 13ª anni Enneadecaëteridis 19^{ni}. Atque hinc eſt, quod in Computo Lunari Alexandrinorum ordinario *in die anni Alexandrini penultimo, ſeu 4ª Epagomena* ſit *Epactarum Lunæ locus proprius:* & quod *Epactæ Lunæ primi* Enneadecaëteridis *anni dicantur nullæ*, quia ad inveniendam ætatem Lunæ, in die anni Alexandrini Civilis dato, ad quotam anni diem datam nihil omnino adjiciendum ſit, præter *unam Catholicam*, quia in Kalendis Thoth reperitur Luna II^{da}: (*fruſtra enim menſis integer, mox iterum auferendus, in initio Computi adjiceretur*) *Secundi* autem *anni Epactæ Lunæ* ſunt *XI: Tertii* vero *anni*, *XXII* & ſic porro.

Eadem autem *Lunæ ætas, quæ reperitur in* præcedentis anni Alexandrini *die penultimo, ſeu 4ª Epagomena, reperitur etiam* in ſequentis anni Alexandrini *die menſis Phamenoth 26°, ſeu XI Kal. Apr., hoc eſt, Martii die 22°.* Eſtque in primo Enneadecaëteridis anno hic menſis Phamenoth dies 26^{us}, Lunationis 7^{mæ} Plenæ dies ultimus, proxime præcedens menſis Phamenoth diem 27^{um}, in quo eſt Neomenia ſeu Luna 1ª, Lunationis 8^{væ}, ſeu menſis Paſchalis. *Unde etiam in primo Enneadecaëteridis anno, in illo menſis Phamenoth die 26° Lunæ ætas* (ob dictam rationem) *dicitur nulla. In ſecundo* autem Enneadecaëteridis *anno in eodem illo menſis Phamenoth die 26° Lunæ ætas eſt XI*ª. *In tertio* vero Enneadecaëteridis *anno, in eodem illo menſis Phamenoth die 26° Lunæ ætas eſt XXII*ª. Et ſic porro.

Hinc concludere licet Epactas Lunæ Dionyſii & Bedæ, quæ diei menſis Phamenoth 26°, ſeu XI Kal. Apr., hoc eſt, Martii 22° affixæ

 ſunt,

ſunt, profluxiſſe ex Lunæ Epactis, quæ in Alexandrinorum Enneadecaëteride, juxta antiquiorem ejus conſtitutionem, diei anni Alexandrini penultimo, ſeu 4ª Epagomenæ erant affixæ.

Habes itaque hic indicium ſatis probabile, quod Alexandrini annorum in Enneadecaëteride initium, quod, ex antiquiore Cycli conſtitutione, procedebat a Luna menſis Thoth, deinceps juſſerunt procedere a Luna menſis Paſchalis.

V I.

Ad Quæſtionem, Quando *talis tranſlatio facta fuerit, reſpondetur.*

Hactenus mihi tempus hujus tranſlationis ab Alexandrinis factæ in incerto eſt.

Lunæ Epactas in Cyclo XCV annorum Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi jam affixas fuiſſe diei Phamenoth 26°, ſeu XI Kal. Apr., hoc eſt, Martii 22°, quod hujus tranſlationis indicium eſt, oſtendi ſupra §° 4° & 5°.

Cycli autem Cyrilliani, XCV annorum, primus annus concurrit cum anno Chriſti 437°.

V I I.

De hujus quæſtionis limitatione.

Quando dicimus initium annorum in Enneadecaëteride a Luna menſis Thoth ad Lunam menſis Paſchalis tranſlatum eſſe, hoc non abſolute & ſimpliciter, ſed cum aliqua reſtrictione & limitatione capiendum eſt. Nam

1°, Non abjecerunt eo ipſo antiquiorem Enneadecaëteridis ſuæ conſtitutionem, & Computum Lunarem, qui a Luna menſis Thoth procedit.

Quod ex Imperatoris Heraclii Computo Lunari patet, qui ſeculo 7° ineunte, antiquiorem Alexandrinorum Computum Lunarem, adhuc in uſu retinuit, &, cum aliquo calculi compendio, ad annum Romanum & menſes Romanos applicavit.

2°, Computus ille Lunaris, qui per Lunæ Epactas diei menſis Phamenoth 26°, ſeu XI Kal. April., hoc eſt, Martii 22° affixas peragitur, fundatus eſt in antiquiore Alexandrinorum Computo Lunari, qui per Lunæ Epactas, diei præcedentis anni Alexandrini penultimo, ſeu 4ᵗᵃ Epagomenæ, affixas peragitur, & ad eum facile reducitur.

Nota

Nota enim, quod a die 4ª Epagomena exclusive, usque ad sequentis mensis Phamenoth diem 26um inclusive, colligantur præcise dies 207, qui faciunt præcise menses Lunares VII, quatuor Plenos, & tres Cavos, qui ob calculi compendium in Computo Lunari auferuntur & abjiciuntur.

Unde hæc Epactarum Lunæ a die 4ª Epagomena ad diem sequentis mensis Phamenoth 26um, translatio videtur magis spectanda esse tanquam calculi in antiquiore Alexandrinorum Computo Lunari compendium, quam tanquam realis initii annorum in Enneadecaëteride translatio.

3°, Illæ Lunæ Epactæ diei mensis Phamenoth 26°, seu XI Kal. April. hoc est, Martii 22°, affixæ (ut & Solis Epactæ seu Concurrentes diei Phamenoth 28°, seu IX Kal. April., hoc est, Martii 24° affixæ) conspiciuntur solummodo in Cyclis Paschalibus, hoc est, in iis Cyclis in quibus non tantum Lunæ XIVæ Paschales, sed etiam ipsæ Dominicæ Paschales, cum suis Lunis, adnotabantur.

In illis Cyclis Paschalibus autem illæ Epactæ Lunæ ad singulos Enneadecaëteridis annos annotantur proprie, ut mihi videtur, eum in finem, ut harum ope Lunæ XIVæ Paschales, in iisdem Cyclis annotatæ, explorentur, an scilicet ad suos anni Civilis dies recte positæ sint, & eæ, si vitiose positæ, corrigantur.

Hæc autem exploratio peragitur compendiosissimo Computo, juxta hanc *Regulam:*

Cape omnes dies a mensis Phamenoth die 26°, seu Martii die 22°, exclusive, usque ad diem mensis, in quem cadit Luna XIVª Paschalis, inclusive. Adjice Epactas illius anni, de cujus Luna XIVª quæstio est. Aggregatum, sive ejus reliquum, post XXX dies ablatos, erit XIV, quando Luna XIVta Paschalis recte posita est.

Ex hoc Computo compendiosissimo, in antiquiore Computo Alexandrinorum Lunari fundato, & ad eum facile reducendo, atque ad talem scopum & usum specialem adhibito, de reali initii annorum in Enneadecaëteride, a Luna mensis Thoth ad Lunam mensis Paschalis, translatione concludere revera non licet.

Confer Observationes nostras in Prosperi Chronicon, §° LIII. N° 3°. p. 203—205. ubi hæc fusius tractantur. Vide quoque supra Dissertationem de Enneadecaëteridis Alexandrinæ Natura & Constitutione, imprimis §° 3°, 5° & 8°. Item infra Dissertationem de Computo Lunari Alexandrinorum.

DE

COMPUTO LUNARI ALEXANDRINORUM.

PARS PRIMA DE COMPUTO LUNARI ALEXANDRINORUM.

Ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die propoſito: dato anno Cycli & Epactis ejus anni.

I.

Prima Methodus generalior.

Collige omnes dies a primo die menſis Thoth (incluſive) uſque ad diem propoſitum (incluſive). Adde Regularem unam: adde porro Epactas anni dati. Ab hac ſumma aufer omnes menſes Lunares elapſos. Reliquum exprimet ætatem Lunæ in die propoſito.

II. *Exem-*

II.

Exempla primæ Methodi.

Exemplum Primum.

Quæritur ætas Lunæ in die Thoth 1°
anno Cycli 1°, qui habet Epact. 0
anno Cycli 2°, qui habet Epact. XI
anno Cycli 3°, qui habet Epact. XXII.

In menſe Thoth dies	1	1	1
Regularis . . .	1	1	1
Epactæ	0	11	22
	2	13	24
Pro menſe elapſo	0	0	0
Reliquum	2	13	24

Adeoque erit in die Thoth 1°
Luna 2ª anno Cycli 1°
. . . 13ª —— —— 2°
. . . 24ª —— —— 3°

Exemplum ſecundum.

Quæritur ætas Lunæ in die Paophi 1°,
anno Cycli 1°, 2°, & 3°,

in Thoth dies 30
in Paophi d. 1

Collecti dies .	31	31	31
Regularis . .	1	1	1
Epactæ . .	0	11	22
ſumma	32	43	54
pro menſe 1° Pleno dies	30	30	30
Reliquum	2	13	24

Adeoque in die Paophi 1°
anno Cycli 1°, Luna 2da
—— —— 2°, . . . 13ª
—— —— 3°, . . . 24ª

Exemplum tertium.

Quæritur ætas Lunæ in die Athyr 1°
anno Cycli 1°, 2°, & 3°

in Thoth dies 30				
in Paophi 30				
in Athyr 1				
	Collecti . .	61	61	61
	Regularis	1	1	1
	Epactæ . . .	0	11	22
		62	73	84
pro menſe 1° Pleno, dies 30				
pro menſe 2° Cavo, dies 29				
pro duobus menſibus elapſis		59	59	59
	Reliquum	3	14	25

Adeoque in die Athyr 1°
anno Cycli 1° Luna 3ª
—— —— 2° . . . 14ª
—— —— 3° . . . 25ª

Exemplum quartum.

Quæritur Ætas Lunæ in die Mechir 1°
anno Cycli 1°, 2°, & 3°.

in Thoth dies 30				
in Paophi . . 30				
in Athyr . . 30				
in Choiac . . 30				
in Tybi . . 30				
in Mechir . 1				
	Collecti	151	151	151
	Regular.	1	1	1
	Epactæ	0	11	22
	ſumma . .	152	163	174
pro 1° & 2° menſe elapſo . .		59	59	59
		93	104	115
pro 3° & 4° menſe elapſo. . .		59	59	59
		34	45	56
pro 5° menſe Pleno elapſo. . .		30	30	30
	Reliquum . .	4	15	26

Adeoque

Adeoque in die Mechir 1°

anno Cycli 1°, Luna 4^{a}
—— —— 2°, . . . 15^{a}
—— —— 3°, . . . 26^{a}

ac proinde
in die Mechir 1° eadem Luna, ac in die Tybi 1°.

III.

Κανόνιον ſeu Tabula ad dies Collectos facilius inveniendos.

in Thoth dies	30.	Collecti	30.
in Paophi . .	30.	. . .	60.
in Athyr . .	30.	. . .	90.
in Choiac . .	30.	. . .	120.
in Tybi . . .	30.	. . .	150.
in Mechir . .	30.	. . .	180.
in Phamenoth	30.	. . .	210.
in Pharmuthi	30.	. . .	240.
in Pachon . .	30.	. . .	270.
in Pauni . .	30.	. . .	300.
in Epiphi . .	30.	. . .	330.
in Meſori . .	30.	. . .	360.
in Epagom. . .	5.	. . .	365.

IV.

Κανόνιον ſeu Tabula ad elapſorum menſium dies facilius inveniendos.

pro menſe 1° & 2° elapſo, dies	59.	Collecti	59.
pro menſe 3° & 4° elapſo, dies	59.	. . .	118.
pro menſe 5° & 6° elapſo, dies	59.	. . .	177.
pro menſe 7° & 8° elapſo, dies	59.	. . .	236.
pro menſe 9° & 10° elapſo, dies	59.	. . .	295.
pro menſe 11° & 12° elapſo, dies	59.	. . .	354.

V. Re-

V.

Reliqua Exempla 1ª Methodi.

Exemplum quintum.

Quæritur ætas Lunæ, in die Pharmuthi 1°
anno Cycli 1°, 2°, & 3°.

a menſe Thoth uſque ad menſem Pharmuthi excluſive colliguntur dies	210	210	210
in Pharmuthi dies	1	1	1
Regular.	1	1	1
Epactæ	0	11	22
ſumma . .	212	223	234
pro ſex menſibus Lunar. elapſ. .	177	177	177
	35	46	57
pro 7° menſe Pleno, elapſo. . .	30	30	30
Reliquum . .	5	16	27

Adeoque in die Pharmuthi 1°
anno Cycli 1°, Luna 5ª
—— —— 2°, . . . 16ª
—— —— 3°, . . . 27ª
eadem ac in die Phamenoth 1°.

V I.

Cautela circa annos Emboliſmos in prima Methodo.

Quando in annis Embolimæis ſumma aſſurgit ad 237 & ultra.
Memento menſem Lunarem 8um extra ordinem eſſe Plenum:
Et deinceps menſes impares, 9um, 11um, & 13um extra ordinem eſſe Cavos.
Menſes vero pares 10um & 12um extra ordinem eſſe Plenos.

VII. *Exem-*

VII.

Exempla 1ª Methodi, quæ spectant partem posteriorem annorum Embolimæorum.

Exemplum sextum.

Quæritur ætas Lunæ in die Pharmuthi 1°
in annis Embolimæis, 3°, 6°, 8°,

a Thoth ad Pharmuthi dies . .	210	210	210
in Pharmuthi dies	1	1	1
Regularis	1	1	1
Epactæ . .	22	25	17
summa	234	237	229
pro sex mensibus elapsis . .	177	177	177
	57	60	52
pro 7° mense Pleno . . .	30	30	30
Luna	27ª	30ª	22ª

pro 8° mense extra ordinem
Pleno in anno Cycli 17°.

Exemplum septimum.

Quæritur ætas Lunæ in die Pachon 1°
in annis Embolimæis, 3°, 6°, 8°,

a Thoth ad Pachon dies . . .	240	240	240
in Pachon dies	1	1	1
Regularis . .	1	1	1
Epactæ . .	22	25	17
summa	264	267	259
pro sex mensibus elapsis . .	177	177	177
	87	90	82
pro 7° mense Pleno . . .	30	30	30
	57	60	52
pro 8° mense extra ord. Pleno	30	30	30
Luna	27ª	30	22ª
pro 9° mense extra ord. Cavo		29	
Luna		1ª	

VIII.

Cautela circa annum Cycli 9um, in prima Methodo.

Memento annum Cycli 9num Lunarem initium ſumere a menſis Thoth die 2do, adeoque menſis Thoth diem 1um pertinere ad annum Cycli 8um, ſed in hoc Computo Lunari (in quo ſumma dierum collecta reducitur ad Neomeniam, quæ initium anni Solaris proxime præcedit) rem ita conſiderari, ac ſi annus Cycli 8us præcedens fuiſſet Communis dierum CCCLIV, & annus Cycli 9us inciperet a menſis Meſori die 7°, eſſetque hic menſis Lunaris, in die Meſori 7° iniens, & in die Thoth 1° terminans, menſis Embolimæus dierum XXX.

Adeoque in anno Cycli 9°, a ſumma collecta primo aufer XXX, & deinde procede eodem modo ac in reliquis annis Communibus, conſiderans Lunam in menſis Thoth die 2° natam eſſe Plenam, & revera anni in Cyclo 9ni primam.

IX.

Exemplum octavum, ad annum Cycli 9um pertinens.

Quæritur ætas Lunæ in die primo menſium anno Cycli 9°.

a Thoth ad colligitur dies	Thoth	Paophi	Athyr	Choiac	Tybi	Mechir
	0	30	60	90	120	150
primus menſis	1	1	1	1	1	1
Regularis	1	1	1	1	1	1
Epactæ	28	28	28	28	28	28
Summa	30	60	90	120	150	180
aufer XXX	(1)	30	30	30	30	30
Luna	29a	30a	60	90	120	150
aufer			59	59	118	118
		Luna	1a	31	2a	32
aufer menſ. Ph.				30		30
			Luna	1a		2a

X. *Cau-*

X.

Cautela circa annum Cycli 9^{um}*, in prima Methodo, aliter concepta, vel potius Regula ſpecialis pro anno Cycli 9°.*

Quia annus Cycli 9^{us} Lunaris initium ſumit a menſis Thoth die 2°, adeoque uno die poſt initium anni Solaris Civilis, non opus eſt, ut ad numerum dierum, qui a menſis Thoth die 1° uſque ad diem propoſitum colliguntur, addatur illa Regularis una, & deinde addantur quoque iſtius anni Epactæ XXVIII, ſed ſufficit, ſi ab illo numero dierum, una dies auferatur, & ſic ille numerus reducatur ad Neomeniam, quæ cadit in menſis Thoth diem 2^{um}.

Unde naſcitur hæc Regula pro anno Cycli 9°, collige numerum dierum a Thoth die 1° incluſive, uſque ad diem propoſitum incluſive; & ab hoc numero aufer unitatem, & ab hoc reliquo aufer omnes menſes elapſos, & tum id quod ſupererit exprimet ætatem Lunæ in die propoſito.

X I.

Exemplum *pro anni Cycli* 9^{no} *repetitum.*

a Thoth ad	Thoth	Paophi	Athyr	Choiac	Tybi	Mechir
dies	0	30	60	90	120	150
primus dies menſ.	1	1	1	1	1	1
	1	31	61	91	121	151
aufer unitatem	1	1	1	1	1	1
Luna	29ª	30ª	60	90	120	150
aufer			59	59	118	118
Luna			1ª	31	2ª	32
aufer menſem Plenum				30		30
Luna				1ª		2ª

 XII. *Ob-*

XI.

Observatio ad præcedens Exemplum, & præcedentem Cautelam.

Poteſt etiam hæc ablatio unitatis evitari, ſi numerus dierum colligatur non a die 1°, ſed a die 2° Thoth; vel, quod in calculo expeditius eſt, ſi numerus dierum colligatur a die 1° Thoth uſque ad diem propoſitum *excluſive*.

XII.

Methodus ſecunda ſeu Methodus 1ª aliter propoſita, in qua Computus inſtituitur dividendo ſummam per LIX.

Collige omnes dies a menſis Thoth die 1° incluſive, uſque ad diem propoſitum incluſive. Adde ſemper Regularem unam. Adjice porro Epactas anni dati.

Hanc ſummam divide per LIX, & deinde a reliquo aufer XXX.

Quod tum ſupererit exprimet ætatem Lunæ in die propoſito.

XIII.

Obſervatio ad hanc Methodum.

Quando ſumma numerum 59 non excedit, diviſione opus non eſt.

Quando vel ipſa ſumma, vel quod ex diviſione reliquum eſt, numerum 30 non excedit, ablatione Tricenarii opus non eſt.

XIV.

Cautela circa annos Embolimæos.

Quando in annis Embolimæis ſumma aſſurgit ad numerum 237 & ultra, tum ante diviſionem ſemper unitas ab eâ auferenda eſt: & ab eo, quod

quod post divisionem peractam reliquum est, non XXX, sed XXIX auferri debent.

X V.

Cautela circa annum Cycli 9um.

Quod annum Cycli 9um attinet, a summa, quæ ex diebus anni Solaris, cum Regulari, & Epactis conflatur, ante divisionem semper XXX auferri debent, & deinde divisio peragenda, & a reliquo, quod ex divisione remanet, semper XXX auferri debent.

Vel, omissa Regulari, & omissis Epactis, summa dierum a die 1º mensis Thoth usque ad diem propositum inclusive collectorum, dempta unitate, dividenda per 59, & a reliquo auferendi XXX.

X V I.

Collatio 1ª & 2ª Methodi.

Hæc secunda Methodus revera eadem est cum prima, nam perinde est sive menses omnes elapsi per abstractionem continuatam, sive partim per divisionem, partim per abstractionem a summa collecta auferantur.

XVII.

Κανόνιον *seu Tabula exhibens*

dies mensium Solarium.	dies	collecti	dies mensium Lunarium mensis	dies	collecti
Thoth	30.	30.	1us	30.	30.
Paophi	30.	60.	2us	29.	59.
Athyr	30.	90.	3us	30.	89.
Choiac	30.	120.	4us	29.	118.
Tybi	30.	150.	5us	30.	148.
Mechir	30.	180.	6us	29.	177.
Phamen.	30.	210.	7us	30.	207.
Pharm.	30.	240.	8us	29.	236.
Pachon	30.	270.	9us	30.	266.
Pauni	30.	300.	10us	29.	295.
Epiphi	30.	330.	11us	30.	325.
Mesori	30.	360.	12us	29.	354.

In annis Embolimæis.

Pharm.	30.	240.	8us	30.	237.
Pachon	30.	270.	9us	29.	266.
Pauni	30.	300.	10us	30.	296.
Epiphi	30.	330.	11us	29.	325.
Mesori	30.	360.	12us	30.	355.

προσθετὰς, & earum inventionem.

dies Solares collecti, demptis diebus Lunaribus collectis relinquunt

προσθέτας pro mense		annor. Embol. προσθέται
0.	Thoth	
0.	Paophi	
1.	Athyr	
1.	Choiac	
2.	Tybi	
2.	Mechir	
3.	Phamenoth	
3.	Pharmuthi	
4.	Pachon	3. *
4.	Pauni	4.
5.	Epiphi	4. *
5.	Mesori	5.
6.	Epagom.	5. *

In annis Embolimæis.

3.	Pachon
4.	Pauni
4.	Epiphi
5.	Mesori
5.	Epagom.

XVIII.

XVIII.

Observatio ad præcedentem Tabulam.

Hæ προσθέται ad compendium calculi inventæ ſunt, ut operoſa collectio dierum a Thoth uſque ad menſem, in quo dies proponitur, & operoſa item ablatio menſium Lunarium elapſorum, evitetur. Hæc omnia enim jam peracta ſunt & reliquum in illa Tabula exhibetur.

Et hinc naſcitur nova methodus Computi Lunaris.

XIX.

Methodus tertia, in qua Computus inſtituitur ope προσθετῶν *quæ in* Κανονίῳ *exhibentur.*

Regula hujus methodi hæc erit. Sume dies menſis propoſiti uſque ad diem propoſitum incluſive. His adde προσθεταῖς iſtius menſis. Deinde adjice Regularem unam, & præterea Epactas anni dati. Et ab hac ſumma aufer pro re nata XXX, vel XXIX., ſi ultra XXX, vel XXIX aſſurgat.

NB. Ex Κανονίῳ cognoſcitur, quando XXX vel XXIX auferri debent: nam inde patere poteſt, quot menſes elapſi ſint ablati.

XX.

Cautela circa annos Embolimæos.

Quando dies propoſita occurrit in anno Embolimæo, in menſe Pachon, Epiphi., aut Epagomen., memento προσθεταῖς tum unitate minores eſſe, quam in annis Communibus; ut ex Κανονίῳ videre licet. Memento quoque in annis Embolimæis menſem Lunarem 8^{um}, 10^{um}, & 12^{um} eſſe Plenos., & contra 9^{um}, 11^{um}, & 13^{um} eſſe Cavos.

XXI.

Cautela circa annum Cycli 9^{um}.

Quando dies propoſita occurrit in anno Cycli 9^{o}, memento., a ſumma collecta ſemper prius auferre XXX, & deinde a reliquo auferre pro re nata XXX vel XXIX.

Vel,

Vel, omissâ Regulari, & omissis Epactis, a summâ, quæ ex diebus in mense proposito & προσθεταῖς colligitur, prius deme unitatem, & deinde a reliquo aufer pro re nata XXX vel XXIX.

XXII.

Collatio hujus methodi 3ª, cum methodo 1ª & 2ª.

Hæc methodus tertia revera eadem est cum præcedenti prima & secunda: solo enim compendio calculi ab iis differt.

XXIII.

Modus inveniendi προσθετὰς absque ope Κανονίου.

Numera menses a mense Thoth inclusive usque ad illum mensem exclusive, in quo dies proposita occurrit.

Hunc numerum mensium elapsorum divide per binarium, sive cape eorum dimidiam partem.

Quotiens hujus divisionis exprimet προσθετὰς istius mensis, in quo dies proposita occurrit.

Exemplum

Sit dies proposita in mense Phamenoth.

A Thoth usque ad Phamenoth elapsi sunt menses sex.

Divide Senarium per Binarium, quotiens erit Ternarius

```
2) 6 (3
   6
   —
   0
```

Adeoque mensis Phamenoth erunt προσθεταὶ 3.

Alterum Exemplum

Sit dies proposita in mense Pharmuthi.

A Thoth usque ad Pharmuthi sunt elapsi menses septem.

Divide numerum Septenarium per Binarium, quotiens iterum erit Ternarius.

```
2) 7 (3
   6
   —
   1
```

Adeoque προσθέσεις mensis Pharmuthi erunt 3.

Fundamentum hujus inventionis hoc est; quod menses Ægyptiorum sint omnes Tricenarii, & quod menses Enneadecaëteridis Lunares sint alterni Pleni & Cavi, adeoque duo Solares tantum uno die, & itidem tres Solares tantum uno die superent totidem Lunares. Quod etiam in Κανονίῳ ad oculum patet.

Quod autem annos Embolimæos attinet, quia mensis octavus Lunaris Embolimæus, & extra ordinem Plenus est, & propterea alternatio Plenorum & Cavorum deinceps invertitur.

Hinc numerus mensium in annis Embolimæis, quando ad VIII, & ultra assurgit, unitate minui debet, & tum per Binarium dividi.

Exemplum

Sit dies proposita in mense Pachon.

Numerus mensium elapsorum a Thoth ad Pachon est octo.

Aufer unum, remanent septem, qui divisi per Binarium, dant in quotiente ternarium.

Adeoque προσθέσεις mensis Pachon sunt 3.

Alterum Exemplum

Sit dies proposita in mense Pauni.

Numerus mensium a Thoth ad Pauni elapsorum est novem.

Aufer unum, remanent octo, qui divisi per Binarium, dant in quotiente quatuor.

Adeoque προσθέσεις mensis Pauni sunt 4.

Tertium Exemplum

Sit dies proposita in mense Epiphi.

Numerus mensium a Thoth ad Epiphi elapsorum est decem.

Aufer unum, remanent novem, qui divisi per Binarium, dant in quotiente quatuor.

Adeoque προσθέσεις mensis Epiphi sunt 4.

Confer Κανόνιον, & observa differentiam tantum reperiri in προσθέσεσι Pachon, Epiphi, & Epagomenon.

Hinc jam nascitur nova methodus Computi Lunaris; cujus etiam mentio apud veteres occurrit.

XXIV. *Me-*

XXIV.

Methodus quarta in quâ Computus instituitur ope dimidii mensium a Thoth ad propositum elapsorum.

Regula hujus methodi hæc est: sume dies mensis propositi usque ad diem propositum inclusive. His adde dimidium mensium Ægyptiacorum, a Thoth ad propositum exclusive elapsorum: deinde adjice regularem unam, & præterea Epactas anni dati. Et ab hac summa aufer pro re nata XXX, aut XXIX, si ultra XXX vel XXIX ea assurgat.

XXV.

Cautela circa annos Embol.

Memento in annis Embolimæis quando dies proposita occurrit in mense Pachon & Epiphi, aut inter Epagomenas, dimidium mensium elapsorum unitate minuere.

Memento præterea in annis Embolimæis, mensem 8^um, 10^um, & 12^um esse extra ordinem Plenum, & contra mensem 9^um, 11^um, & 13^um esse extra ordinem Cavum.

XXVI.

Cautela circa annum Cycli 9^um.

Memento, in anno Cycli 9°, a summa collecta semper prius auferre XXX, & deinde a reliquo auferre pro re nata XXX, aut XXIX.

Si autem ablato illo primo tricenario, nihil remanserit, (quod fit, quando dies 1^us mensis Thoth & Paophi proponitur) scito in die proposito esse Lunam ultimam mensis Lunaris, adeoque in Thoth die 1°, Lunam XXIX^am, in Paophi vero die 1°, Lunam XXX^am.

Vel omissa adjectione Regularis & Epactarum, a summa, quæ ex diebus mensis propositi & ex dimidio mensium elapsorum conflatur, semper prius aufer unitatem, & deinde a reliquo aufer pro re nata XXX, vel XXIX.

XXVII.

Unde hoc cognoscatur, quando pro re nata XXX vel XXIX auferri debeant.

Si numerus mensium, usque ad mensem propositum exclusive, elapsorum, *par* est, tum XXX auferri debent, quando summa ultra XXX assurgit.

Sin vero ille numerus mensium elapsorum *impar* est, tum XXIX auferri debent, quando summa ultra XXIX assurgit.

Excipe annos Embolimæos, quando in iis numerus mensium elapsorum ad VII & ultra assurgit; tum enim contrarium obtinet.

Nam si in annis Embolimæis numerus mensium fuerit VIII, X, aut XII. tum XXIX auferri debent.

Si vero in annis Embolimæis numerus mensium fuerit IX, VII, aut XI, tum XXX auferri debent.

XXVIII.

Quid circa Saltum Lunæ observandum.

Vix opus est monere Lunam, quæ in anno 19°, (qui uno die defectivus est) nascitur, extingui in die Mesori 6° & hunc mensem Lunarem, istius anni 12^{um} esse extra ordinem Cavum, propter Saltum Lunæ, ut vocant, quo dies unus ex illo mense, & anno eximitur, & *Luna ex vigesima nona saltat in novam.*

XXIX.

Collatio hujus 4^{a} methodi cum præcedente 3^{a}.

Hæc methodus quarta revera eadem est cum præcedenti tertia; nam sive προσθέται ex Κανονίῳ sumantur, sive, absque Κανονίῳ, dividendo numerum mensium elapsorum per Binarium, inveniantur, hoc perinde est.

XXX. *Exem-*

XXX.

Exempla methodi quartæ.

Exemplum א.

Quæritur ætas Lunæ in die Phamenoth 26°,

anno Cycli	1°	2°	3°	4°
in Phamenoth dies	26	26	26	26
dimidium *sex* mensium	3	3	3	3
Regularis . .	1	1	1	1
Epactæ . .	0	11	22	3
Luna	30ª	41	52	33
aufer pro 7° mense Pleno		30	30	30
Luna		11ª	22ª	3ª

Exemplum ב.

Quæritur ætas Lunæ in die Pharmuthi 26°,

anno Cycli	1°	2°	4°	5°
in Pharmuthi dies	26	26	26	26
dimidium *septem* mensium	3	3	3	3
Regularis . .	1	1	1	1
Epactæ . .	0	11	3	14
summa	30	41	33	44
aufer pro 8° mense Cavo	29	29	29	29
Luna	1ª	12ª	4ª	15ª

Exemplum ג.

Quæritur ætas Lunæ in die Pharmuthi 26°,

anno Cycli	3°	6°	8°	11°	Embol.
in Pharmuthi dies	26	26	26	26	
dimidium *septem* mensium	3	3	3	3	
Regularis . .	1	1	1	1	
Epactæ . .	22	25	17	20	
summa	52	55	47	50	
aufer pro 8° mense Pleno	30	30	30	30	
Luna	22ª	25ª	17ª	20ª	

quia annus Embolimæus est & numerus mensium elapsorum ad VII assurgit

Exem-

Exemplum ז.

Quæritur ætas Lunæ in die Pachon 26°

	anno Cycli	3°	6°	8°	11° Embol.
in Pachon dies		26	26	26	26
dimidium *octo* mensium dempta unitate		3	3	3	3
	Regularis	1	1	1	1
	Epactæ	22	25	17	20
	summa	52	55	47	50
pro 9° mense Cavo		29	29	29	29
quia in anno Embol. est & numerus mensium elapsorum ultra VII assurgit	Luna	23ª	26ª	18ª	21ª

Exemplum ח.

Quæritur ætas Lunæ in die Pauni 1°

	anno Cycli	3°	6°	8°	11° Embol.
in Pauni dies		1	1	1	1
dimidium *novem* mensium		4	4	4	4
	Regularis	1	1	1	1
	Epactæ	22	25	17	20
	Luna	28ª	31	23ª	26ª
aufer pro 10° mense Pleno			30		
quia in anno Embolimæo est, & numerus mensium elapsorum ultra VII assurgit.	Luna		1ª		

Exem-

Exemplum 1.

Quæritur ætas Lunæ in die Epiphi 1°

	anno Cycli 3°	6°	8°	11° Embol.
in Epiphi dies	1	1	1	1
dimidium *decem* mensium, dempta unitate	4	4	4	4
Regularis . .	1	1	1	1
Epactæ . . .	22	25	17	20
Luna	28^a	31	23^a	26^a
aufer pro 11° mense Cavo . .		29		
quia in anno Embol. est, & numerus mensium elapsorum ultra VII assurgit.		Luna 2^da		

Exemplum 2.

Quæritur ætas Lunæ, in anno Cycli 9°

in die mensis	Thoth	Paophi	Tybi	Mechir	Phamen.
in mense dies . . .	2	30	29	30	29
dimidium mensium	0	0	2	2	3
Regularis . .	1	1	1	1	1
Epactæ . .	28	28	28	28	28
summa	31	59	60	61	61
aufer prius XXX quia in anno 9° est	30	30	30	30	30
Luna	1^a	29^a	30^a	31	31
aufer pro re nata XXX vel XXIX.				29	30
			Luna	2^a	1^a

Exem-

Exemplum ח.

Quæritur ætas Lunæ, in anno Cycli 9°

in die menſis	Thoth	Paophi	Athyr	Choiac	Choiac
in menſe dies . .	2	2	1	1	30
dimidium menſium .	0	0	1	1	1
Regularis .	1	1	1	1	1
Epactæ .	28	28	28	28	28
ſumma	31	31	31	31	60
aufer prius XXX	30	30	30	30	30
quia in anno 9° eſt Luna	1ª	1ª	1ª	1ª	30
aufer pro 4° menſe Cavo	. .	. .	. .	. .	29
				Luna	1ª

Exemplum ט.

Quæritur ætas Lunæ in anno Cycli 9°

in die menſis	Thoth	Paophi	Athyr	Choiac	Choiac
in menſe dies . . .	2	2	1	1	30
dimidium menſium .	0	0	1	1	1
ſumma	2	2	2	2	31
aufer unitatem . .	1	1		1	1
Luna	1ª	1ª	1ª	1ª	30
aufer pro 4° menſe Cavo	. .	. .	. .	. .	29
				Luna	1ª

XXXI. *Ob-*

XXXI.

Obſervatio circa illum Caſum quando, extra annum Cycli 9um, ſumma ad LX & ultra aſſurgit.

Hic Caſus in duobus tantum Cycli annis occurrit, nempe

anno Cycli 6° Embol.

Quando proponitur dies Pauni 30us
— — — — Epiphi 30us
— — — Meſori 29us & 30us

&

anno Cycli 17° Embol.

Quando proponitur dies Phamenoth 30us
— — — — Pharmuthi 30us
— — — Pachon 30us
— — — — Pauni 29us, & 30us
— — — Epiphi 29us, & 30us
— — — — Meſori 28us, 29us, 30us

Hoc in Caſu primo pro re nata XXX vel XXIX auferri debent, & deinde ab eo, quod tum remanet, iterum pro re nata XXX vel XXIX auferri debent, ſed ordine inverſo, ita ut ubi primo abſtuleris XXX, deinde auferas XXIX, & ubi primo abſtuleris XXIX, deinde auferas XXX.

Vel, quod eodem redit, hoc in Caſu ſemper auferri debent LIX.

Excipitur tantum, quando in anno Cycli 17°, proponitur dies Phamenoth 30us, ubi poſt primam Tricenarii ablationem, id quod remanet exprimit ætatem Lunæ in die propoſito, juxta Regulam.

XXXII.

Exempla, in quibus, extra annum 9^um^, summa ad LX & ultra assurgit.

Exemplum circa annum Cycli 6^um^ Embol.

Quæritur ætas Lunæ

in die mensis	Pauni	Epiphi	Mesori
in mense dies	30	30	30
dimidium mensium . .	4	4	5
Regularis .	1	1	1
Epactæ . .	25	25	25
summa . .	60	60	61
aufer primo pro re nata .	30	29	30
remanet	30	31	31
aufer deinde pro re nata .	29	30	29
Luna	1^a^	1^a^	2^a^

NB. Eodem rediisset, si statim a summa abstulisses LIX.

Exemplum circa annum Cycli 17^um^ Embol.

Quæritur ætas Lunæ

in die mensium	Pham.	Pharm.	Pachon.	Pauni	Epiphi	Mesori
in mense dies	30	30	30	30	30	30
dimid. mensium	3	3	3	4	4	5
Regularis .	1	1	1	1	1	1
Epactæ .	26	26	26	26	26	26
summa	60	60	60	61	61	62
aufer primo	30	30	29	30	29	30
Luna	30^a^	30	31	31	32	32
aufer porro		29	30	29	30	29
Luna		1^a^	1^a^	2^a^	2^a^	3^a^

NB. Eodem rediisset si statim a summa abstulisses LIX.

XXXIII.

XXXIII.

Methodi hujus quartæ mentio apud S. Maximum.

S. Maximus in Computo Paſchali Parte 3ª, Cap. 8°, cujus hæc inſcriptio eſt: Πῶς δεῖ τὴν ἡμέραν τῆς σελήνης ψηφίζειν, hanc Methodum proponit.

Κρατοῦμεν τὰς ἐπακτὰς τῆς σελήνης.
Καὶ τὴν τοῦ ἐνεστῶτος Αἰγυπτιακοῦ μηνὸς ποσιαίαν.
Καὶ τὸ ἥμισυ τῶν μηνῶν τῶν ἀπὸ Θὼθ.
Καὶ μίαν Καθολικήν.
Καὶ εἰ μὲν λ″ ταύτας εὑρήσομεν, ἢ παρὰ τὰς λ″, τοσαύτας ἔχουσαν τὴν σελήνην γινώσκομεν.
Εἰ δὲ ὑπὲρ τὰς λ″, ἐκείνας πάλιν, μετὰ τὴν ὑφαίρεσιν αὐτῶν τῶν τριάκοντα.

Et iterum paulo poſt eodem Capite, poſtquam monſtraſſet modum inveniendi Epactas Lunares annuas, ſic pergit:

Κρατοῦμεν τοίνυν, ὡς ἔφην, illas Epactas.
Καὶ τὴν ποσιαίαν τοῦ ἐνεστῶτος Αἰγυπτιακοῦ μηνὸς;
Καὶ τὸ ἥμισυ τῶν μηνῶν τῶν ἀπὸ Θὼθ.
Καὶ μίαν Καθολικήν.
Καὶ εἰς τὰς λ″ τὰς ὅλας μερίζομεν.

XXXIV.

Obſervatio ad præcedentem §um.

Hæc Methodus a Maximo propoſita eſt ipſiſſima Methodus quarta in præcedentibus fuſe expoſita.

Sed in eo errat Maximus, quando a ſumma collecta, ſi ultra XXX aſſurgat, ſemper jubeat auferri XXX.

Et quando dicit, ſummam collectam, ſi XXX conficiat, aut infra XXX ſubſiſtat, exprimere ætatem Lunæ in die propoſito, etiam errat.

Neutrum enim univerſaliter verum eſt, ut ex præcedentibus ad oculum patet. Vide Exempla, & Regulam, §° 30 & 24.

Verum quidem eſt plerumque, & ſemper quando dies propoſita occurrit in menſe Phamenoth, quæ maximam partem menſi Martio reſpondet; & in ſpecie verum eſt, ſemper quando dies Pharmuthi 5us proponitur, qui reſpondet diei Martii 31°, cui diei Maximus Epactas ſuas alligavit.

Et hinc forte error Maximi natus eſt.

 XXXV.

XXXV.

Methodi hujus quartæ mentio apud Anonymum a Muratorio editum.

Anonymus, quem Muratorius edidit inter Anecdota Latina, Tomo 3°, in Libro de Computo, Capitulo 76°, ubi inter alia proponit Methodum ad inveniendam ætatem Lunæ in die Paſchali, hæc habet: *De qua re juxta Ægyptiorum argumenta veracia, talis ſupputationis probantur adhibuiſſe compendium. Ponunt in primis Epactas, id eſt adjectiones Lunares, quæ per hanc Indictionem IV, XXIII ſunt. In his adjiciunt IV, id eſt medietatem numeri VIII menſium a Septembri ſcilicet uſque ad April., fiunt XXVII. Super his addunt & quota die menſis Paſcha contingat, id eſt a Kal. Maj. dies XIX, & quia V dies Ægyptii præire noſcuntur; ſunt ſimul XXIV, & ita LI omnis ſumma colligitur. Ex his ſubtrahunt XXX, remanent XXI. Ipſe eſt numerus Lunæ Paſchalis.*

XXXVI.

Obſervatio ad præcedentem §um.

In his Anonymi verbis ſatis clare occurrit Methodus illa Alexandrinorum, quam quarto loco exhibuimus.

Sed etiam patet in his verbis varios errores occurrere, vel culpa Librariorum, vel ipſius Auctoris, quales & plures in ejus Computo deteximus.

Agitur de Paſchate anno Chriſti 811, (quo circiter tempore Auctor hunc Librum de Computo edidit) ut ex collatione Capituli 74 patet.

Hoc anno Chriſti 811 Paſcha contigit die Apr. 13, Luna XVa, anno Cycli Lunæ 14°, qui habet Epactas XXIII. Indictione IVa.

Contigit itaque hoc Paſcha in die Pharmuthi 18°, Luna XVa.

Quæritur itaque juxta Methodum quartam, ætas Lunæ, in die Pharmuthi 18°, in quo Paſcha contigit anno Chriſti 811, anno Cycli 14°.

Epactæ anno Cycli 14° ſunt 23
dimidium VII menſium a Thoth ad Pharmuthi excluſive, eſt . . . 3
Regularis 1
4
27

Ποςιαία menſis, id eſt in menſe Pharmuthi dies 18

omnis ſumma . . . 45
ſubtrahe . . . 30
remanent 15

Adeoque in die Paſchæ, Pharmuthi 18° eſt Luna XV.

Quæritur juxta Methodum Anonymi ætas Lunæ in die April. 13°, in quo anno Chriſti 811 Paſcha contigit anno Cycli 14°.

Epactæ anno Cycli 14° ſunt 23
dimidium VIII menſium a Septembri (Thoth) ad Aprilem (Pharmuthi), incluſive 4
27

Quota menſis, id eſt a Kal. Apr. uſque ad diem propoſitum, dies . . 13
& quia V dies Ægyptii præire probantur, hoc eſt, quia Pharmuthi Ægyptiorum V diebus ante Aprilem Romanorum (qui in hoc Computo cum Pharmuthi comparatur) init . . 5
18

omnis ſumma . . 45
ſubtrahe . . . 30
remanent 15

Adeoque in die Paſchæ, April. 13°, Luna XV.

Quid si Auctor anonymus hæc excerpserit ex alio auctore, qui agebat de Paschate anno Christi 716, Indictione non IVa, sed XIVa.

Tum legendum, Quæ per hanc Indictionem *XIV*, XXIII sunt.

Item legendum, Super his addunt & quota die mensis Pascha contingat, id est a *XIII* Kal. Maji, dies XIX.

Reliqua tum recte se habent.

Nam Pascha anno Christi 716, Cycli 14° contingit a XIII Kal. Majarum, hoc est, Aprilis die 19°, mensis Pharmuthi die 24°, Luna XXIa.

Quæritur ætas Lunæ in Pharmuthi die 24° anno Cycli 14°.

Epactæ sunt		23
dimidium VII mensium a Thoth ad Pharmuthi exclusive	3	
Regularis	1	
	4	27
Ποσιαία seu quota mensis Pharmuthi, qua Pascha contingit, hoc est in mense Pharmuthi dies		24
omnis summa . .		51
subtrahe : .		30
		Luna 21a Pasch.

Quæritur ætas Lunæ in Apr. die 19°, anno Cycli 14°.

Epactæ sunt		23
dimidium VIII mensium a Septembri (Thoth) usque ad Aprilem (Pharmuthi) inclusive . . .		4
		27
Quota die mensis Pascha contingit, id est a XIII Kal. Maj. (Apr. 19) adeoque dies	19	
& quia mensis Pharmuthi, qui in hoc Computo cum Aprili comparatur, V diebus ante Aprilem init	5	
		24
omnis summa . .		51
subtrahe . .		30
		Luna 21a Pasch.

XXXVII.

Observatio ad præcedentem §^{um}, de Compendio calculi in Methodo quarta ab Anonymo adhibita.

Notandum, quod Anonymus, vel Auctor antiquior, ex quo Anonymus hæc excerpsit, propter compendium calculi, ut evitetur adjectio Καθολικῆς μίας, hoc est, *unius Regularis*, in numero mensium a Septembri (Thoth) usque ad mensem propositum, cujus medietas, seu dimidium sumitur, includere mensem propositum.

XXXVIII.

Methodus quinta, in qua Computus instituitur per Epactas menstruas, sive per ætatem Lunæ in primo die mensium in anno Cycli 1°.

Hæc Methodus quinta dupliciter considerari potest, pro diversa acceptione *Epactarum menstruarum.*

Si per Epactas menstruas intelligas ætatem Lunæ in ultimo die mensium in anno Cycli 1°, tum illa ætas Lunæ, quæ in ultimo die mensis præcedentis occurrit, erit *Epacta mensis sequentis.* Et tum, ad inventionem ætatis Lunæ in quolibet anni die, ad has Epactas menstruas adjici debent, præter Epactas annuas, omnes dies in mense proposito usque ad diem propositum *inclusive.*

Si vero per Epactas menstruas intelligas ætatem Lunæ in primo die mensium Ægyptiacorum in anno Cycli 1°, tum illa ætas Lunæ, quæ in primo die mensium occurrit, dicitur *Epacta istius mensis:* & tum, ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die, ad has Epactas menstruas adjici debent, præter Epactas annuas, omnes dies in mense proposito usque ad diem propositum *exclusive*, seu omnes dies in mense proposito usque ad diem propositum *inclusive*, *uno dempto.*

Priores magis proprie Epactæ vocantur. Posteriores magis proprie Ποσιαῖαι vel quotæ Kalendar. vel ætates Lunæ in primo mensium die anno Cycli 1° dicuntur, & ad inveniendam ætatem Lunæ in primo die mensium per reliquos Cycli annos, pro *Regularibus* assumuntur, si enim his adjeceris Epactas annuas, summa indicabit ætatem Lunæ in Kalendis mensium per reliquos Cycli annos.

Ego

Ego priores in ſequentibus vocabo *Epactas menſium, vel menſtruas*; poſteriores vero vocabo *Regulares menſium vel menſtruas*.

Epactæ menſium conflantur ex προσθέταις Methodi 3ᵃ, ſeu dimidio menſium a Thoth uſque ad propoſitum excluſive, Methodi 4ᵃ, & ex illa Καθολικῇ μίᾳ ſeu Regulari una.

Regulares menſium præterea adjectam habent diem primam menſis ſequentis; ſive exprimunt ætatem Lunæ in primo die menſium in anno Cycli 1°, ope Methodi 1ᵃ, 2ᵃ, 3ᵃ, vel 4ᵃ jam inventam: & ſunt unitate majores, quam Epactæ menſium.

XXXIX.

Regula hujus Methodi ſi adhibeantur Epactæ priores, quas Epactas menſium voco.

Sume dies menſis propoſiti uſque ad diem propoſitum *incluſive*.

His adde Epactas menſis propoſiti.

Deinde adjice Epactas anni dati in Cyclo.

Et ab hac ſumma, quando ultra XXX aut XXIX aſſurgit, aufer pro re nata XXX aut XXIX.

XL.

Collatio hujus Methodi cum præcedentibus.

Hæc Methodus plane coincidit cum tertia & quarta: & tantum in eo differt, quod hic, compendii calculi gratia, προσθέται Methodi 3ᵃ, ſeu, quod idem eſt, dimidium menſium elapſorum Methodi 4ᵃ, & illa Καθολικὴ μία, ſeu Regularis una Methodi 3ᵃ & 4ᵃ, in unam ſummam conflentur, & ſimul ſumptæ, in hac Methodo, nomine *Epactarum menſtruarum* veniant.

XLI.

Cautelæ & monita circa hanc Methodum.

Eadem cautela circa annos Embolimæos, & annum Cycli 9ᵘᵐ, & idem monitum, quando a ſumma Collecta auferri debeant XXX, quando vero XXIX, hic obtinent, ac in Methodo 3ᵃ & 4ᵃ.

XLII. Ka-

XLII.

Κανόνιον *seu Tabella exhibens Epactas mensium.*

anno Cycli 1°		Ætas Lunæ		Mensis	Epactæ	
in die	5° Epagom.	I^a	adeoque	Thoth	1.	
——	30° Thoth	I^a	——	Paophi	1.	
——	30° Paophi	II^a	——	Athyr	2.	
——	30° Athyr	II^a	——	Choiac	2.	
——	30° Choiac	III^a	——	Tybi	3.	
——	30° Tybi	III^a	——	Mechir	3.	
——	30° Mechir	IV^a	——	Phamen.	4.	in annis
——	30° Phamenoth	IV^a	——	Pharm.	4.	Embol.
——	30° Pharmuthi	V^a	——	Pachon	5.	4.
——	30° Pachon	V^a	——	Pauni	5.	
——	30° Pauni	VI^a	——	Epiphi	6.	5.
——	30° Epiphi	VI^a	——	Mesori	6.	
——	30° Mesori	VII^a	——	Epagom.	7.	6.

XLIII.

Modus inveniendi Epactas mensium absque ope Κανονίȣ, *seu Tabellæ.*

1^us Modus. Numerum mensium Ægyptiacorum a Thoth usque ad propositum *exclusive*, divide per Binarium, & Quotienti adjice unitatem, & habebis Epactas mensis propositi.

2^us Modus. Qui tantum in mensibus *paribus*, 2°, 4°, 6°, 8° &c. obtinet, numerum mensium Ægyptiacorum a Thoth usque ad mensem propositum *inclusive*, divide per Binarium, & quotiens exprimet Epactas mensis propositi.

Anonymus, a Muratorio editus, in Libro de Computo, Capit. 76, hoc 2° modo utitur. * Vide præced. §^um 35^um, 36^um, & 37^um.

Memento Epactas mensium Pachon, Epiphi, & Epagomenôn, in annis Embolimæis unitate minuere.

XLIV.

Regula hujus Methodi si adhibeantur Epactæ posteriores, quas Regulares mensium voco.

Sume dies mensis propositi usque ad diem propositum inclusive, *uno dempto*, seu, quod idem est, sume dies mensis propositi usque ad diem propositum *exclusive*.

His adde Regulares mensis propositi.

Et præterea adjice Epactas anni dati.

Et ab hac summa, quando ultra XXX aut XXIX assurgit; aufer pro re nata XXX aut XXIX.

XLV.

Collatio hujus Methodi cum præcedentibus.

Hæc Methodus etiam plane coincidit cum tertia & quarta: & tantum eo differt, quod hic, propter Compendium calculi, προσθέται seu dimidium mensium elapsorum, & illa Regularis una, in unam summam colligantur, eique dies primus mensium adjiciatur, & hæc simul sumpta pro Regularibus mensium habeantur: vel, quod eodem redit, in eo tantum differt, quod hic ætas Lunæ in primo die mensium Ægyptiacorum in anno Cycli 1°, jam per Methodum tertiam vel quartam &c. inventa supponatur, & pro Regularibus mensium habeatur.

XLVI.

Cautelæ & monita circa hanc Methodum.

Eadem cautela circa annos Embolimæos, & annum Cycli 9^{um}, & idem monitum, quando pro re nata XXX vel XXIX a summa collecta auferri debeant, hic obtinent, ac in Methodo 3^{a} & 4^{a}.

XLVII.

Κανόνιον seu Tabella exhibens ætates Lunæ in primo die mensium Ægyptiacorum anno Cycli 1°, quæ pro Regularibus mensium assumuntur.

anno Cycli 1°		Ætas Lunæ		Mensis	Regulares	
in die	1° Thoth .	IIa	adeoque	Thoth	2.	
——	1° Paophi .	IIa	——	Paophi	2.	
——	1° Athyr .	IIIa	——	Athyr	3.	
——	1° Choiac .	IIIa	——	Choiac	3.	
——	1° Tybi .	IVa	——	Tybi	4.	
——	1° Mechir .	IVa	——	Mechir	4.	
——	1° Phamenoth	Va	——	Phamen.	5.	in annis
——	1° Pharmuthi	Va	——	Pharm.	5.	Embol.
——	1° Pachon .	VIa	——	Pachon	6.	. . 5.
——	1° Pauni .	VIa	——	Pauni	6.	
——	1° Epiphi .	VIIa	——	Epiphi	7.	. . 6.
——	1° Mesori .	VIIa	——	Mesori	7.	
——	1° Epagom.	VIIIa	——	Epagom.	8.	. . 7.

XLVIII.

Modus inveniendi Regulares mensium absque ope Κανόνιε, *seu Tabellæ.*

Numerum mensium Ægyptiacorum a Thoth usque ad propositum *exclusive*, divide per Binarium, & quotienti adjice Binarium, & habebis Regulares mensis propositi.

Memento *Regulares* mensium *Pachon*, *Epiphi*, & *Epagomenôn* in annis Embolimæis unitate minuere.

XLIX.

Usus hujus Methodi per Regulares mensium ad inveniendam ætatem Lunæ in primo die mensium per totum Cyclum.

Hujus Methodi usus expeditus & creber est ad inveniendam quotam Kalendarum, seu ætatem Lunæ in primo die mensium per totum Cyclum.

Eum in finem enim tantum Regularibus mensium addendæ sunt Epactæ annuæ, & ab hac summa, quando illa ultra XXX aut XXIX assurgit (quod tamen rarius contingit) auferri debent, pro re nata, XXX, aut XXIX.

L.

Mentio hujus Methodi apud Anonymum in Computo.

Anonymus, a Muratorio editus, in Libro de Computo, Capit. 22°, p. 126. *Si vis scire Epactas in Kal. XII mensium, scias quot Regulares habet unusquisque mensis, incipiens a Septembri, quia ille est principium anni, & principium mensium apud Ægyptios: in principio Septembris mutant Ægyptii Epactas, & illas Epactas primas, quas Ægyptii habent in principio Cycli in Kal. XII mensium, nos Regulares habemus; V. G. a Sept. V. Octob. V. insunt, ergo Regularibus additis Epactis, quæcunque fuerint in XI Kal. Apr. quolibet anno invenies Epactas in Kal. XII mensium.*

Confer Capit. 3um, N° 5.

Hic per *Epactas* in Kal. XII mensium intelligit ætatem Lunæ in Kal. XII mensium, & videtur innuere, quod Ægyptii ætatem Lunæ in primo die XII mensium in anno Cycli 1°, quam pro Regularibus assumebant, vocaverint nomine Epactarum: per Epactas autem, quæ sunt in die XI Kal. April. intelligit Epactas annuas.

LI.

Mentio hujus Methodi per Regulares mensium apud Bedam.

Beda in Lib. de Natura rerum & Ratione temp. C. 20. in fine: *Non autem transitorie commemorandum, quod hoc argumentum* (ad inveniendam ætatem Lunæ in Kal. quasque) *a Septembri quidam incipiant, ponentes eidem Septembri Regulares V, Octob. V, Novemb. VII, Decemb. VII, &c. ut supra nos posuimus. Quod ob auctoritatem Ægyptiorum rationabiliter prorsus agunt; ut a quibus origo computandi sumpta est, horum quoque in computando anni principium imitentur.*

Ob-

Observa annum Ægyptiacum incipere ab Aug. 29°, adeoque tribus diebus ante Septembrem, ac proinde, quia in die Thoth 1° Luna 2^da^ est, in die Septemb. 1° fore Lunam 5^am^.

Confer & antecedentia apud Bedam verba: *Si enim ipsum argumentum juxta Ægyptios a Septembri mense, ubi principium est anni eorum, inchoaveris; &c.*

L I I.

Vestigia hujus Methodi per Epactas mensium apud Heraclium.

Heraclius Imp. in Methodo sua Paschali, ad inveniendas Lunas XIV Paschales, jubet Epactis Lunæ annuis semper addere *octo dies*, hoc est, *Epactas mensis Martii*, & deinde huic summæ addere tot dies quot requiruntur ad complendum numerum XLIV.

Mensis Phamenoth habet Epactas IV, ut ex præcedente §° 42 patet.

Mensis Martius init in mensis Phamenoth die 5°: adeoque quatuor diebus serius.

Unde sequitur mensem Martium habere Epactas VIII.

Vide nostras in Methodum Paschal. Heraclii observ.

L I I I.

Vestigia hujus Methodi per Regulares mensium apud Cyrillum.

Cyrillus Alexandrinus in sua ad Leonem Papam Epistola de Paschate anni Christi 444, hanc Methodum per Regulares mensium præscribit.

Cavendum est (inquit) *ne faciamus Pascha anni Embolismi in anno Communi, & Communis in Embolismo. Debemus enim investigare Epactas Lunares in mensibus totius anni, ut celebremus Pascha in Luna primi mensis, in principio anni post veris exordium. Sol enim ipse quotidie terra marique pariter cluditur in fine diei & in diei initio aperitur. Et finit Sol*

curſum totius anni in XII Kalendas Aprilis ; & Lunaris globi plenitudo vel diminutio, digitorum motu, rationis magiſterio, & calculi ſupputatione aliqua prævidetur : ut numeremus XII^a tantum Lunas juxta ſupputationem Legalem Hebræorum in anno Communi, & XIII in Emboliſmo ſecundum computationem dierum.

Vide quæ ad horum verborum & hujus Methodi explicationem notamus in Obſervationibus ad hanc Cyrilli Epiſtolam, §° 11.

PARS

PARS SECUNDA
DE
COMPUTO LUNARI ALEXANDRINORUM.

Ad inveniendas Lunas XIV^as Paſchales dato anno Cycli, & ejus anni Epactis.

I.

Computi Lunaris ad inveniendas Lunas XIV^as Paſchales modus primus.

I*Nquirebant primo* (juxta Methodos ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die propoſito) *ætatem Lunæ in Phamenoth die 26, hoc eſt, XI Kal. Aprilis, ſeu Martii die 22.*

Deinde huic ætati Lunæ in die Phamenoth 26° jam inventæ adjiciebant tot dies Lunares, ut ſumma exurgat ad 14, quando 14 non excedit, aut ad 44, quando 14 excedit. *Excepto* anno Cycli 16°, in quo ab ætate Lunæ in die Phamenoth 26° inventa, quæ eſt 15, auferebant unitatem.

Et dies ille, in quo numerus complementi (a Phamenoth die 26° excluſive numeratus) terminatur, eſt Luna XIV^a Paſchalis. *Excepto* anno Cycli 16°, in quo Luna XIV^a Paſchalis diem Phamenoth 26^um proxime præcedit.

II. *Exem-*

I I.

Exemplum primum, juxta Methodum inveniendi ætatem Lunæ in quolibet anni die, generaliorem.

in anno Cycli	1^{o}	2^{o}	3^{o}	4^{o}	5^{o}	6^{o}	7^{o}	8^{o}
a Thoth ad Pham. excl.	180	180	180	180	180	180	180	180
in Phamenoth dies .	26	26	26	26	26	26	26	26
una Catholica . .	1	1	1	1	1	1	1	1
Epactæ annuæ . .	0	11	22	3	14	25	6	17
ſumma	207	218	229	210	221	232	213	224
auf. 6 menſ. Lun. elapſ.	177	177	177	177	177	177	177	177
Reliquum	30	41	52	33	44	55	36	47
auf. pro 7^{o} menſe Lun.	30	30	30	30	30	30	30	30
ætas Lun. in Pham. 26^{o}	0	11	22	3	14	25	6	17
complementum .	14	3	22	11	0	19	8	27
ſumma	14	14	44	14	14	44	14	44
auf. pro 8^{o} menſe Lun.	.	. .	30	. .	. .	30	. .	30
			14			14		14
	Phar. 10	Pham. 29	Phar. 18	Phar. 7	Pham. 26	Phar. 15	Phar. 4	Phar. 23

erit Luna XIV Paſchalis.

& ſic porro.

III.

Exemplum secundum, juxta Methodum inveniendi ætatem Lunæ in quolibet anni die per dimidium mensium.

in anno Cycli	1°	2°	3°	4°	5°	6°	7°	8°
dimidium 6 mensium	3	3	3	3	3	3	3	3
in Pham. dies . .	26	26	26	26	26	26	26	26
una Catholica . .	1	1	1	1	1	1	1	1
Epactæ annuæ . .	0	11	22	3	14	25	6	17
summa	30	41	52	33	44	55	36	47
aufer pro 7° mense .	30	30	30	30	30	30	30	30
ætas Lun. in Pham. 26°	0	11	22	3	14	25	6	17
complementum . .	14	3	22	11	0	19	8	27
summa	14	14	44	14	14	44	14	44
auf. pro 8° mense . .	. .	. .	30	. .	. .	30	. .	30
			14			14		14
	Pharmuthi 10.	Phamenoth 29.	Pharmuthi 18.	Pharmuthi 7.	Phamenoth 26.	Pharmuthi 15.	Pharmuthi 4.	Pharmuthi 23.

erit Luna XIV Paschalis.
& sic porro.

IV.

Observationes ad §um 2 & 3.

Ex utroque exemplo, quod supra §° 2° & 3° proposuimus, imprimis autem ex exemplo primo patet

1° Quod in anno Cycli 1°, ætas Lunæ in Phamenoth die 26° videa-

 tur

tur esse *nulla*. Sed notandum, ætatem Lunæ in Phamenoth die 26° revera esse XXX^am^. dies enim Phamenoth 26^us^ est, ab Epagomena V^a^ inclusive dinumeratus, dies est 207^us^, seu mensis Lunaris 7^mi^ pleni dies ultimus, hoc est, 30^us^. Sed propter compendium calculi dicitur *nulla*.

2° Quod in anno Cycli 1°, 2°, 3°, 4°, 5°, 6°, 7°, 8°, & in reliquis omnibus Cycli annis, *ætas Lunæ in Phamenoth die 26° plane conveniat atque eadem sit cum Epactis annuis, hoc est, cum ætate Lunæ in Epagomena IV^a^*. Cujus rei ratio hæc est, quod ab Epagomena IV^a^ usque ad Phamenoth diem 26^um^ intercedant dies præcise 207, seu menses Lunares septem, quatuor Pleni & tres Cavi. Accedit, quod in anno Cycli 1°, sicut Epagomena IV^a^ proxime præcedit Neomeniam primam, quæ in Epagomenam V^am^ incidit, sic etiam Phamenoth dies 26^us^ proxime præcedat Neomeniam octavam, quæ in Phamenoth diem 27^um^ incidit, & Paschalis est.

3° Quod forte has ob causas, ad inveniendum Lunas XIV^as^ Paschales, inquisiverint ætatem Lunæ in Phamenoth die 26°.

V.

Compendium in Computi Lunaris modo primo, ad inveniendas Lunas XIV^as^ Paschales adhibitum.

Cape Epactas annuas, cum quibus ætas Lunæ in Phamenoth die 26° plane convenit.

His adde complementum, ut summa exurgat ad 14, quando 14 non excedunt, aut ad 44, quando 14 excedunt. Excepto anno Cycli 16°, in quo Epactæ annuæ sunt 15, a quibus unitas est auferenda.

Et dies ille, in quo numerus complementi (a die Phamenoth 26° exclusive dinumeratus) terminatur, erit Luna XIV^a^ Paschalis. Excepto anno Cycli 16°, in quo Luna XIV^a^ Paschalis diem Phamenoth 26^um^ proxime præcedit.

VI.

Exemplum tertium cum Calculi compendio.

in anno Cycli	9°	10°	11°	12°	13°	14°
Epactæ annuæ	28	9	20	1	12	23
complementum	16	5	24	13	2	21
ſumma	44	14	44	14	14	44
aufer pro 8° menſe	(30)	. .	30	. .	. .	30
	14		14			14
	Phar.	Phar.	Phar.	Phar.	Pham.	Phar.
	12	1	20	9	28	17

erit Luna XIV Paſchalis.
& ſic porro.

VII.

Exemplum quartum cum Calculi compendio.

in anno Cycli	15°	16°	17°	18°	19°
Epactæ annuæ	4	15	26	7	18
complementum	10	aufer 1	18	7	26
ſumma	14	14	44	14	44
aufer pro 8° menſe	. .	. .	30	. .	30
			14		14
	Phar.	Pham.	Phar.	Phar.	Phar.
	6	25	14	3	22

erit Luna XIV Paſchalis.

VIII.

Obſervationes ad præcedentia.

1ª Ex præcedentibus exemplis patet, quod Epactæ annuæ ſeu ætas Lunæ in Phamenoth die 26°, numerum 14 excedant, & ad 44 com-

 pleantur

pleantur in ſeptem annis Embolimæis, anno ſcilicet Cycli 3°, 6°, 8°, 11°, 14°, 17°, & 19°, & in his ſeptem annis, Luna XIVª Paſchalis in 9ᵘᵐ menſem Lunarem incidit.

2ª Idem videtur fieri in anno Cycli 9° : ſed videtur tantum. annus enim 9ᵘˢ revera init in Thoth die 2°, ſed in Computo conſideratur ac ſi iniret in Meſori die 7°. Vide quæ notamus in Diſſertatione de Computo Lunari Alexandrinorum ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die propoſito, §° 8. de Cautela circa annum Cycli 9ᵘᵐ.

3ª Quod in anno Cycli 16°, ubi Epactæ ſeu ætas Lunæ in die Phamenoth 26° eſt XVª, inde unitas auferatur, hoc inde eſt, quia in illo anno 16° occurrit citima Luna XIVª Paſchalis, quæ in diem Æquinoctii, qui eſt dies Phamenoth 25ᵘˢ, incidit.

4ª Ex præcedentibus exemplis patet, quod in annis Cycli Embolimæis 3°, 6°, 8°, 11°, 14°, 17°, 19°, menſis Lunaris 7ᵘˢ & 8ᵘˢ ſint ambo pleni dierum 30: unde ſequitur, quod in Alexandrinorum Enneadecaëteride menſis Embolimæus menſem Paſchalem immediate præcedat, ſitque dierum XXX.

IX.

Quinam veterum hujus primi modi ad inveniendas Lunas XIVᵃˢ Paſchales meminerint.

Nullam hujus primi modi, ad inveniendas Lunas XIVᵃˢ Paſchales, mentionem apud veteres deprehendi.

Niſi forte quis putet ejus indicium latere in Bedæ verbis, quando dicit, *Epactarum locum proprium eſſe diem XI Kal. Aprilium*, qui eſt dies Phamenoth 26ᵘˢ.

Imo *Beda*, de Natura rerum & Temporum ratione, C. LX *hunc primum modum ad inveniendas Lunas XIVᵃˢ Paſchales, cum Calculi compendio, proponit.* Confer C. L.

X.

Computi Lunaris ad inveniendas Lunas XIVᵃˢ Paſchales modus ſecundus.

Inquirebant primo ætatem Lunæ in Pharmuthi die 1° in anno Cycli 1°, quæ invenitur eſſe Vᵗᵃ: atque hac ætate Lunæ tanquam Regulari menſis Pharmuthi utentes, per additionem Epactarum annuarum inquirebant ætatem Lunæ in Pharmuthi die 1° in reliquis Cycli annis, quæ inveni-

invenitur in anno Cycli 2°, V + XI, hoc eſt, 16. In anno Cycli 3°, V + XXII, hoc eſt, 27. In anno Cycli 4°, V + III, hoc eſt, 8, & ſic porro.

Deinde huic ætati Lunæ in Pharmuthi die 1°, jam inventæ, adjiciebant tot dies Lunares, ut compleretur numerus dierum 14, quando ætas Lunæ in Pharmuthi die 1° numerum dierum 14 non excedebat; aut adjiciebant tot dies Lunares, ut compleretur numerus dierum 44, quando ætas Lunæ in Pharmuthi die 1° numerum dierum 20 excedebat: vel ab hac ætate Lunæ auferebant tot dies Lunares, ut relinqueretur numerus dierum 14, quando illa ætas Lunæ in Pharmuthi die 1° ultra numerum dierum 14 aſſurgebat, & numerum dierum 20 non excedebat.

Et dies ille, in quo numerus complementi (a Pharmuthi die 1° excluſive dinumeratus) terminatur, eſt Luna XIV^{a} Paſchalis. Vel, quando ablatio locum habet, dies ille, in quo numerus dierum ablatus (a Pharmuthi die 1° incluſive retronumeratus) terminatur, eſt Luna XIV^{ta} Paſchal.

X I.

Exemplum primum modi ſecundi.

in anno Cycli . .	1°	2°	3°	4°	5°
ætas Lunæ in Pharm. 1°,	5	16	27	8	19
complementum	9	auf. 2	17	6	auf. 5
	14	14	44	14	14
aufer pro 8° menſe . . .	. .	. .	30	. .	. .
			14		
	Phar. 10	Pham. 29	Phar. 18	Phar. 7	Pham. 26

erit Luna XIV^{a} Paſchalis.

in anno Cycli . .	6°	7°	8°	9°	10°
ætas Lunæ in Pharm. 1°,	30	11	22	3	14
complementum	14	3	22	11	0
	44	14	44	14	14
aufer pro 8° menſe . . .	30	. .	(30)	. .	. .
	14		14		
	Phar. 15	Phar. 4	Phar. 23	Phar. 12	Phar. 1

erit Luna XIV^{a} Paſchalis.

 in-

in anno Cycli . .	11°	12°	13°	14°	15°
ætas Lunæ in Pharm. 1°,	25	6	17	28°	9
complementum	19	8	auf. 3	16	5
	44	14	14	44	14
aufer pro 8° menſe . . .	30	. . .	. . .	30	. .
	14			14	
	Phar.	Phar.	Pham.	Phar.	Phar.
	20	9	28	17	6

erit Luna XIV^ta Paſchalis.

in anno Cycli . .	16°	17°	18°	19°
ætas Lunæ in Pharm. 1°,	20	1	12	23
complementum . . aufer	6	13	2	21
	14	14	14	44
aufer pro 8° menſe . . .	. . .	. . .	. . .	30
				14
	Pham.	Phar.	Phar.	Phar.
	25	14	3	22

erit Luna XIV^ta Paſchalis.

XII.

Obſervationes ad §^um 11.

1^a Ex hoc Computo patet, quod ætas Lunæ in Pharmuthi die 1° numerum dierum 20 excedat, & ad numerum dierum 44 compleatur, in ſex annis Embolimæis, anno ſcilicet Cycli 3°, 6°, 8°, 11°, 14°, & 19°, & in his ſex Cycli annis Luna XIV^a Paſchalis in 9^um menſem Lunarem incidit.

2^a Excipitur, ut videtur, annus Cycli 17^us, qui Embolimæus eſt: ſed notandum, quod dies Pharmuthi 1^us in hoc anno Cycli 17° ſit anni Lunaris dies 238^us, ſeu menſis Lunaris Noni dies 1^us. Vide ſupra §° 7.

3^a Circa annum Cycli 9^um, qui videtur Embolimæus, cum revera non ſit: vide quæ obſervavimus ſupra §° 8, obſervatione 2^a.

4^a Quod in anno Cycli 2°, 5°, 13°, & 16°, ubi ætas Lunæ in die Phar-

Pharmuthi 1°, eſt 16, 19, 17, & 20. adeoque ultra numerum 14 aſſurgit, & numerum 20 non excedit, tot dies auferantur, ut relinquatur numerus dierum 14, nititur hoc fundamento, quod Luna XIVª Paſchalis citima in Æquinoctii diem, hoc eſt, Phamenoth diem 25um incidens, in die Pharmuthi 1° fit XXª; adeoque ablatio locum habere non poteſt, quando ætas Lunæ in Pharmuthi die 1° Lunam XXam excedit.

XIII.

Quinam veterum hujus ſecundi modi ad inveniendas Lunas XIVas Paſchales meminerint.

Hujus ſecundi modi mentionem, ut videtur, facit, eoque, ut videtur, uſus eſt Cyrillus Alexandrinus in ſua ad Leonem Papam, de Paſchate anni Chriſti 444, Epiſtola. Vide quæ notamus in Obſervationibus ad hanc Cyrilli Epiſtolam, §° 11.

XIV.

Computi Lunaris ad inveniendas Lunas XIVas Paſchales modus tertius.

Inquirebant primo Lunam XIVam Paſchalem in anno Cycli 1°, quæ invenitur eſſe Pharmuthi die 10°.

Deinde ſequentes Lunas XIVas ſemper XI diebus anticipabant, exceptis iis in annis, in quibus Luna XIVª, diebus XI anticipata, præverteret Æquinoctium vernum, diei Phamenoth 25°, hoc eſt, XII Kal. April., ſeu Martii 21° ab Alexandrinis affixum, quando ad Lunam XIVam, XI diebus anticipatam, & Æquinoctium prævertentem, dies 30 adjiciebant.

XV. *Exem-*

X V.

Exemplum.

anno Cycli	Luna XIV^ta Paſchalis		
1°	Pharmuthi 10.	Nonis April.	April. 5.
2°	Phamenoth 29.	VIII Kal. Apr.	Mart. 25.

Lunâ XIV pro anno Cycli 3°, diebus XI anticipata caderet in diem Phamenoth 18, Martii 14, ante Æquinoctium adeoque ad diem Phamenoth 18 adjiciebant 30 dies, & erit Luna XIV^a Paſchalis.

3°	Pharmuthi 18.	Idus April.	April. 13.
4°	Pharmuthi 7.	IV Non. Apr.	April. 2.
5°	Phamenoth 26.	XI Kal. Apr.	Mart. 22.

Luna XIV^a pro anno Cycli 6°, diebus XI anticipata, caderet in diem Phamenoth 15, Martii 11, ante Æquinoctium, adeoque ad diem Phamenoth 15, Martii 11 adjiciebant 30 dies, & erit Luna XIV^ta Paſchalis.

6°	Pharmuthi 15.	IV Idus Apr.	April. 10.
7°	Pharmuthi 4.	III Kal. Apr.	Mart. 30.

Luna XIV^a pro anno Cycli 8°, diebus XI anticipata, caderet in diem Phamenoth 23, Martii 19, ante Æquinoctium, adeoque ad diem Phamenoth 23, Martii 19 adjiciebant 30 dies, & erit Luna XIV^ta Paſchalis.

8°	Pharmuthi 23.	XIV Kal. Maji.	April. 18.
9°	Pharmuthi 12.	VII Idus Apr.	April. 7.
10°	Pharmuthi 1.	VI Kal. Apr.	Mart. 27.

Luna XIV^a pro anno Cycli 11°, diebus XI anticipata, caderet in diem Phamenoth 20, Martii 16, ante Æquinoctium, adeoque ad diem Phamenoth 20, Martii 16 adjiciebant 30 dies, & erit Luna XIV^ta Paſchalis.

11° Phar-

anno Cycli	Luna XIVta Paſchalis		
11°	Pharmuthi 20.	XVII Kal. Maji.	April. 15.
12°	Pharmuthi 9.	II Non. April.	April. 4.
13°	Phamenoth 28.	IX Kal. April.	Mart. 24.

Luna XIVª pro anno Cycli 14°, diebus XI anticipata, caderet in diem Phamenoth 17. Martii 13, ante Æquinoctium, adeoque ad diem Phamenoth 17. Martii 13 adjiciebant dies 30, & erit Luna XIVta Paſchal.

14°	Pharmuthi 17.	II Idus April.	April. 12.
15°	Pharmuthi 6.	Kal. April.	April. 1.
16°	Phamenoth 25.	XII Kal. April.	Mart. 21.

Luna XIVª pro anno Cycli 17°, diebus XI anticipata, caderet in diem Phamenoth 14, Martii 10, ante Æquinoctium, adeoque ad diem Phamenoth 14, Martii 10 adjiciebant 30 dies, & erit Luna XIVta Paſchalis.

17°	Pharmuthi 14.	V Idus April.	April. 9.
18°	Pharmuthi 3.	IV Kal. April.	Mart. 29.

Luna XIVª pro anno Cycli 19°, diebus XI anticipata, caderet in Phamenoth 22, Martii 18, ante Æquinoctium, adeoque ad diem Phamenoth 22, Martii 18 adjiciebant 30 dies, & erit Luna XIVta Paſchalis.

19°	Pharmuthi 22.	XV Kal. Maji.	April. 17.

XVI.

Obſervationes ad præcedentem Computum §° 15.

1ª Ex præcedenti Computo patet, quod anni in Cyclo 3us, 6us, 8us, 11us, 14us, 17us, & 19us ſint Embolimæi, & quod menſis Embolimæus ſemper ſit XXX dierum, & menſem Paſchalem immediate præcedat.

2ª Hic Computus nititur hac Regula (qua Alexandrini in Cycli Lunarum XIVarum Paſchalium conſtructione uſi ſunt) nullam Lunam XIVam, quæ Æquinoctium (quod in Phamenoth die 25°, hoc eſt, XII Kal. Apr.,

Apr., seu Martii 21° figebant) prævertit, pro Luna XIVᵗᵃ Paschali esse habendam; sed eam esse Lunam XIVᵗᵃᵐ mensis Embolimæi, adeoque eo in casu, mensem Embolimæum, XXX dierum, esse transiliendum, & sequentis mensis Lunaris Lunam XIVᵃᵐ pro Luna XIVᵃ Paschali esse assumendam.

3ª Computi Lunaris ad inveniendas Lunas XIVᵃˢ Paschales modus tertius etiam hoc modo proponi potest: inventâ Lunâ XIVᵗᵃ Paschali in anno Cycli 1°, sequentes semper XI diebus, exceptis iis in annis, in quibus Luna XIVᵗᵃ, diebus XI anticipata, Æquinoctium præverteret, quando ad Lunam XIVᵃᵐ Paschalem, quæ præcesserat, dies XIX sunt adjiciendi. Nam XI & XIX faciunt XXX. Vide Bedam, de natura rerum & temporum ratione, C. LX. in fine.

PARS

PARS TERTIA
DE
COMPUTO LUNARI ALEXANDRINORUM,

Ad inveniendum annos Cycli & Epactas.

I.

Annos Cycli inveniebant hoc modo:

ANnum Æræ Mundi *Aniani* (quæ nunc *Alexandrina* dicitur) quemcunque datum, dividebant per XIX, & hujus divisionis reliquum indicabat annum Cycli labentem in Æræ anno dato.

Exempli gratia,

Detur annus Æræ Mundi Aniani 5816us

19) 5816 (306
57
116
114
2 Reliquum.

Adeoque annus Æræ Mundi Aniani 5816us est Enneadecaëteridis Alexandrinæ, seu Cycli Lunæ Alexandrinorum annus 2us.

Hoc autem supponit annum Æræ Mundi Aniani 1um esse quoque Cycli Lunæ Alexandrinorum annum 1um.

Æræ autem Mundi Aniani annus 1^us^ (a menſe Thoth initium ſumens) init in anno Periodi Julianæ Prolepticæ 7201°, a die Auguſti 29°, & concurrit cum Per. Jul. Prolepticæ anno 7202°.

Idem dictum ſit de Æra Mundi ***Panodori***, quæ nunc ***Antiochena*** dicitur, quod ſcilicet hujus Æræ annus quiscunque datus, per XIX diviſus, in hujus diviſionis reliquo indicet annum Cycli Lunæ Alexandrinorum labentem.

II.

Annos Cycli inveniebant etiam hoc modo:

Annum Æræ *Diocletianeæ* quemcunque datum dividebant per XIX, & hujus diviſionis reliquum indicabat annum Cycli labentem in Æræ anno dato.

Exempli gratia,

Detur annus Æræ Diocletianeæ 153^us^.

19) 153 (8
152
1 Reliquum.

Adeoque annus Æræ Diocletianeæ 153^us^ eſt Enneadecaëteridis Alexandrinæ annus 1^us^.

Hoc autem ſupponit annum Æræ Diocletianeæ 1^um^ eſſe quoque Cycli Lunæ Alexandrinorum annum 1^um^.

Æræ autem Diocletianeæ annus 1^us^ (a menſe Thoth initium ſumens) init in anno Æræ Vulg. Chriſti 284° a die Aug. 29°, & concurrit cum anno Æræ Vulg. Chriſti 285°.

III.

Anni Cycli etiam inveniri poſſunt ope Æræ Vulgaris Chriſti.

Sed notandum, Cyclum Lunæ Alexandrinorum incipere anno, qui Æram Vulg. Chriſti proxime præcedit: adeoque ad annum Æræ Vulg. Chriſti datum ſemper adjiciendam eſſe unitatem, & hoc aggregatum per XIX eſſe dividendum, & hujus diviſionis reliquum indicare annum Cycli labentem in anno Æræ Vulg. Chriſti dato.

Exempli

Exempli gratia,

Detur annus Æræ Vulg. Christi 532us.

ad annum datum 532
adjice . . 1

19) 533 (28
38
153
152
1 Reliquum.

Adeoque annus Æræ Vulg. Christi 532us est annus Cycli Lunæ Alexandrinorum 1us.

I V.

Anno Cycli dato vel invento inquirebant Epactas Lunæ hoc modo:

Annum Cycli datum vel inventum, uno dempto, multiplicabant per XI, & a producto auferebant Tricenarios, & reliquum indicabat illius anni Epactas.

Exempli gratia,

Detur annus Cycli 6us

ab anno Cycli 6
aufer . . 1
5
multiplica per 11
productum 55
aufer . . 30
25 Reliquum.

Adeoque anno Cycli Lunæ Alexandrinorum 6to sunt Epactæ XXV.

Exempli gratia,

Detur annus Cycli 17us

aufer . . 1
16
multiplica per . . 11
16
16
productum 176
aufer tres Tricenarios 150
26 Reliquum.

Adeo-

Adeoque annus Cycli Lunæ Alexandrinorum 17^{us} habet Epactas XXVI.

Ab anno Cycli Lunæ dato vel invento demitur unitas, quia annus Cycli Lunæ 1^{us} habet Epactas nullas.

Multiplicatio fit per XI, quia annus Solaris annum Lunarem communem diebus XI superat.

Tricenarii auferuntur, quia in annis Embolimæis mensis Embolimus dierum XXX, proxime ante mensem Paschalem inseritur.

V.

Cyclus Epactalis Alexandrinorum.

anno Cycli	Epactæ
1	Nulla
2	XI
* 3	XXII
4	III
5	XIV
* 6	XXV
7	VI
* 8	XVII
9	XXVIII
10	IX
* 11	XX
12	I
13	XII
* 14	XXIII
15	IV
16	XV
* 17	XXVI
18	VII
* 19	XVIII

V I.

Observationes ad Cyclum Epactalem Alexandrinorum.

1^{a} Epactæ Alexandrinorum annuæ sunt *simplices* & *proprie dictæ.*

2^{a} Oriuntur enim ex simplici consideratione anni Solaris formæ Julia-

næ

næ (qualis est annus Ægyptiacus fixus) communis, dierum 365, non consideratis diebus intercalaribus, in relatione ad cursum Lunæ, prout ille a Christianis Alexandrinis in Enneadecaëteride ordinatus erat: quod nempe annum Lunarem communem, 354 dierum, XI diebus superet, & ab anno Lunari Embolimæo, 384 dierum, XIX diebus deficiat. Excepto solo anno Cycli 19°, qui uno die defectivus & Embolimæus est, dierum 383, a quo annus Solaris, dierum 365, diebus XVIII deficit.

3^{a} Præterea omni compositione carent: non enim componuntur cum *Catholicis*, neque etiam præterea cum primo anni die.

4^{a} Denique simpliciter considerantur ut dies Epactæ, hoc est, adjectiles, quæ in Computo Lunari proprie eum in finem adhibentur, ut earum adjectione ad summam dierum a die mensis Thoth 1° inclusive usque ad diem datum inclusive collectorum, id efficiatur, ut illa summa dierum quæ ex quota anni die & Epactis conflatur, ineat ab eadem Lunâ, a qua annus Cycli Lunæ 1^{us} in die mensis Thoth 1° init, hoc est, a Luna II^{da}. Atque hinc est, quod annus Cycli 1^{us} dicatur *nullas* habere *Epactas*. Quia autem in anno Cycli 1° in mensis Thoth die 1° est Luna II^{da}, erit in Epagomena V^{ta}, qui hunc diem mensis Thoth 1^{um} proxime præcedit, Luna 1ma, seu Neomenia; adeoque in Computo Alexandrinorum Lunari absolute necessaria est, *unius Catholicæ* seu *Regularis* adjectio, qua id efficiatur, ut illa summa dierum, quæ ex quota anni, Epactis, & una Catholica conflatur, ineat a Neomenia, quod, ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die dato requiritur.

5^{a} Licet autem Epactæ Alexandrinorum, ad Computum Lunarem sint inventæ, & in eo simpliciter ut dies Epactæ seu adjectiles considerentur, revera tamen exprimunt ætatem Lunæ in die *Epagomena IV^{ta}*, quæ mensem Thoth anno Cycli 1°, 2°, 3°, &c. proxime præcedit: & *illa Epagomena IV^{ta} est locus proprius Epactarum annuarum* apud Alexandrinos.

6^{a} Nec obstat, quod annus Cycli 1^{us} dicatur *nullas* habere *Epactas*. Nam in illa Epagomena IV^{a}, quæ anno Cycli 1° mensem Thoth, & Epagomenam V^{am} in qua est Neomenia, proxime præcedit, invenitur Luna XXIX^{a}, seu ultima Luna Lunationis 13^{æ} anni Cycli Lunæ 19^{ni}. Cum autem in Computo perinde est, sive adjiciatur mensis Lunaris integer, mox auferendus, sive nihil adjiciatur: hinc in relatione ad Computum, annus Cycli 1^{us} dicitur *nullas habere Epactas*. Vide infra Observ. 8^{a}.

7^{a} Neque etiam obstat singulare illud, quod in Epactis anni Cycli 9^{ni} conspicitur, ubi Epactæ sunt XXVIII, & in mensis Thoth die 1° occurrit

currit Luna XXIX^a, & in mensis Thoth die 2° Luna 1^a, a qua annus Lunaris Cycli 9^us init: Vide Dissertationem nostram de Enneadecaëteridis Alexandrinæ natura & constitutione, §° 14 & 15. Hinc enim videtur sequi, Epactas XXVIII anni 9^ni non exprimere ætatem Lunæ in die Epagomena IV^ta, sed in die Epagomena V^ta. Sed notandum Epactas anni 9^ni ita considerari, ac si annus 8^us non fuisset Embolimæus, dierum 384, sed Communis dierum 354; quo posito, iniret annus 9^us a die Mesori 7°. Luna autem die Mesori 7° nata, fit in Epagomena IV^a, XXVIII^a, & in die Thoth 1° exstingitur XXX^a. Atque hanc Lunationem plenam, dierum XXX, considerarunt in Computo, ut anni 9^ni Lunationem primam & simul Embolimæam; sequens enim Lunatio, quæ in die Thoth 2^do init, itidem plena est. Atque hinc nascitur cautela in Computo anni 9^ni adhibenda. Causa autem hujus rei in eo quærenda est, quod, juxta Regulam in Cyclo Lunarum XIV^arum Paschalium construendo adhibitam, mensis Embolimæus, dierum XXX, immediate ante mensem Paschalem, in anno Cycli 8° fuerat insertus, cum, juxta Cycli Epactalis cursum naturalem, mensis Embolimæi insertio demum in anno Cycli 9° fieri debuisset. Voluerunt autem, non obstante mensis Embolimæi in anno Cycli 8° insertione, Epactas in cursu suo naturali retinere, propter facilitatem in Epactarum inquisitione, & uniformitatem in Computo Lunari.

8^a Epactæ autem in suo progressu hanc regulam servant, ut semper XI diebus crescant, & ultra numerum Tricenarium non crescant, sed eousque crescentes Tricenarium abjiciant. Solus annus Cycli 19^us, cui Saltus Lunæ inseritur, quique uno die defectivus est, hoc efficit, ut Epactæ anni sequentis 1^mi diebus XII crescant, quæ, cum anni 19^ni Epactis XVIII, fiunt Epactæ XXX pro anno Cycli 1°. Sed quia in Computo perinde est, sive adjiciantur Epactæ XXX, mox auferendæ, sive nihil adjiciatur, hinc anno Cycli 1° (ut supra monui) *nulla* adponitur *Epacta.*

DE

DE
COMPUTO SOLARI,

& quæ eo pertinent,

DE CYCLO SOLIS ET EPACTIS IN GENERE.

I.

Observationes quædam Præliminares.

1ª Constitutio & forma anni Solaris Juliani supponitur ut in genere cognita, quod nempe sit dierum 365, & unoquoque quarto anno admittat diem Bissextilem, seu intercalarem, quo ille annus fit dierum 366.

2ª Annum Solarem Julianum voco, non tantum illum, qui Romanis in Civili usu erat, & in specie annus *Julianus* dicitur, sed etiam quemcunque annum formæ Julianæ, qui eandem cum anno Juliano quantitatem dierum, & unoquoque quarto anno diem intercalarem habet, æque ac annus Julianus, licet diversum ab eo initium habeat, & dies intercalaris alium in anno locum & situm obtineat; ut puta annus Alexandrinorum fixus, qui ab eorum mense Thoth init, cujus Kalendæ in Augusti diem 29um incidunt in annis Communibus, in annis autem intercalaribus, vel potius, qui annum intercalarem, dierum 366, proxime insequuntur, in ejusdem mensis diem 30um, quia tum dies intercalaris Augusti diem 29um occupat; item anni Græcorum, a Septembri ineuntes; aliique anni Technici a Chronographis & Computistis pro lubitu assumpti, qui a Martii die 21°, vel 25°, aut ab Aprilis die 1° &c. ineunt.

3ª Quando in hac Dissertatione loquor de anno Bissextili seu intercalari, semper intelligo annum revera intercalarem, hoc est, dierum 366. Idque hic moneo, quia Computistæ solent annum vocare Bissextilem, & signo B præposito signare, ut Bissextilem, qui annum revera Bissextilem, hoc est, dierum 366, proxime insequitur, & ab eo primus est.

4ª In Computo Solari, de quo hic agitur, non spectatur, proprie loquendo, cursus Solis, sed spectatur discursus Feriarum Septimanæ per

annum Solarem Julianum, ejusque dies singulos; neque tantum per unum & singularem annum, sed per plures se invicem sequentes.

5ª Computus Solaris inventus & institutus est, in genere quidem ad inveniendum quota sit Feria in quolibet die dato in anno quocunque dato in Æra quacunque datâ; in specie autem & præcipue ad inveniendum quota sit Feria in illo die anni dato, in quem Luna XIVª Paschalis istius anni incidit, ut eo ipso prodatur Dominica Paschalis.

Ita ut Computus Solaris primario institutus sit eum in finem, ut Computo Paschali inserviat.

II.

Quid sit Computus Solaris.

Computus Solaris est methodus expedita, cujus ope facile invenitur, quota Septimanæ Feria incurrat in anni dati diem datum, cujuscunque Æræ ille annus datus sit; imprimis quota Septimanæ Feria incurrat in mensium illorum dies datos, in quos Lunæ XIVæ Paschales incidunt in Æræ datæ quocunque anno dato.

III.

Observatio circa annos datos Æræ datæ in relatione ad annos Cycli Solis.

1° Anni Cycli Solis, vel concurrunt cum annis Æræ datæ, ita ut Cycli Solis annus 1us concurrat cum Æræ datæ anno 1°; vel non concurrunt, ita ut Cycli Solis annus 1us non cum Æræ datæ anno 1°, sed cum ejus anno 2°, 3°, 4° &c. concurrat.

2° Anni Cycli Solis, vel pari passu ambulant cum annis Æræ datæ, ita ut utrique ab uno eodemque die ineant; vel non ambulant pari passu, ita ut Cycli Solis anni ab alio die ineant, quam a quo Æræ datæ anni initium sumunt.

Hæc observatio hic proponitur, ut constet, me hujus rei esse memorem; sed ea tum demum in considerationem venire potest & debet, quando de Cyclo Solis infra agetur, isque ut jam inventus & constitutus considerabitur.

Nunc autem hæc nondum curo, vel, si mavis, hactenus suppono, Æræ datæ annum 1um esse quoque Cycli Solis annum 1um, & annos Æræ datæ pari passu ambulare cum annis Cycli Solis, ita ut utrique ab uno eodemque die ineant.

IV. *Præ-*

IV.

Præcognita, ſine quibus Computus Solaris peragi non poteſt.

Ut Computus Solaris peragi poſſit, duo requiruntur præcognita circa Æræ datæ annum primum: nempe

1° Quotus ſit ab anno Biſſextili ſeu intercalari, proxime transacto.

2° A qua Septimanæ Feria ineat.

V.

A. Computus Solaris in ſua ſimplicitate abſque ullo calculi compendio.

VI.

Regulæ hujus Computi proponuntur.

1° Collige omnes dies, ab anni dati die 1° incluſive, uſque ad diem datum incluſive. Sitque numerus dierum collectorum . . . a.

2° Collige omnes dies, qui in omnibus annis Æræ datæ ante annum datum elapſis continentur. Sitque hic numerus dierum collectorum b.

3° Collige omnes dies, qui in ea Septimana, in qua Æræ datæ annus 1us init, ante anni iſtius diem 1um elapſi ſunt. Sitque hic numerus dierum collectorum c.

Collige has tres ſummas in unam, erit illa ſumma ex tribus conflata $\propto a + b + c$

1° Aufer ab hac ſumma omnes Septimanas completas, uſque ad diem datum excluſive, ſeu uſque ad illam Septimanam, in quam dies datus cadit, excluſive, elapſas. Sitque numerus Septimanarum auferendarum, d. erunt omnes Septimanæ auferendæ $7d$

Adeoque Reliquum erit $\propto a + b + c \div 7d$

Hoc Reliquum exprimet quota ſit Feria quæſita in anni dati die dato.

Sit numerus Feriæ quæſitæ $\propto z$
erit
Æquatio reſolvenda

$$z \propto a + b + c \div 7d.$$

 VII. *Ob-*

VII.

Obſervationes primæ ad Regulas hujus Computi.

1ª Summa dierum collectorum prima $\propto$ a, init ab anni dati die 1º, & terminatur in die dato.

2ª Summa dierum collectorum ſecunda $\propto$ b, init ab anni in Æra data primi die 1º, & terminatur in anni, ante annum datum, proxime elapſi die ultimo.

3ª Si itaque has duas ſummas conflaveris in unam, quæ erit $\propto$ a + b. Tum illa ſumma dierum collectorum $\propto$ a + b, inibit ab anni in Æra data primi die 1º, adeoque etiam ab eadem Feria, a qua annus ille Æræ datæ primus init, & terminabitur in anni dati die dato.

4ª Summa dierum collectorum tertia $\propto$ c, init a Feriâ 1ª ſeu die Dominica, quæ anni Æræ datæ primi diem 1^{um} proxime præcedit, & terminatur in ejuſdem Septimanæ Feriâ, quæ anni Æræ datæ primi diem 1^{um} proxime præcedit.

5ª Si itaque hanc tertiam duabus præcedentibus adjeceris, prodibit ſumma dierum collectorum $\propto$ a + b + c, quæ inibit a Feria 1ª, ſeu die Dominicâ, & terminabitur in anni dati die dato.

6ª Si porro ab hac ſumma dierum collectorum $\propto$ a + b + c, quæ a Feria 1ª ſeu die Dominica init, auferas omnes Septimanas completas, ante illam in quam dies datus incidit, elapſas, $\propto$ 7 d. Tum Reliquum, quod remanſerit $\propto$ a + b + c $\div$ 7 d, inibit quoque a Feria 1ª, ſeu die Dominicâ, & terminabitur in anni dati die dato, in eadem Septimanâ a qua hoc Reliquum iniit.

7ª Ac proinde hoc Reliquum $\propto$ a + b + c $\div$ 7 d exprimet quota ſit Feria in anni dati die dato. Q. E. D.

VIII.

Obſervationes ſecundæ circa Regulas hujus Computi.

1ª *Obſervatio* verſatur circa Regulam primam, & ſummam dierum $\propto$ a. Summa dierum collectorum $\propto$ a, facile invenitur, & admodum variatur:

riatur: nam dies in anno Solari Juliano datus, potest esse anni dies 1us, 2us, 3us &c. usque ad 365um in anno Communi, vel 366um in anno Bissextili.

Hoc tantum in illa dierum collectione observandum est, an annus datus sit Bissextilis, an vero Communis, quod ex præcognito 1° cognoscitur, & in inquisitione summæ secundæ ↄo b, deprehenditur; & an dies Bissextilis inter anni dati diem 1um, & diem in illo anno datum intercurrat, quo in casu numerus dierum collectorum unitate augetur.

2a *Observatio* circa Regulam secundam, & summam dierum ↄo b, versatur

Summa dierum collectorum ↄo b, non ita facilis inventu est, & admodum varia esse potest.

Invenitur autem duplici modo, ut infra ostendetur.

Ad inventionem hujus summæ præcognitum primum requiritur. Quotus scilicet ab anno Bissextili proxime transacto, sit Æræ datæ annus 1us.

Annus autem Æræ datæ 1us potest esse

Primus ab anno Bissext.
Secundus ab anno Bissext.
Tertius ab anno Bissext.
Quartus ab anno Bissext. & tum ipse est Bissext.

Hinc autem determinatur quotus quisque Æræ datæ annus sit Bissextilis, nam

Quando Æræ datæ annus 1us est	Tum erit Æræ datæ
Primus ab anno Bissext.	Annus 4us, 8us, 12us, &c. Biss.
Secundus ab anno Bissext.	Annus 3us, 7us, 11us, &c. Biss.
Tertius ab anno Bissext.	Annus 2us, 6us, 10us, &c. Biss.
Quartus ab anno Bissext.	Annus 1us, 5us, 9us, &c. Biss.

Unde patet Æræ datæ annum 1um, ratione distantiæ ab anno Bissextili proxime transacto, & ipsam Æram datam ratione progressus annorum Bissextilium, quadruplici modo posse variare.

3a *Observatio* versatur circa Regulam tertiam, & summam dierum ↄo c.

Summa dierum collectorum ↄo c, facile invenitur, & ex præcognito 2° statim determinatur.

Estque hæc summa ↄo c, invariabilis, manetque semper eadem, quotuscunque Æræ datæ annus detur, quamdiu scilicet Æra data & Æræ datæ annus 1us, ratione Feriæ a qua init', non mutetur.

 Unde

Unde his diebus, ex quibus hæc ſumma ɔo c conſtat, nomen Καθολικῶν, ſeu *Regularium* dari ſolet.

Et hæc Regula tertia his verbis ordinario concipitur, *adde tot* Καθολικὰς, *vel Regulares.*

Cum Æra data & Æræ datæ annus 1^{us}, ratione Feriæ, a qua init, Septemplici modo variare poteſt.

Nam Æræ datæ annus 1^{us} poteſt inire vel Feria I^{a}, vel II^{a}, vel III^{a}, vel IV^{a}, vel V^{a}, vel VI^{a}, vel VII^{a}.

Hinc etiam pro diverſitate Æræ datæ, & diverſa conſtitutione anni Æræ datæ 1^{mi}, ratione Feriæ, a qua init, illæ Καθολικαὶ, ſeu *Regulares*, ſive ſumma dierum collectorum ɔo c, ſeptem modis variare poteſt. Nam

Quando Æræ datæ annus 1^{us} init Feriâ		Tum erit c ɔo
	I^{a}	0
——	II^{a}	—— —— 1
——	III^{a}	—— —— 2
——	IV^{a}	—— —— 3
——	V^{a}	—— —— 4
——	VI^{a}	—— —— 5
——	VII^{a}	—— —— 6

Unde patet ſummam ɔo c, ſive Καθολικὰς, ſeu *Regulares* numerum ſenarium nunquam tranſcendere.

Præterea hinc patet illam Æram eſſe in uſu Paſchali ad Feriæ inventionem commodiſſimam, cujus annus 1^{us} init Feria I^{a}, quia tum nullis Καθολικαῖς, ſeu *Regularibus* in Computo opus eſt, & illa ſumma dierum collectorum ɔo c, evaneſcit.

Denique hinc patet, quod ex Computis veterum, ex Καθολικαῖς ſeu *Regularibus*, quibus in Computo utuntur, colligi poſſit, a qua Feriâ ineat annus 1^{us} illius Æræ, qua utuntur & qui in Computo ut annus 1^{us} conſideratur, a quo Computus deducitur.

4^{a} *Obſervatio* verſatur circa Regulam quartam, & ſummam ɔo 7 d.

Hæc Regula ordinario concipitur his verbis: *Tolle Septenarios*, vel *partire per Septenarium: quod Reliquum erit indicabit quota ſit Feria; & ſi nihil reliqui remanſerit, ſcito eſſe Feriam VII^am^.*

IX. *Pri-*

I X.

Primus Modus ad inveniendam ſummam dierum collectorum ∞ b.

Primus Modus peragitur per ſimplicem additionem omnium & ſingulorum annorum, ante annum datum elapſorum; incipiendo ab Æræ datæ anno 1°, & ſumendo pro anno Communi, dies 365, & pro anno Biſſextili, dies 366, atque hæc omnia colligendo in unam ſummam.

X.

Modus primus ad inveniendam ſummam dierum ∞ b, *illuſtratur Exemplo.*

Quæratur, quota Feria ſit in die aliquo dato anni 8vi Æræ, cujus annus primus eſt ab anno Biſſextili tertius.

Obſerva Æræ hujus annum 2um, 6um, 10um, & ſic porro, eſſe Biſſextiles. Ut ex §° 8, Obſerv. 2a, patet.

Deinde procede hoc modo:

Annus Æræ datæ				
1us	eſt	Com.	dierum	365.
2us	—	Biſſ.	—	366.
3us	—	Com.	—	365.
4us	—	Com.	—	365.
5us	—	Com.	—	365.
6us	—	Biſſ.	—	366.
7us	—	Com.	—	365.
Anni ſeptem	elapſi,		dies	2557. colligunt.

Adeoque ſumma dierum, in annis *ſeptem*, ante annum *octavum* datum, elapſis, collectorum, eſt . . 2557 ∞ b.

X I.

Obſervatio ad primum Modum inveniendi ſummam dierum collect. ∞ b.

Hic modus tantum in primis Æræ datæ annis, (& in prioribus Cycli Solis annis) alicujus uſus eſſe poteſt.

Deinceps

Deinceps autem, quando Æræ alicujus annus datus centenarios & Millenarios excedit, nullius usus, imo inpracticabilis est.

Eum tamen hic proposui, quia omnium simplicissimus est, & ex eo clarius patescit, quid in altero Modo fieri debeat, & peragatur.

XII.

Alter Modus, ad inveniendam summam dierum, in omnibus annis, ante annum datum, elapsis, collectorum, ꝏ b.

Hic Modus hac methodo peragitur.

א. Colliguntur omnes dies omnium annorum, ante annum datum, elapsorum, non consideratis diebus Bissextilibus, qui in illis annis elapsis inserti sunt.

Hæc autem horum dierum collectio hoc modo instituitur:

Numerus dierum, qui in anno Solari Juliano Communi continentur, quique sunt 365

Multiplicatur per numerum annorum, ante annum datum, elapsorum, qui hic ponitur ꝏ e

Unde oritur productum —— 365, e

ב. Colliguntur omnes dies Bissextiles, qui in annis, ante annum datum, elapsis, inserti sunt, adeoque ante annum datum jam transierunt.

Hæc autem horum dierum Bissext. collectio hoc modo instituitur:

Numerus annorum, ante annum datum, elapsorum, qui est e

Augetur, addito numero annorum, qui inter Æræ datæ annum 1^{um}, & annum Bissextilem, qui illum Æræ datæ annum 1^{um} proxime præcedit, intersunt: qui ponitur ꝏ m

unde oritur . . e + m

Deinde dividitur per quaternarium

Et hujus divisionis quotiens (non considerato reliquo, quod ex hac divisione remanet) adjicitur producto modo invento ꝏ 365, e

Sit summæ e + m, per Quaternarium divisæ, quotiens ꝏ f

erit summa . . 365, e + f ꝏ b

Reliquum autem divisionis modo dictæ, qua summa e + m per 4 dividitur, erit

e + m ÷ 4 f.

Quotiens

Quotiens ∞ f indicat, quot dies Biſſextiles, in annis, ante annum datum, elapſis inſerti, tranſiere.

Reliquum ∞ e + m ÷ 4 f, indicat quotus ab anno Biſſextili ſit ille annus, qui proxime, ante annum datum, elapſus eſt.

XIII.

De illo AUGMENTO ∞ m, *quod numero annorum, ante annum datum, elapſorum, adjicitur, antequam diviſio per quaternarium inſtituatur.*

Diviſio illa, qua numerus annorum, ante annum datum, elapſorum, dividitur per quaternarium, eum in finem fit, ut deprehendatur quot dies Biſſextiles, qui unoquoque quarto anno inſeruntur, ante annum datum tranſierint.

Sed, quoniam Æræ datæ annus 1^{us} non ſemper quoque 1^{us} ab anno Biſſextili eſt, hinc illud augmentum ∞ m neceſſarium eſt ne in computo fallamur.

Abſque eo enim Computus tantum procedit in illo caſu, quando Æræ datæ annus 1^{us} etiam primus ab anno Biſſextili eſt, &, per conſequens Æræ datæ annus 4^{us}, 8^{us}, 12^{us}, & ſic porro, Biſſextiles ſunt. Vide ſupra §º 8, Obſerv. 2^{am}.

Inſervit autem hoc augmentum, ut ejus adjectione ad numerum annorum, ante annum datum, elapſorum, id efficiatur, ut numerus ille annorum ∞ e + m, qui terminatur in anno proxime ante annum datum elapſo, ineat a tali anno, qui ab anno Biſſextili, ante annum datum proxime tranſacto, primus eſt.

Hoc augmentum ∞ m cognoſcitur ex præcognito 1º; nam ubi noveris quotus ab anno Biſſextili ſit Æræ datæ annus 1^{us}, ſtatim detegitur, quot anni inter annum Biſſextilem, ante annum Æræ datæ 1^{um} proxime tranſactum, & Æræ datæ annum 1^{um}, intercurrant.

Hoc augmentum ∞ m invariabile eſt, ac ſemper idem manet, quotuscunque Æræ datæ annus datur, quamdiu ſcilicet Æra data & Æræ datæ annus 1^{us}, ratione diſtantiæ ab anno Biſſextili, non mutatur.

Cum autem ipſa Æra data & Æræ datæ annus 1^{us} ratione diſtantiæ ab anno Biſſextili, quadruplici modo variare poteſt; ut vidimus ſupra §º 8, Obſerv. 2^{a}.

Hinc etiam pro diverſa Æra data, & diverſa conſtitutione anni Æræ datæ 1^{mi}, ratione diſtantiæ ab anno Biſſ., hoc augmentum quadruplici modo variare poteſt.

Nam

quando Æræ datæ	augmentum
annus 1^{us} eſt ab anno Biſſextili 1^{us}.	Tum erit m $\propto$ 0
. 2^{us}.	 1
. 3^{us}.	 2
. 4^{us}.	. . . 3

Unde patet hoc augmentum ternarium numerum nunquam excedere.

Porro hinc patet illam Æram in uſu Paſchali, ad Feriæ inventionem eſſe commodiſſimam, cujus annus 1^{us} eſt quoque primus ab anno Biſſextili, quia tum nullo augmento opus eſt, & numerus m $\propto$ 0 eſt.

Denique hinc patet, quod ex Computis veterum, ex illo augmento, quo numerum annorum, ante annum datum elapſorum, augent in computo, colligi poſſit, quotus ab anno Biſſextili ſit annus illius Æræ 1^{us}, qua utuntur, & qui in computo, ut annus 1^{us} conſideratur, a quo computus deducitur.

XIV.

Alter Modus ad inveniendam ſummam dierum $\propto$ b *illuſtratur Exemplo.*

Quæratur, ut ſupra §° 10, quota Feria ſit in die aliquo anni 8^{vi} Æræ, cujus annus 1^{us} eſt ab anno Biſſextili tertius.

Numerum dierum, qui in anno Solari Juliano Communi continentur, quique ſunt 365

Multiplica per numerum annorum ante annum 8^{um} datum elapſorum, qui eſt 7

erit productum 2555 $\propto$ 365, c

Numero annorum ante annum datum 8^{um} elapſorum, qui eſt 7 $\propto$ c

Adjice (quia Æræ datæ annus 1^{us} eſt tertius ab anno Biſſextili) pro augmento 2 $\propto$ m

erit ſumma 9 $\propto$ c + m

divide per 4 — erit quotiens 2 $\propto$ f

erit ſumma $\propto$ b $\propto$ 2557 $\propto$ 365, c + f

Reliquum autem hujus diviſionis erit

9 ÷ 8 $\propto$ c + m ÷ 4 f $\propto$ 1

XV.

XV.

B. *Computus Solaris cum Compendio calculi primo, quod versatur circa summam dierum collectorum* ∞ b.

XVI.

In quo hoc Compendium Calculi consistat.

Hoc Calculi Compendium in eo consistit, quod loco summæ dierum, qui in omnibus annis Æræ datæ, ante annum datum elapsis, continentur, ∞ b, ∞ 365, e + f, adhibeatur illa summa, demptis omnibus Septimanis completis, adeoque b ÷ 7, q. Ubi q est numerus Septimanarum ablatarum.

XVII.

Quomodo hæc ablatio Septimanarum completarum peragatur.

Hæc ablatio Septimanarum completarum hoc modo peragitur

1°, A producto 365, e, auferuntur Septimanæ completæ LII, e, quæ faciunt dies 364, e, & reliquum, quod est 1, e, adhibetur loco 365, e.

Hæcque ablatio tacite instituitur hoc modo:

Dies 1, qui in anno Solari Juliano Communi, dierum 365, præter Septimanas LII completas, superfluus est, multiplicatur per numerum annorum, ante annum datum, in Æra data elapsorum, qui est ∞ e. & productum 1, e adhibetur, loco producti 365, e.

Sive, quod eodem redit, pro unoquoque anno, ante annum datum, in Æra data, elapso, sumitur dies 1. Vel, quod idem est, sumitur ipse numerus annorum, ante annum datum, in Æra data, elapsorum, seu, ut loqui solent, *numerus anni dati, uno dempto*; qui est . . . e

Huic numero e adjicitur numerus dierum Bissextilium, ante annum datum transactorum, eo modo, ut supra §° 12 dictum est, inventus; qui est f

Et tum e + f

2°, Ab hac summa e + f, auferuntur omnes Septimanæ completæ. ∞ 7, n

erit e + f ÷ 7, n ∞ b ÷ 7, q

& 364, e + 7, n ∞ 7, q. nam b ∞ 365, e + f. §° 12.

XVIII.

Fundamentum hujus compendii, in Calculo adhibiti.

Hoc Compendium Calculi nititur hoc fundamento :

Quod ad Feriæ inventionem perinde ſit, ſive adhibeatur ſumma dierum ∝ b, ſive ejus loco adhibeatur ſumma dierum ∝ b ÷ 7, q.

Hoc autem patet ex iis, quæ ſupra obſervavimus §° 7, obſerv. 3ª.

Nam ſumma dierum ∝ b, addita ſummæ dierum ∝ a, hoc efficit, ut ſumma dierum ∝ a + b, quæ terminatur in die dato, incat & ab anni in Æra data primi die 1° & per conſequens etiam ab eadem Feria, a qua annus ille Æræ datæ 1us init.

Prius autem ad Feriæ inventionem non eſt neceſſarium, ut ſcilicet illa ſumma dierum, quæ ſummæ dierum ∝ a additur, id efficiat, ut illa ſumma quæ ex hisce duabus conflatur, ineat ab anni in Æra data primi die 1°.

Sed poſterius ad inventionem Feriæ neceſſario requiritur, ut illa ſumma dierum, quæ ſummæ dierum ∝ a additur, hoc efficiat, ut illa ſumma dierum, quæ ex hisce duabus conflatur, ineat ab eadem Feria, a qua annus ille Æræ datæ primus inierat.

Hoc autem æque præſtat ſumma dierum ∝ b ÷ 7, q, addita ſummæ dierum ∝ a, ac ſumma dierum ∝ b, addita ſummæ dierum ∝ a.

Nam numerus ∝ 7, q, Septimanas completas aliquot comprehendit, ſive aliquot Septenarios præciſe continet.

Et eadem, quæ hoc ipſo die reperitur Feria, ante ſeptiduum fuerat, & poſt ſeptem dies erit.

XIX.

Hoc Calculi compendium illuſtratur Exemplo.

Quæratur, ut ſupra, §° 14. quota Feria ſit in die aliquo anni 8vi Æræ, cujus annus 1us eſt tertius ab anno Biſſextili.

Numerum dierum, qui in anno Solari Juliano Communi, dierum 365, præter Septimanas LII completas, quæ faciunt dies 354, ſuperflui ſunt,

funt, five diem 1, multiplica per numerum annorum in Ærâ data, ante annum datum elapforum ∝ 7, & productum ∝ 7 adhibe, loco producti ∝ 2555.

Sive, quod eodem redit, fume pro unoquoque anno, ante annum datum elapfo, diem 1; fiunt 7.

Sive, quod eodem redit, fume ipfum numerum annorum, ante annum datum elapforum, qui eft ∝ 7.

Sive, quod eodem redit, fume numerum anni dati, uno dempto, hoc eft, 8 ÷ 1 ∝ 7.

Sume itaque 7 ∝ e

Adjice numerum dierum Biffextilium, ante annum datum, in Æra data transactorum, eo modo, ut §° 14 vidimus, inventum ∝ 2 ∝ f

summa eft 9 ∝ e + f

Aufer ab hac fumma Septenarium unum, feu Septimanam unam completam 7 ∝ 7, n

erit b ÷ 7, q ∝ 2 ∝ e + f ÷ 7, n

b ∝ 2557. ut vidimus §° 14.
e ∝ 7 ergo 264, e ∝ 2548
n ∝ 1 ergo 7, n ∝ 7
adeoque 364, e + 7, n ∝ 2555 ∝ 7, q
ac proinde
b ÷ 7, q ∝ 2557 ÷ 2555 ∝ 2
&
q ∝ 365

X X.

Regula fecunda fupra §° 6 propofita quibus verbis concipienda.

Ex iis, quæ fupra vidimus, partim §° 12, partim §° 17° patet, quod, fi velis uti Computo Solari cum illo primo Calculi Compendio, regula fecunda, fupra §° 6 propofita, fit concipienda his verbis:

Sume numerum annorum in Æra data, ante annum datum elapſorum: ſive ſume numerum anni in illa Æra dati, uno dempto. Sitque hic numerus e

Hunc numerum c

Augeto numero annorum qui inter Æræ datæ annum 1^{um}, & annum Biſſextilem, qui illum Æræ datæ annum 1^{um} proxime præcedit, interſunt. Sitque hic numerus m

$e + m$

Deinde divide per 4

Et hujus diviſionis quotientem adjice ad numerum annorum ante annum datum elapſorum. Sitque hujus diviſionis quotiens f

erit ſumma $e + f$

Ab hac ſumma aufer ſeptenarios. Sitque numerus ſeptenariorum auferendorum n. erunt omnes ſeptenarii auferendi 7, n

adeoque reliquum $e + f \div 7, n$

X X I.

Quinam veterum uſi ſint hoc Computo Solari, cum illo primo Calculi Compendio.

Auctor Chronici Paſchalis. Heraclius Imperator.

X X I I.

Obſervatio ad §^{um} 20.

Regula illa ſecunda, prout §° 20 concipitur, & cujus ope invenitur numerus $e + f \div 7, n$. in quo f, eſt quotiens numeri $e + m$, per 4 diviſi, eſt ipſa methodus ad inveniendum *Epactas Solis* anni cujuscunque dati in Æra quacunque data.

Et numerus $e + f \div 7\,n$ eſt ipſe *numerus Epactalis* anni cujuscunque dati in Æra quacunque data.

XXIII.

XXIII.

Regulæ Computi Solaris cum illo primo Calculi compendio breviter proponuntur.

1° Quære *Epactas Solis* anni dati, eâ methodo, quæ supra §° 20 exposita est. Quæ sunt . . . $e + f \div 7n$

2° His Epactis jam inventis, adde *Catholicas*. Quæ sunt c

3° Adjice dies, ab anni dati die 1° inclusive, usque ad diem datum inclusive collectos. Qui sunt . . . a

$$e + f \div 7n + c + a$$

4° Ab hac summa aufer Septimanas ante diem datam completas. Quæ sunt $7d$

erit Feria quæsita . . $z \infty e + f \div 7n + c + a \div 7d$

XXIV.

Observatio ad has Regulas.

Ope harum regularum inveniri potest quota sit Feria in die dato cujuscunque anni dati in Æra quacunque datâ.

Neque cognitio Cycli Solis & Cycli Epactarum hic necessaria est.

Requiruntur tantum illa duo præcognita, quæ supra §° 4° proposita sunt.

Ut ex sequentibus Exemplis patebit.

XXV.

Exemplum in Periodo Julianâ.

Quæritur quota ſit Feria in Januarii die 1°, anni 4714^ti^, Periodi Julianæ:

Cujus Periodi annus 1^us^

init a Jan. die 1°, Feriâ II^a^ adeoque $c \propto 1$

eſtque quartus a Biſſextili —— $m \propto 3$

& habet Lit. Dom. GF.

$e \propto 4713$

$m \propto 3$

$e + m \propto 4716$

divide per 4 — Quotiens $1179 \propto f$

Reliquum 0 $4713 \propto e$

adeoque $5892 \propto e + f$

P.J. annus 4714^us^ eſt divide p. 7 — Quotiens $841 \propto n$

primus a Biſſ. Reliquum 5 Epactæ $\propto e + f \div 7n$

1 Catholica $\propto c$

in Januario dies 1 $\propto a$

7^a^ Feria in die dato.

NB.

Per. Jul. annus 4714^us^ eſt Æræ Chriſti vulgaris annus 1^us^

adeoque

Æræ Chriſti vulgaris annus 1^us^

init, a Januarii die 1°, Feria VII^a^

eſtque primus a Biſſextili,

& habet Lit. Dom. B.

ac proinde

eſt Cycli Solis, qui Periodo Jul. innectitur, annus 10^us^,

&

habet Feriam V^am^ concurrentem cum Martii 24°.

XXVI.

Exemplum in Ærâ Christi Vulgari.

Quæritur quota sit Feria in Martii die 24° anni 532^di^, Æræ Christi Vulgaris,

Cujus Æræ annus 1^us^ adeoque
init, a Jan. die 1°, Feria VII^a^ $c \propto 6$
estque primus a Bissextili $m \propto 0$
& habet Lit. Dom. B.

$e \propto 531$
$m \propto 0$
$c + m \propto 531$

divide p. 4 / Quotiens $132 \propto f$
Reliquum 3 $531 \propto c$
adeoque $663 \propto e + f$

Æræ Christi Vulg. 532^us^ est quartus a Biss. seu ipse Bissextilis.

divide p. 7 / Quotiens $94 \propto n$
Reliquum 5 Epactæ $\propto e + f \div 7n$
6 Catholicæ $\propto c$
a Jan. 1. — Mart 24, dies $84 \propto a$
quia annus 532^us^ est Biss.
95
divide p. 7 / Quotiens $13 \propto d$
Reliquum 4^a^ Feria in die dato.

Adeoque $z \propto e + f \div 7n + c + a \div 7d \propto 4$.

NB. Æræ Christi Vulg. annus 532^us^ est Cycli Paschalis XCV annorum, quem Dionysius Abbas Rom. edidit, nec non Periodi 532 annorum, quæ Dionysiana dicitur, annus 1^us^; adeoque Periodi Dionysianæ, sic dictæ, annus 1^us^ habet Feriam IV concurrentem cum Martii 24°, estque quartus a Bissextili, seu ipse Bissextilis & habet Lit. Dom. DC. Ac proinde est Cycli Solis, qui Per. Julianæ innectitur, annus 9^us^, & habet in Januarii die 1° Feriam V^am^.

XXVII.

Exemplum in Periodo Dionyſiana.

Quæritur quota ſit Feria in Martii die 24°, anni 96ti, Periodi Dionyſianæ,

Cujus Periodi annus 1us, poſito quod ineat a Kal. Januarii,
init Feria Va — adeoque $c \propto 4$.
eſtque quartus a Biſſ. — $m \propto 3$.
& habet Lit. Dom. D C.

$$\begin{array}{r} e \propto 95 \\ m \propto 3 \\ \hline e + m \propto 98 \end{array}$$

divide p. 4 / Quotiens $24 \propto f$
Reliquum 2 — $95 \propto e$
adeoque — $119 \propto e + f$

Per. Dionyſ. annus 96us eſt tertius a Biſſ.

divide p. 7 / Quotiens $17 \propto n$
Reliquum 0 Epactæ $\propto e + f \div 7\,n$
4 Catholicæ $\propto c$

a Jan. 1. — Mart. 24, dies $83 \propto a$

87

divide p. 7 / Quotiens $12 \propto d$
Reliquum 3a Feria in die dato.

Adeoque $z \propto e + f \div 7\,n + c + a \div 7\,d \propto 3$.

NB. Hic dies Martii 24us cadit in annum Æræ Chriſti Vulg. 95um, 627um &c. qui habent Lit. Dom. D.
& Periodus Dionyſiana
prima init ante Chriſtum Æræ Vulg. anno 1°,
ſecunda — poſt Chriſtum Æræ Vulg. anno 532°,
tertia — poſt Chriſtum Æræ Vulg. anno 1064°.

XXVIII.

XXVIII.

Exemplum in Æra Diocletianæa.

Quæritur quota ſit Feria in menſis Ægyptii Mechir die 20°, anni 94^ti^, Æræ Diocletianææ.

Cujus Æræ annus 1^us^ init, a menſe Thoth, Feria VI^a^ eſtque ſecundus ab eo intercalari — adeoque c ∞ 5, m ∞ 1

e ∞ 93
m ∞ 1
e + m ∞ 94
divide p. 4 — Quotiens 23 ∞ f
Reliquum 2 — 93 ∞ e
adeoque — 116 ∞ e + f
Æræ Dioclet. annus 94^us^ eſt tertius ab anno intercalari. — divide p. 7 — Quotiens 16 ∞ n
Reliquum 4 Epactæ ∞ e + f ÷ 7 n
5 Catholicæ ∞ c
a Thoth 1° — Mechir 20^um^, dies 170 ∞ a
179 ∞ e + f ÷ 7 n + c + a
divide p 7 — Quotiens 25 ∞ d
Reliquum 4^a^ Feria in die dato.
Adeoque z ∞ e + f ÷ 7 n + c + a ÷ 7 d ∞ 4.

NB. Hoc ipſo Exemplo utitur Paulus Alexandrinus in ſua εισαγωγῇ εις ἀποτελεσματικὴν.

labente Ær. Chr. Vul. anno	init Æræ Diocl. annus	&	concurrit cum Æræ Chr. Vul. anno	dies
284°. FE.	1^us^ Aug. 29°, Feria VI^a^.		285°. D.	Mechir 20^us^
93	93		93	anni Diocl. 94^ti^
377°. A.	94^us^ Aug. 29°, Feria III^a^.		378°. G.	cadit in Febr. 14^um^

 XXIX.

XXIX.

Exemplum in Æra Heraclii.

Quæritur, quota ſit Feria in Aprilis die 10°, anni 7^{mi} Æræ, qua utitur Heraclius, quæque init ab Imperii ejus anno 3°, ſive Indictione 1^{a}.

Cujus Æræ annus 1^{us},

poſito quod ineat a Septembris die 1°,

init Feria VI^{a} adeoque c ∝ 5

eſtque primus a Biſſ. — m ∝ 0

c ∝ 6

m ∝ 0

e + m ∝ 6

divide p. 4 ⟋ Quotiens 1 ∝ f

Reliquum 2 6 ∝ e

adeoque 7 ∝ e + f

Æræ Heraclii divide p. 7 ⟋ Quotiens 1 ∝ n

annus 7^{us} eſt Reliquum 0 Epactæ ∝ e + f — 7 n

tertius a Biſſ. 5 Catholicæ ∝ c

a Sept. 1° — Apr. 10, dies 222 ∝ a

227

divide p. 7 ⟋ Quotiens 32 ∝ d

Reliquum 3^{a} Feria in die dato.

NB. Hoc ipſo Exemplo utitur Heraclius Imperat. in ſuo Computo, Parte 1^{a}.

Hic dies Aprilis 10^{us} cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 619^{um}, qui eſt tertius a Biſſ., & habet Lit. Dom. G.

labente	init	& concurrit
a præced. Januar.	a ſeq. Sept.	a ſeq. Januario
Æræ Chriſti Vulg.	Æræ Heraclii	cum Æræ Chriſti Vulg.
anno	annus	anno
612° B A.	1^{us}	613° G.

XXX.

XXX.

Alterum Exemplum in Æra Heraclii.

Quæritur, quota ſit Feria in Martii die 21°, anni 11ᵐⁱ, Æræ, qua utitur Heraclius, quæ init ab Imperii ejus anno 3°, ſive Indictione 1ª.

Cujus Æræ annus 1ᵘˢ,

iniens a Kal. Septemb.,

init Feria VIª — adeoque c ∝ 5

eſtque primus a Biſſ. — m ∝ 0

e ∝ 10

m ∝ 0

e + m ∝ 10

divide p. 4 / Quotiens 2 ∝ f

Reliquum 2 — 10 ∝ e

adeoque — 12 ∝ e + f

Æræ Heraclii — divide p. 7 / Quotiens 1 ∝ n

annus 11ᵘˢ eſt — Reliquum 5 Epactæ ∝ e + f ÷ 7 n

tertius a Biſſ. — 5 Catholicæ ∝ c

a Sept. 1° — Mart. 21ᵘᵐ, dies 202 ∝ a

212

divide p. 7 / Quotiens 30 ∝ d

Reliquum 2ª Feria in die dato.

NB. Hoc ipſo Exemplo utitur Heraclius Imperat. in Computi ſui Parte 3ª.

Hic dies Martii 21ᵘˢ cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 623ᵘᵐ, qui tertius a Biſſextili eſt, & habet Lit. Dom. B.

XXXI.

Exemplum in Æra Mundana Panodori & Aniani.

Quæritur quota sit Feria in mensis Ægyptii Pharmuthi die 3°, anni 5816[ti] Æræ Mundanæ Panodori & Aniani.

Cujus Æræ annus 1[us]
init, a mense Thoth, Feria III[a]
estque secundus ab anno intercalari

adeoque
c ∝ 2
m ∝ 1

e ∝ 5815
m ∝ 1
e + m ∝ 5816

divide p. 4 / Quotiens 1454 ∝ f
Reliquum 0
adeoque
hujus Ær. annus 5816[us] est primus ab anno intercalari.

5815 ∝ e
7269 ∝ e + f
divide p. 7 / Quotiens 1038 ∝ n
Reliquum 3 ∝ e + f ÷ 7 n Epactæ
2 ∝ c Catholicæ

a Thoth 1° — Pharm. 3[um], dies 213 ∝ a
218
divide p. 7 / Quotiens 31 ∝ d
Reliquum 1[a] Feria in die dato.

NB. Hoc est ipsum Exemplum, quod contra Eusebium urgent Anianus & Panodorus; teste Georgio Syncello in sua Chronographia, pag. 35. c — 36. D.

Hic dies Pharmuthi 3[us] est Martii 29[us], caditque in Æræ Christi Vulg. annum 324[um], qui est Bissextilis, & habet Lit. Dom. E D.

labente Per. Jul. Prolepticæ anno 7201°. BA.	init & Æræ Mundanæ Panodori & Aniani annus 1[us] Aug. 29°	concurrit cum Per. Jul. Prolepticæ anno 7202°. G.

XXXII.

XXXII.

Alterum Exemplum in Æra Mundi Panodori & Aniani.

Quæritur quota ſit Feria in menſis Ægyptii Phamenoth 29°, anni 5534ti, Æræ Mundanæ Panodori & Aniani.

Cujus Æræ annus 1us init a Thoth, Feria IIIa eſtque ſecundus ab intercalari — adeoque $c \propto 2$, $m \propto 1$

$e \propto 5533$
$m \propto 1$
$e + m \propto 5534$

divide p. 4 — Quotiens $1383 \propto f$
Reliquum 2 — $5533 \propto e$
adeoque — $6916 \propto e + f$

hujus Æræ annus 5534us eſt tertius ab anno intercalari

divide p. 7 — Quotiens $988 \propto n$
Reliquum 0 Epacta $\propto e + f \div 7n$
2 Catholicæ $\propto c$

a Thoth 1° — Pham. 29um, dies $209 \propto a$
211

divide p. 7 — Quotiens $30 \propto d$
Reliquum 1a Feria in die dato.

NB. Hîc annus & dies eſt, juxta Anianum, annus & dies reſurrectionis Chriſti. Teſte Syncello in ſua Chronographia, p. 35. A. B.

Hic dies Phamenoth 29us eſt Martii 25us, caditque in Æræ Chriſti Vulg. 42um, qui eſt 2us a Biſſextili, & habet Lit. Dom. G.

XXXIII.

XXXIII.

Exemplum in Æra Mundana Maximi.

Quæritur quota ſit Feria in Aprilis die 1^{o} anni 6133^{tii}, Æræ Mundanæ Maximi.

Cujus Æræ annus 1^{us}

init a Kal. Sept., Feria VI^{a} adeoque c ꝏ 5

eſtque primus a Biſſextili —— m ꝏ 0

e ꝏ 6132

m ꝏ 0

e + m ꝏ 6132

divide p. 4 Quotiens 1533 ꝏ f

Reliquum 0 6132 ꝏ e

adeoque 7665 ꝏ e + f

annus M. 6133^{us} eſt divide p. 7 Quotiens 1095 ꝏ n

primus a Biſſ. Reliquum 0 Epactæ ꝏ e + f ÷ 7 n

5 Catholicæ ꝏ c

a Sept. 1^{o} — Apr. 1^{um}, dies 213 ꝏ a

218

divide p. 7 Quotiens 31 ꝏ d

Reliquum 1^{a} Feria in die dato.

NB. Hoc ipſo Exemplo utitur Maximus in Computi ſui Parte 1^{a}. C. 19^{o}. Confer §° 29, 30.

Hic dies Aprilis 1^{us} cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 641^{um}, qui eſt primus a Biſſ., & habet Lit. Dom. G.

labente	init &	concurrit
Per. Jul.	Æræ M.	cum Per. Jul.
Prolepticæ	Maximi	Prolepticæ
anno	annus	anno
7201^{o}. BA.	1^{us} Sept. 1^{o}.	7202^{o}. G.

XXXIV.

XXXIV.

Exemplum in Æra Mundana Georgii Syncelli.

Quæritur quota ſit Feria in Martii die 25°, anni 5534ti, Æræ Mundanæ Syncelli.

Cujus Æræ annus 1us init Martii die 25°, Feria Ia eſtque ſecundus a Biſſextili — adeoque c ∞ 0, m ∞ 1

e ∞ 5533
m ∞ 1
e + m ∞ 5534
divide p. 4 — Quotiens 1383 ∞ f
Reliquum 2 — 5533 ∞ e
adeoque — 6916 ∞ e + f
annus M. 5534us eſt tertius a Biſſ. — divide p. 7 — Quotiens 988 ∞ n
Reliquum 0 Epactæ ∞ e + f ÷ 7 n
0 Catholicæ ∞ c
Martii 25us, dies 1 ∞ a
1a Feria in die dato.

NB. Hic annus & dies eſt, juxta Syncellum annus & dies reſurrectionis Chriſti. Vide ejus Chronographiam p.

Hic dies Martii 25us cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 42um, qui eſt ſecundus a Biſſ, & habet Lit. Dom. G.

labente	init
Per. Jul.	Æræ Mundanæ
Prolepticæ	Syncelli
anno	annus
7202° G.	1us Martii die 25°.

XXXV.

Exemplum in Æra Mundi Constantinopolitana.

Quæritur quota sit Feria in Martii die 24°, anni 5509^{ni}, Æræ Mundi CP.

Cujus Æræ annus 1^{us}
init a Kal. Sept., Feria VII^{a} — adeoque c ꝏ 6
estque primus a Bissextili — —— m ꝏ 0

e ꝏ 5508
m ꝏ 0
e + m ꝏ 5508
divide p. 4 — Quotiens 1377 ꝏ f
Reliquum 0 — 5508 ꝏ e
adeoque — 6885 ꝏ e + f
annus M. 5509^{us} est primus a Biss. — divide p. 7 — Quotiens 983 ꝏ n
Reliquum 4 Epactæ ꝏ e + f -:- 7 n
6 Catholicæ ꝏ c
a Sept. 1 — Mart. 24, dies 205 ꝏ a
215
divide p. 7 — Quotiens 30 ꝏ d
Reliquum 5^{a} Feria in die dato.

NB Æræ CP annus 5509^{us}, iniens a Septembri, concurrit a sequente Januario cum Æræ Christi Vulg. anno 1°, qui est primus a Biss. & habet Lit. Dom. B. atque in hunc Æræ Christi Vulg. 1^{um} cadit dies datus Martii 24^{us}.

labente Per. Jul. Prolepticæ anno 7185°. A. G.	init & Æræ Mundi C. P. annus 1^{us} a Septemb.	concurrit cum Per. Jul. Prolepticæ anno 7186° F.

XXXVI.

XXXVI.

Exemplum in Æra Mundi Auctoris Chronici Paschalis.

Quæritur quota sit Feria in Martii die 24°, anni 5510mi, Æræ Mundi, qua utitur Auctor Chronici Paschalis.

Cujus Æræ annus 1us
init a Martii die 21°, Feria IVa
estque primus a Bissextili

adeoque
c ∞ 3
m ∞ 0

e ∞ 5509
m ∞ 0
e + m ∞ 5509
divide p. 4 — Quotiens 1377 ∞ f
Reliquum 1 — 5509 ∞ e
adeoque — 6886 ∞ e + f
annus M. 5510us est secundus a Biss. — divide p. 7 — Quotiens 983 ∞ n
Reliquum 5 Epactæ ∞ e + f ÷ 7 n
3 Catholicæ ∞ c
a Martii 21—24, dies 4 ∞ a
12
divide p. 7 — Quotiens 1 ∞ d
Reliquum 5a Feria in die dato.

NB. Varia Exempla videre licet in ipso Chronico Paschali; Auctor enim hac ipsa methodo utitur.

Hic dies Martii 24us cadit in Æræ Christi Vulg. annum 1um, qui est primus a Biss., & habet Lit. Dom. B.

labente Per Jul. Prolepticæ anno 7185°. AG.	init Æræ Mundi Auctoris Chron. P. annus 1us a Martii die 21°.

XXXVII.

Exemplum in Æra Mundi Victorii Aquitani.

Quæritur quota ſit Feria in Januarii die 1°, anni 5229ni Æræ Mundanæ Victorii Aquitani.

Cujus Æræ annus 1us
init, ut videtur, a Januario, Feria Ia — adeoque c ∞ 0
eſtque quartus a Biſſ. — m ∞ 3

e ∞ 5228
m ∞ 3
e + m ∞ 5231
divide p. 4 — Quotiens 1307 ∞ f
Reliquum 3 — 5228 ∞ e
adeoque — 6535 ∞ e + f
annus M. 5229us — divide p. 7 — Quotiens 933 ∞ n
eſt quartus a Biſſ. — Reliquum 4 Epactæ ∞ c + f − 7 n
0 Catholicæ ∞ c
in Januario d. 1 ∞ a
5a Feria in die dato.

NB. Hic dies Januarii 1us cadit in annum Æræ Chriſti Vulg. 28um, qui eſt Biſſ., & habet Lit. Dom. DC.

Per. Jul. Prolepticæ annus 7493us A. G.	eſt	Æræ Mundanæ Victorii annus 1us

XXXVIII.

XXXVIII.

Exemplum in Periodo Victorii Aquitani.

Quæritur quota sit Feria in Januarii die 1°, anni 430^{mi}, Periodi Victorianæ.

Cujus Periodi annus 1^{us} — adeoque
init a Januario Feria V^{a} — c ∞ 4
estque quartus a Biss. — m ∞ 3

e ∞ 429
m ∞ 3
e + m ∞ 432
divide p. 4 — Quotiens 108 ∞ f
Reliquum 0 — 429 ∞ e
adeoque — 537 ∞ e + f
annus Per. 430^{us} est — divide p. 7 — Quotiens 76 ∞ n
primus a Biss. — Reliquum 5 Epactæ ∞ e + f ÷ 7 n
4 Catholicæ ∞ c
in Januario dies 1 ∞ a
10
divide p. 7 — Quotiens 1 ∞ d
Reliquum 3^{a} Feria in Jan. die 1°.

NB. Hic dies Jan. 1^{us} cadit in Æræ Christi Vulg. annum 457^{um}, qui est primus a Biss., & habet Lit. Dom. F. eo anno edidit Victorius Periodum suam 532 annorum.

Æræ Christi Vulg. annus 28^{us} est Periodi Victorianæ annus 1^{us}

XXXIX.

Exemplum in Periodo 84 annorum Romanæ Ecclesiæ.

Quæritur quota ſit Feria in Januarii die 1° anni 63tii Periodi Paſchalis 84 annorum, qua uſa eſt Romana Eccleſia.

Cujus Periodi annus 1us
init a Januario Feria VII — adeoque $c \propto 6$
eſtque ſecundus a Biſſ. — $m \propto 1$

$e \propto 62$
$m \propto 1$
$e + m \propto 63$

divide p. 4 — Quotiens $15 \propto f$
Reliquum 3 — $62 \propto e$
adeoque — $77 \propto e + f$
annus Per. 63us eſt quartus a Biſſ. — divide p. 7 — Quotiens $11 \propto n$
Reliquum 0 Epactæ $\propto e + f - 7n$
6 Catholicæ $\propto c$
in Januario dies $1 \propto a$
7a Feria in Jan. die 1° dato.

NB. Hoc Exemplum occurrit in Paſchaſini ad Leonem Epiſtola, & in Cyrilli Epiſtola ad eundem.

Feria in Kal. Jan. VIIa dat in VII Kal. Apr. (in quem diem Paſcha Latinorum incidebat) & in IX Kal. Maji (in quem diem Paſcha Alexandrinorum incidebat) Feriam Iam.

Hic dies Januarii 1us cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 276, 360, 444 &c. qui anni ſunt quarti a Biſſ., & habent Lit. Dom.

Init itaque hæc Periodus LXXXIV annorum
Æræ Vulg. Chriſti anno 214°
. . . . 298°
. 382° } Lit. Dom.

XL.

X L.

Exemplum in Æra Mundi Aniani & Panodori tertium.

Quæritur quota ſit Feria in die menſis Ægyptii Phamenoth 28° (qui eſt Martii 24us) anni 5494ti Æræ Mundi Aniani, & Panodori.

Cujus Æræ annus 1us
init a Thoth, Feria IIIa
eſtque ſecundus ab intercalari
adeoque
c $\propto$ 2
m $\propto$ 1

e $\propto$ 5493
m $\propto$ 1
e + m $\propto$ 5494
divide p. 4 — Quotiens 1373 $\propto$ f
Reliquum 2
5493 $\propto$ e
adeoque
6866 $\propto$ e + f
hujus Æræ annus 5494us eſt tertius ab intercalari
divide p. 7 — Quotiens 980 $\propto$ n
Reliquum 6 Epactæ $\propto$ e + f — 7 n
2 Catholicæ $\propto$ c
a Thoth 1 ad Pham. 28 dies 208 $\propto$ a
216
divide p. 7 — Quotiens 30 $\propto$ d
Reliquum 6a Feria in die dato.

Hic dies Phamenoth 28 (qui eſt Martii 24) cadit in annum Æræ Vulg. Chriſti 2um, qui eſt ſecundus a Biſſextili, & habet Lit. Dom. A. Nam ut ſupra §° 31 vidimus

labente Per. Jul. Prolepticæ anno	init Æræ Mundanæ Aniani & Panod. annus	& concurrit cum Per. Jul. Prolepticæ anno
7201 BA.	1us, Aug. 29°	7202 G.
adde 5493	5493	5493
12694	5494us, Aug. 29°	12695
aufer 7980		798o ſeu integram Per. Jul.
47 4B. poſt D.C.	5494us, Aug. 29°	4715 A. qui eſt Ær. Chr. 2us

XLI.

Exemplum in Periodo Græco-Romana Pagii.

Quæritur quota ſit Feria in Martii die 24°, anni 5494ti Periodi Græco-Romanæ.

Cujus Periodi annus 1us init a Kal. Januariis, Feria VIIa eſtque quartus a Biſſextili & habet Lit. Dom. BA.

adeoque

c ∝ 6

m ∝ 3

e ∝ 5493

m ∝ 3

e + m ∝ 5496

divide p. 4 / Quotiens 1374 ∝ f

Reliquum 0 5493 ∝ e

adeoque 6867 ∝ e + f

annus 5494us eſt primus a Biſſ. divide p. 7 / Quotiens 981 ∝ n

Reliquum 0 Epactæ ∝ e + f ÷ 7 n

6 Catholicæ ∝ c

a Jan. 1 ad Martii 24, dies 83 ∝ a

89

divide p. 7 / Quotiens 12 ∝ d

Reliquum 5a Feria in die dato.

Hic dies Martii 24us cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 1um, qui eſt primus a Biſſ., & habet Lit. Dom. B.

Adeoque Æræ Mundanæ Aniani & Panodori annus primus, qui labente Periodi Julianæ Prolepticæ anno 7201°, init a Thoth die 1° ſeu Aug. die 29°, Feria IIIa, retrahitur in Periodo Græco-Romana ad præcedentes Kalendas Januarii

ita ut plane concurrant

Per. Jul. Prolepticæ annus	&	Periodi Græco-Romanæ annus
7201us BA.		1us, a Jan. 1°

& per conſequens

Per. Jul. annus	Æræ Chr. annus	&	Per. Græco-Rom. annus
4714us	1us		5494us, a Kal. Jan.

XLII.

XLII.

Exemplum in Æra M. secundum Alexandr., ex sententia Pagii.

Quæritur quota sit Feria in Januarii die 1° anni 5501mi Æræ Mundi secundum Alexandrinos ex sententia Pagii,

Cujus Æræ annus 1us init a Kal. Septembris, Feria VIIa estque tertius a Biss. Lit. Dom. G.

adeoque
c ꝏ 6
m ꝏ 2

e ꝏ 5500
m ꝏ 2
e + m ꝏ 5502

divide p. 4 — Quotiens 1375 ꝏ f
Reliquum 2 — 5500 ꝏ e
adeoque — 6875 ꝏ e + f
annus 5501us est tertius a Biss. — divide p. 7 — Quotiens 982 ꝏ n
Reliquum 1 Epacta ꝏ e + f ÷ 7 n
6 Catholicæ ꝏ c

a Sept. 1, ad Jan. 1, dies 123 ꝏ a
130
divide p. 7 — Quotiens 18 ꝏ d
Reliquum 4a Feria in die dato.

Hic dies Jan. 1. est anni ante Æram Christi Vulg. 2di dies 1us, qui annus est tertius a Biss., & habet Lit. Dom. E.

labente	init	& concurrit
Per. Jul.	Æræ M. Alex.	cum Per. Jul.
Prolepticæ	ex sententia Pagii	Prolepticæ
anno	annus	anno
7191° G.	1us a Sept.	7192° F.
adde 5500	5500	5500
12691°		12692°
aufer 7980		7980 integram Per. Jul.
4711°	5501us a Sept.	4712°, qui est ante Chr. 2us.

qui est
Incarnationis annus 1us a Sept.
secundum Alexandrinos
ex sententia Pagii.

XLII. a.

Exemplum in Æra Mundi Aniani & Panodori quartum.

Quæritur quota ſit Feria in menſis Phamenoth die 29° (qui eſt Martii 25us) anni Mundi 5501mi Æræ Aniani & Panodori.

Cujus Æræ annus 1us init a Thoth, Feria IIIa eſtque ſecundus ab intercalari — adeoque c ∞ 2, m ∞ 1

e ∞ 5500
m ∞ 1
e + m ∞ 5501

divide p. 4 — Quotiens 1375 ∞ f
Reliquum 1 — 5500 ∞ e
adeoque — 6875 ∞ e + f

annus 5501us eſt ſecundus ab intercalari.

divide p. 7 — Quotiens 982 ∞ n
Reliquum 1 Epacta ∞ e + f ÷ 7 n
2 Catholicæ ∞ c

a Thoth 1 ad Pham. 29, dies 209 ∞ a
212

divide p. 7 — Quotiens 30 ∞ d
Reliquum 2a Feria in die dato.

Hic annus & dies eſt juxta Anianum annus & dies Conceptionis Chriſti. Teſte Syncello in ſua Chronographia p. 35.

Hic dies Phamenoth 29us, qui eſt Martii 25us, cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 9um, qui eſt primus a Biſſ., & habet Lit. Dom. F.

labente Per. Jul. Prolepticæ anno	init Æræ Mundanæ Aniani & Panodori annus	& concurrit cum Per. Jul. Prolepticæ anno
7201° BA.	1us, Aug. 29°.	7202° G.
adde 5500	5500	5500
12701°		12702°
auf. 7980		7980 integram Per. Jul.
4721° AG.	5501us, Aug. 290. qui eſt Incarnationis annus 1us juxta Anianum.	4722° F. qui eſt Chr. 9us.

XLII. b.

XLII. b.

Exemplum in Æra Mundi Constantinopolitana, sed Technica.

Quæritur quota sit Feria in Martii die 24° anni 5509ni Æræ Mundi C. P. Technicæ.

Cujus Æræ Technicæ annus 1us init a Kal. Martii, Feria VIa estque secundus a Biss.

adeoque
c ∞ 5
m ∞ 1

e ∞ 5508
m ∞ 1
e + m ∞ 5509
divide p. 4 / Quotiens 1377 ∞ f
Reliquum 1 — 5508 ∞ e
adeoque — 6885 ∞ e + f
annus 5509us est secundus a Biss. — divide p. 7 / Quotiens 983 ∞ n
Reliquum 4 Epactæ ∞ e + f ÷ 7 n
5 Catholicæ ∞ c
in Martio dies 24 ∞ a
33
divide p. 7 / Quotiens 4 ∞ d
Reliquum 5a Feria in die dato.

Hic dies Martii 24us cadit in Æræ Vulg. Christi annum 1um, qui est primus a Bissextili, & habet Lit. Dom. B. Nec non Indictionem IVam & Cyclum Lunarem XVIIIum, ut in Cyclis Bedæ videre licet. Confer supra §° 35.

labente Per. Jul. Prolepticæ anno	init Æræ Mundi C P. Technicæ annus
7186° F.	1us a Kal. Martii
adde 5508	5508
12694°	
aufer 7980	
4714° Christi 1°	, 5509us a Kal. Martii

5509, divisus per 15, relinquit 4am Indictionem,
5509, divisus per 19, relinquit 18um Cycli Lunaris annum.

XLII. c.

Exemplum in Æra Mundi Maximi Technica.

Quæritur quota ſit Feria in Aprilis die 8vo anni Solaris Technici 6133tii a Mundo Condito juxta Maximum.

Cujus Æræ Technicæ annus 1us init a Kal. Aprilis, Feria Ia eſtque ſecundus a Biſſ. — adeoque c ∞ 0, m ∞ 1

e ∞ 6132
m ∞ 1
e + m ∞ 6133

divide p. 4 / Quotiens 1533 ∞ f
Reliquum 1 — 6132 ∞ e
adeoque — 7665 ∞ e + f
annus 6133us eſt ſecundus a Biſſ. — divide p 7 / Quotiens 1095 ∞ n
Reliquum 0 Epactæ ∞ e + f ÷ 7 n
0 Catholicæ ∞ c
in Aprili dies 8 ∞ a
8
divide p. 7 / Quotiens 1 ∞ d
Reliquum 1a Feria in die dato.

Hoc ipſo Exemplo utitur Maximus in Computi ſui Parte 1a, Cap. 19o.

Hic dies Aprilis 8us cadit in Æræ Chriſti Vulg. annum 641um, qui eſt primus a Biſſ., & habet Lit. Dom. G. Confer ſupra §o 33.

	labente Per. Jul. Prolepticæ anno	init Æræ M. Technicæ Maximi annus
	7202o, G.	1us, Apr. 1o,
adde	6132	6132
	13334o	
aufer	7980	
	5354o, Chriſti 641o.	6133us, Apr. 1o.

XLIII.

C. Computus Solaris cum compendio calculi ſecundo, quod verſatur circa numerum annorum elapſorum ∞ e *in inquiſitione Epactarum.*

XLIV.

In quo hoc compendium calculi conſiſtat.

Hoc ſecundum calculi compendium in eo conſiſtit, quod in Computo ad inveniendum Epactas, qui juxta Regulam, ſupra §° 20 propoſitam, inſtituitur, loco numeri annorum, ante annum datum, in Æra data elapſorum ∞ e, adhibeatur ille numerus, demptis omnibus Cyclis Solis completis, quorum quiſque eſt annorum 28, adeoque e ÷ 28 p. ubi p eſt numerus Cyclorum Solis ablatorum.

XLV.

Quænam mutatio inferatur in numerum Epactalem per hoc calculi compendium.

Numerus Epactalis ſupra §° 20 & §° 22, inventus, & indicatus, erat ∞ e + f ÷ 7 n
& f erat Quotiens numeri e + m per quaternarium diviſi.

Nunc autem, ſi loco e ſubſtituatur e ÷ 28 p, numerus Epactalis erit e ÷ 28 p + f ÷ 7 n
& f erit Quotiens numeri e ÷ 28 p + m, per quaternarium diviſi.

Si itaque
w ∞ e ÷ 28, p
erit
numerus Epactalis
w + f ÷ 7 n
& erit
f Quotiens numeri w + m, per quaternarium diviſi.

XLVI.

Explicatur hoc calculi compendium, & quomodo peragatur ostenditur.

Computus Solaris cum hoc calculi compendio, in inquisitione Epactarum, ita se habet & hoc modo procedit :

1° A numero anni dati in Æra data, qui est $e + 1$ auferuntur omnes Cycli Solis completi, ante annum datum elapsi. Sit numerus Cyclorum ante annum datum in Æra data elapsorum $\propto p$. Erit Reliquum $e + 1 \div 28, p$. Hoc Reliquum exprimit quotus Cycli Solis labentis annus sit annus datus.

2° Hoc Reliquum $\propto e + 1 \div 28, p$. tum porro in computo ita consideratur, ac si 1us hujus numeri annus esset 1us Æræ datæ annus, & ultimus hujus numeri annus esset ipse Æræ datæ annus datus.

Hoc est, loco numeri annorum ante annum datum in Æra data elapsorum $\propto e \propto e + 1 \div 1$, sumitur numerus annorum ante annum Cycli Solis labentem, (qui anno dato in Æra data respondet) in Cyclo Solis labente elapsorum, $\propto e \div 28, p \propto e + 1 \div 28, p \div 1 \propto w$.

Et tum porro in Computo plane eodem modo proceditur, ut supra §° 20 vidimus.

XLVII.

Observatio ad §um præcedentem.

A Numero anni dati in Æra data auferre omnes Cyclos Solis completos ante annum datum in Æra data elapsos, & Reliquum habere pro numero anni labentis in Cyclo Solis labente: sive numerum anni dati in Æra data dividere per 28, & hujus divisionis reliquum habere pro numero anni labentis in Cyclo Solis labente, aut, si ex hac divisione nihil remanserit, annum datum habere pro Cycli Solis labentis anno 28° ; hoc perinde est.

XLVIII.

XLVIII.

De Cyclo Solis in genere conſiderato.

Obſervatio 1ª. Omnis varietas, quæ in diſcurſu Feriarum Septimanæ per annum Solarem Julianum, ejusque ſingulos dies, in aliquot ſe invicem ſequentibus annis conſpicitur, ſpatio 28 annorum includitur. Ita ut illo ſpatio 28 annorum evoluto, eædem Septimanæ Feriæ ad eosdem anni Solaris Juliani dies redeant, & plane eodem ordine per ſequentes 28 annos diſcurrant, ut antea in præcedentibus 28 annis. Hinc illud Syſtema 28 annorum Solarium Julianorum, in relatione ad diſcurſum Feriarum per illud ſpatium annorum, vocarunt Cyclum Solis, quia in illo ſpatio annorum omnis varietas, in diſcurſu Feriarum obſervanda, includitur, & illo ſpatio annorum evoluto eædem Feriæ eodem ordine redeunt, & ſic Feriarum fit ἀποκατάστασις, & hujus diſcurſus Feriarum redintegratio.

Obſervatio 2ª. Unicuique Æræ datæ, quæcunque illa ſit, innexus eſt Cyclus Solis, qui illi Æræ per ſe & naturaliter proprius eſt, quique una cum Æræ illius anno 1° ejusque die 1° initium ſumit, &, unoquoque anno Æræ 28° evoluto, denuo redingratur & repetitur. Quod ex natura ipſius rei patet, & in Exemplis ſupra §° 25 & ſeq. adductis, conſpici poteſt.

Obſervatio 3ª. Omnis diverſitas quæ in Cyclis Solis circa ſitum & progreſſum annorum in Cyclo intercalarium conſpicitur, dependet a diverſa anni Æræ datæ primi conſtitutione, in relatione ad illius anni primi diſtantiam ab anno Biſſextili proxime transacto. Nam hæc diverſitas in anni Æræ datæ primi conſtitutione, determinat ſitum & progreſſum annorum in Cyclo Solis Biſſextilium ſeu intercalarium, dierum 366, & hunc ſitum ac progreſſum illorum annorum diverſum reddit. Cum autem illa anni Æræ datæ primi diſtantia ab anno Biſſ. proxime transacto, quadruplici modo variare poteſt: (annus enim Æræ datæ primus poteſt eſſe ab anno Biſſextili ſeu intercalari, proxime transacto, 1us, 2us, 3us & 4us) hinc ſequitur etiam ſitum & progreſſum annorum Biſſextilium in Cyclo Solis, qui illi Æræ datæ naturaliter innexus eſt, quadruplici modo

modo posse variare: ac proinde dari posse quadruplicem Cyclum Solis. Nam

Quando Æræ datæ annus 1^{us} est	Tum Cycli Solis huic Æræ innexi
primus ab anno Biss.	annus 4^{us}, 8^{us}, 12 &c. est Biss.
secundus ab anno Biss.	annus 3^{us}, 7^{us}, 11 &c. est Biss.
tertius ab anno Biss.	annus 2^{us}, 6^{us}, 10 &c. est Biss.
quartus ab anno Biss.	annus 1^{us}, 5^{us}, 9 &c. est Biss.

Confer, quæ supra observavimus §° 8° Observ. 2ª.

XLIX.

Fundamentum hujus compendii in calculo adhibiti.

Hoc compendium calculi nititur hoc fundamento,

Quod annus Æræ datæ 29^{us}, 57^{us}, &c. plane eodem modo comparatus sit, ac annus Æræ datæ 1^{us}, hoc est, quod ineat ab eadem Feriâ, & eandem distantiam habeat ab anno Bissextili seu intercalari.

Hoc autem ita se habere, patet ex iis, quæ §° præcedente de Cyclo Solis dicta sunt.

L.

Regulæ Computi Solaris cum hoc secundo calculi compendio.

1° Numerum anni dati in Æra data, qui est $e + 1$, divide per 28. Sit Quotiens hujus divisionis p. erit Reliquum $e + 1 \div 28$ p.

2° Hoc Reliquo deinde utere, ac si numerus anni dati in Æra data esset $e + 1 \div 28$, p. & in Computo eodem modo procede, ut supra dictum est, §° 20, & 23.

LII.

L I I.

Hoc compendium calculi illuſtratur Exemplo.

Quæratur quota ſit Feria in Januarii die 1^{o} anni 4714^{ti} Periodi Julianæ.

Cujus Periodi annus 1^{us}

init a Kal. Januarii, Feria II^{a} adeoque $c \propto 1$

eſtque quartus a Biſſextili —— $m \propto 3$

Numerus anni dati $4714 \propto e + 1$

dividatur per 28 / Quotiens $168 \propto p$

Reliquum $10 \propto e + 1 \div 28, p$

ergo

annus datus 4714^{us} eſt Cycli Solis labentis annus 10^{us}.

Procede jam porro plane eodem modo, ac ſi annus Per. Jul. 10^{us} eſſet datus

$e \div 28, p \propto 9 \propto w$

$m \propto 3$

$w + m \propto 12$

divide per 4 / Quotiens $3 \propto f$

Reliquum 0 $9 \propto w \propto e \div 28, p$

adeoque $12 \propto w + f$

annus Per. Jul. 4714^{us} divide p. 7 / Quotiens $1 \propto n$

& Cycli Solis 10^{us} Reliquum 5 Epactæ $\propto w + f \div 7\,n$

eſt 1^{us} a Biſſext. —— 1 Catholicæ $\propto c$

in Januario dies $1 \propto a$

7^{a} Feria in die dato.

Confer hoc Exemplum, & ejus Computum, cum ejusdem Exempli Computo, $§^{o}$ 25.

LIII.

Exemplum alterum.

Quæratur quota ſit Feria in Martii die 24°, anni Æræ Christi Vulg. 532di

Cujus Æræ annus 1us adeoque
init a Kal. Jan., Feria VIIa c ꝏ 6
eſtque primus a Biſſ. m ꝏ 0

Numerus anni dati 532
dividatur p. 28 / Quotiens 19
Reliquum 0
adeoque
annus Æræ Chriſti Vulg. 532us eſt Cycli Solis 28us.

w ꝏ 27 annus Cycli Solis, uno dempto
m ꝏ 0

w + m ꝏ 27
divide p. 4 / Quotiens 6 ꝏ f
Reliquum 3 27 ꝏ w
adeoque 33 ꝏ w + f

annus datus Æræ Chr. 532us & Cycli Solis 28us eſt Biſſ.

divide p. 7 / Quotiens 4 ꝏ n
Reliquum 5 Epactæ ꝏ w + f ÷ 7 n
6 Catholicæ ꝏ c

a Jan. 1 — Mart. 24, dies ſunt 84 ꝏ a
quia annus 532us eſt Biſſ. —

95
divide p. 7 / Quotiens 13 ꝏ d
Reliquum 4a Feria in die dato.

Confer hujus Exempli Computum cum ejusdem Exempli Computo; ſupra §° 26.

L I V.

Appendix ad ſecundum calculi compendium.

Datur in Computo Solari cum ſecundo calculi compendio, etiam aliud compendium, ſed leve.

Hoc autem in eo conſiſtit, quod non numerus anni dati ∞ e + 1, ſed numerus annorum, ante annum datum in Æra data elapſorum, ſeu, quod eodem redit, numerus anni dati uno dempto ∞ e, dividatur per 28. & hujus diviſionis Reliquum ∞ e ÷ 28 p adhibeatur.

L V.

Obſervatio ad §um *præcedentem.*

Hoc compendio utuntur illi computiſtæ, qui Epactas calculando quærunt.

Sed priori modo, miſſo hoc compendio, procedunt, qui diviſione facta, cum numero reliquo Tabulam ſeu Κανόνιον ingrediuntur, & Epactas, non calculando, ſed inſpiciendo Tabulas quærunt.

L V I.

Hoc compendium, quod ſecundi compendii acceſſorium eſt, illuſtratur Exemplo.

Quæratur, ut ſupra §° 52, quota ſit Feria in Januarii die 1° anni 4714ti Per. Jul.

Cujus Periodi annus 1us
init a Kal. Jan., Feria IIa — adeoque c ∞ 1
eſtque quartus a Biſſ. — m ∞ 3

Numerus anni dati, uno dempto,
qui eſt 4713 ∞ e
dividitur p. 28 — Quotiens 168 ∞ p
Reliquum 9 ∞ e ÷ 28 p ∞ w
3 ∞ m
12 ∞ w + m
divide p. 4 — Quotiens 3 ∞ f
Reliquum 0 — 9 ∞ w
adeoque — 12 ∞ w + f

Per. Jul. annus 4714us eſt primus a Biſſext. & Cycli Solis 10us.

divide p. 7 — Quotiens 1 ∞ n
Reliquum 5 Epactæ ∞ w + f ÷ 7 n
1 Catholica ∞ c
in Januario dies 1 ∞ a
7a Feria in die dato.

LVII.

D. Computus Solaris cum compendio calculi tertio, qui peragitur ope Cycli Epactalis in Tabula descripti.

LVIII.

In quo hoc compendium calculi consistat.

Hoc compendium in eo consistit quod numerum Epactalem non quæramus calculo, sed eum jam inventum, & in Tabula descriptum, inde repetamus. Numerum Epactalem inquam, qui est ∞ w + f ÷ 7 n.

Ut enim Computistæ ab onere calculi in inquisitione Epactarum uniuscujusque anni Cycli Solis, liberarentur, easque semper in promptu haberent, constructæ sunt Tabulæ sive Rotæ, in quibus Cyclus Epactalis describebatur.

LIX.

Harum Tabularum seu Rotarum descriptio.

Hæ Tabulæ, quæ Græcis Κανόνια dicuntur, in formam Cycli seu Circuli erant dispositæ, & suas zonas habebant, unde nomen τροχῶν, seu Rotarum iis inditum, & singulis zonis etiam nomen τροχȣ̃ dabatur.

Prima zona continebat annos Cycli Solis a 1° ad 28um

Altera continebat singulorum horum annorum Epactas, e regione uniuscujusque anni positas.

His, vel in interiori, vel in exteriori margine adponebantur signa annorum Bissextilium, quæ (quod probe notandum est) adponebantur non iis annis, qui revera erant Bissextiles, dierum 366, sed illis annis, qui hos immediate sequebantur.

LX.

Ubinam apud veteres tales Tabulæ sive Rotæ reperiantur.

In Chronico Paschali.

In Maximi Computo.

L X I.

Quomodo computus Solaris cum hoc tertio calculi compendio peragatur.

Computus peragitur hoc modo:

1° Numerus anni dati ∞ e + 1 dividitur per 28. & ſic invenitur hujus diviſionis Reliquum ∞ e + 1 ÷ 28 p quod indicat quotus Cycli Solis labentis annus ſit annus datus.

2° Deinde cum illo numero, qui eſt e + 1 —28 p, ingrediuntur Tabulam, ſeu Rotam, eamque inſpicientes vident quot Epactæ adpoſitæ ſint e regione iſtius anni Cycli Solis, quem ille numerus exprimit.

3° His Epactis, eo modo inventis, utuntur, & tum porro eodem modo, in computo, procedunt, ut antea vidimus.

L X I I.

Fundamentum hujus compendii in calculo adhibiti.

Hoc compendium calculi nititur hoc fundamento:

Quod, quemadmodum Cyclus Solis ſpatio 28 annorum Ferias in orbem ducit, ita quoque ſpatio 28 annorum evoluto eædem Epactæ eodem ordine redeant: poſterius enim conſequens eſt prioris.

Et ſic Cyclus Solis producit Cyclum Epactarum, quarum uſus in Computo Solari neceſſarius, & inventio hujus Computi difficillima pars eſt.

L X I I I.

De Epactis Solis, earumque Natura & Cyclo in genere.

Obſervatio 1ª, Epactæ Solis ſunt vel annuæ vel menſtruæ. Nos hic conſideramus non menſtruas, ſed annuas Solis Epactas, ut per ſe patet.

Obſervatio 2ª, Epactæ Solis annuæ ſunt vel ſimplices, & proprie dictæ, vel compoſitæ & improprie dictæ. Nos hic conſideramus ſimplices & proprie dictas Solis Epactas.

Obſervatio 3ª, Epactas ſimplices voco, quæ naturaliter oriuntur ex ſimplici conſideratione anni Solaris formæ Julianæ, quod nempe ita conſtitutus ſit, ut contineat præter LII Septimanas completas, unum diem in annis Communibus, duos vero dies in annis Biſſextilibus, quæque eo modo inveniuntur, ut ſupra oſtenſum eſt, & omni compoſitione carent.

Obſer-

Obſervatio 4ª, Epactæ compoſitæ ſunt quæ ex Epactis ſimplicibus & *Catholicis*, in unam ſummam collectis, ſed demptis ab hac ſumma ſeptenariis, conflantur: quæque adhuc magis compoſitæ redduntur, quando præterea iis adjicitur primus anni dies, & ſic efficitur, ut exprimant Feriam concurrentem cum 1° anni die.

Obſervatio 5ª, Præterea ſimplices & ſimul proprie dictas Epactas voco, quæ, ut earum nomen præfert, ſimpliciter conſiderantur, ut ἡμέραι ἐπακταὶ, ut *dies adjectitii*, & quæ, in Computo, proprie eum in finem adhibentur, ut earum adjectione ad ſummam dierum a 1° anni dati die incluſive uſque ad diem datum incluſive collectam, id efficiatur, ut illa ſumma dierum, quæ inde oritur, ineat ab eadem Feria, a qua annus Æræ datæ, vel Cycli Solis, primus inierat.

Obſervatio 6ª, Atque hoc modo diſtinguo Epactas a *Concurrentibus* proprie dictis. Licet enim Epactæ quoque ſemper exprimant Feriam concurrentem cum certo anni die, non tamen in ea relatione conſiderantur. Concurrentes autem proprie dictæ, licet etiam, ut Epactæ, & dies adjectitii, adhiberi poſſint, proprius tamen earum uſus eſt, indicare, quænam Feria cum certo anni die, cui affixæ ſunt, concurrat, idque eum in finem, ut cognitâ Feriâ cum illo die concurrente, ſtatim deprehendatur, quænam Feria cum proxime, ſaltem non longe, diſtantibus diebus concurrat.

Obſervatio 7ª, Cyclus Epactarum continet Epactas omnium & ſingulorum viginti octo Cycli Solis annorum, ordine diſpoſitas, adpoſitis e regione ſingularum Cycli Solis annis, quorum Epactæ dicuntur, quia ad dies in illo anno, a 1° iſtius anni die uſque ad diem datum, collectos, adjici debent.

Obſervatio 8ª, Cyclus Epactarum dependet a Cyclo Solis: Cyclus enim Solis determinat Cyclum Epactarum.

Obſervatio 9ª, Primus Cycli Solis annus habet Epactas nullas; quod ex ipſius rei natura patet. Primus enim Cycli Solis annus, utpote cognitus in relatione ad Feriam Septimanæ, a qua init, nihil aliud, ad deprehendendam Feriam in die aliquo iſtius anni dato, requirit, quam ut ſummæ dierum, ab anni iſtius die 1° uſque ad diem datum collectorum, addantur *Catholicæ*; & Epactæ ſunt dies adjectitii, qui in reliquis annis, primum inſequentibus, adjiciuntur ad ſummam dierum, ab illorum annorum die 1° uſque ad diem datum collectorum, ut hac adjectione hoc efficiatur, ut ſumma dierum inde orta, quæ terminatur in die dato, ineat ab eadem Feriâ, a qua annus Cycli primus inierat.

Ob-

Obſervatio 10ª, Perinde eſt, & plane eodem redit, ſive anno Cycli Solis 1° dentur Epactæ *nullæ*, ſive ei dentur Epactæ VII. Quia Epactæ VII completam Septimanam faciunt, & in Computo Solari ad deprehendendam Feriam, nihil refert, ſi ſummæ dierum collectorum addatur Septimana completa, ſive nihil addatur. Computus enim requirit, ut a ſumma totali auferantur omnes Septimanæ completæ, ante diem datum elapſæ.

Obſervatio 11ª, Ex duabus præcedentibus obſervationibus patet, Cyclum Epactarum ſimplicium & proprie dictarum, de quo loquimur, habere determinatum initium, nempe ab illo anno, ſeu cellula, ſeu loculo, ubi reperiuntur adſcriptæ Epactæ 0, vel VII. & cum in toto Cyclo Epactarum hoc quatuor tantum in locis occurrat, inde ſequitur Cyclum Epactarum poſſe habere tantum quadruplex initium.

Obſervatio 12ª, Epactæ in progreſſu ſuo hanc Regulam ſervant, quod ſemper unitate creſcant, quando præcedens annus Cycli Solis fuit Communis, Binario autem, quando præcedens annus Cycli Solis fuit Biſſextilis, vel intercalaris, dierum 366; & quod ultra Septenarium non creſcant, ſed eouſque creſcentes ſeptenarium abjiciant & Reliquum retineant.

Obſervatio 13ª, Hinc patet, quando de Cyclo Solis cognitum eſt, quotus quiſque Cycli Solis annus ſit Biſſextilis, etiam circa Cyclum Epactarum cognitum eſſe, quando & quo ordine Epactæ creſcant, & ubi Binario augeſcant. Unde tum Cycli Epactalis conſtructio facilis eſt.

Obſervatio 14ª, Cum autem, ut ſupra §° 48°, Obſerv. 3ª vidimus, Cyclus Solis quadruplex dari poſſit pro quadruplici ſitu & progreſſu annorum in Cyclo Solis Biſſextilium, hinc ſequitur etiam dari poſſe quadruplicem Cyclum Epactalem, pro quadruplici ſitu & progreſſu illarum Epactarum, quæ Binario creſcunt.

Obſervatio 15ª, Hæc clarius pateſcunt ad oculum ex ſequenti Schemate, in quo Cyclum Epactalem, licet non in formam Cycli, ſed Laterculi diſpoſitum exhibeo, adpoſitis annis Cycli Solis quadruplicis: ut & ex altero Schemate, in quo Cyclus Solis cum Cyclo Epactali quadruplici deſcriptus eſt. §° 64, & 65.

LXIV.

Cyclus Epactalis cum Cyclo Solis quadruplici.

	Epactæ Solis	1mi Cycli annus	2di Cycli annus	3tii Cycli annus	4ti Cycli annus	
B.	o VII	1	23	12	6	
	I	2	24	13	7	
	II	3	25	14	8	
	III *	4	26	15	9	dierum 366.
B.	V	5	27	16	10	
	VI	6	28	17	11	
	o VII	7	1	18	12	
	I *	8	2	19	13	dierum 366.
B.	III	9	3	20	14	
	IV	10	4	21	15	
	V	11	5	22	16	
	VI *	12	6	23	17	dierum 366.
B.	I	13	7	24	18	
	II	14	8	25	19	
	III	15	9	26	20	
	IV *	16	10	27	21	dierum 366.
B.	VI	17	11	28	22	
	o VII	18	12	1	23	
	I	19	13	2	24	
	II *	20	14	3	25	dierum 366.
B.	IV	21	15	4	26	
	V	22	16	5	27	
	VI	23	17	6	28	
	o VII *	24	18	7	1	dierum 366.
B.	II	25	19	8	2	
	III	26	20	9	3	
	IV	27	21	10	4	
	V *	28	22	11	5	dierum 366.
		primus a Biss.	tertius a Biss.	sec. a Biss.	quartus a Biss.	

LXV.

Cyclus Solis cum Cyclo Epactali quadruplici.

Cycli Solis annus	Cyclus 1us Epactal.	Cyclus 2us Epactal.	Cyclus 3us Epactal.	Cyclus 4us Epactal.
1	B. o VII	o VII	o VII	o VII *
2	I	I	I *	B. II
3	II	II *	B. III	III
4	III *	B. IV	IV	IV
5	B. V	V	V	V *
6	VI	VI	VI *	B. o VII
7	o VII	o VII *	B. I	I
8	I *	B. II	II	II
9	B. III	III	III	III *
10	IV	IV	IV *	B. V
11	V	V *	B. VI	VI
12	VI *	B. o VII	o VII	o VII
13	B. I	I	I	I *
14	II	II	II *	B. III
15	III	III *	B. IV	IV
16	IV *	B. V	V	V
17	B. VI	VI	VI	VI *
18	o VII	o VII	o VII *	B. I
19	I	I *	B. II	II
20	II *	B. III	III	III
21	B. IV	IV	IV	IV *
22	V	V	V *	B. VI
23	VI	VI *	B. o VII	o VII
24	o VII *	B. I	I	I
25	B. II	II	II	II *
26	III	III	III *	B. IV
27	IV	IV *	B. V	V
28	V *	B. VI	VI	VI
	quando Cycli Solis annus primus est			
	primus a Biss.	secundus a Biss.	tertius a Biss.	quartus a Biss.

LXVI.

LXVI.

Præcedentia illustrantur per resolutionem æquationis, qua numerus Epactalis exprimitur.

Numerus Epactalis, ut supra §° 45° vidimus, est ∞ w + f ÷ 7 n.
In quâ æquatione

w est numerus annorum in Cyclo Solis labente, ante annum Cycli Solis datum, seu inventum elapsorum, & continet tot dies, quot anni ante annum datum elapsi sunt.

f est numerus dierum Bissextilium, qui in illis annis, ante annum datum elapsis, inserti jam transierunt.

n est numerus Septimanarum completarum, quæ a summa dierum, ex w & f conflata, auferendæ sunt.

Numerus f est Quotiens numeri w + m, per Quaternarium divisi.

m est numerus annorum, qui inter annum Cycli Solis, primum, & annum Bissextilem, proxime transactum, intercurrunt, & potest esse ∞ 0. 1. 2. 3.

ac proinde

Quando	Tum Cycli Solis
m ∞ 0	annus 1^us^ est *primus* a Biss.
. . 1	—— . . . *secundus* ——
. 2	—— . . *tertius* ——
. . 3	—— . . *quartus* ——

ut vidimus supra.

Resolvatur jam hæc æquatio, &, ope hujus resolutionis, quærantur Epactæ anni in Cyclo Solis 1^mi^, 2^di^, 3^tij^, 4^ti^, 5^ti^ &c.

Memento autem, quod numerus w sit æqualis numero anni dati uno dempto, seu, quod sit numero anni dati unitate minor.

א. *Quærantur Epactæ anni 1^mi^ in Cyclo Solis.*

$$w \propto 0$$
$$m \propto 0.1.2.3$$
$$\overline{w + m \propto 0.1.2.3}$$

divide p. 4 — Quotiens $0.0.0.0 \propto f$

$$0. \propto w$$
$$\overline{0.0.0.0 \propto w + f}$$

divide p. 7 — Quotiens $0.0\,0.0 \propto n$

Reliquum $0.0.0.0 \propto w + f \div 7\,n$

Epactæ anni 1^mi^.

ב. *Quærantur Epactæ anni 2^di^ in Cyclo Solis.*

$$w \propto 1$$
$$m \propto 0.1.2.3$$
$$\overline{w + m \propto 1.2.3.4}$$

divide p. 4 — Quotiens $0.0.0.1 \propto f$

$$1 \propto w$$
$$\overline{1.1.1.2 \propto w + f}$$

divide p. 7 — Quotiens $0.0.0.0 \propto n$

Reliquum $1.1.1.2 \propto w + f \div 7\,n$

Epactæ anni 2^di^.

ג *Quærantur Epactæ anni 3^tii^ in Cyclo Solis.*

$$w \propto 2$$
$$m \propto 0.1.2.3$$
$$\overline{w + m \propto 2.3.4.5}$$

divide p. 4 — Quotiens $0.0.1.1 \propto f$

$$2 \propto w$$
$$\overline{2.2.3.3 \propto w + f}$$

divide p. 7 — Quotiens $0.0.0.0 \propto n$

Reliquum $2.2.3.3 \propto w + f \div 7\,n$

Epactæ anni 3^tii^.

ד. *Quærantur Epactæ anni 4ti in Cyclo Solis.*

$w \propto 3$
$m \propto 0.1.2.3$
$w + m \propto 3.4.5.6$
divide p. 4 — Quotiens $0.1.1.1 \propto f$
$3 \propto w$
$3.4.4.4 \propto w + f$
divide p. 7 — Quotiens $0.0\ 0.0 \propto n$
Reliquum $3.4.4.4 \propto w + f \div 7n$
Epactæ anni 4ti.

ה. *Quærantur Epactæ anni 5ti in Cyclo Solis.*

$w \propto 4$
$m \propto 0.1.2.3$
$w + m \propto 4.5.6.7$
divide p. 4 — Quotiens $1.1.1.1 \propto f$
$4 \propto w$
$5.5.5.5 \propto w + f$
divide p. 7 — Quotiens $0.0.0.0 \propto n$
Reliquum $5.5.5.5 \propto w + f \div 7n$
Epactæ anni 5ti.

ו. *Quærantur Epactæ anni 6ti in Cyclo Solis.*

$w \propto 5$
$m \propto 0.1.2.3$
$w + m \propto 5.6.7.8$
divide p. 4 — Quotiens $1.1.1.2 \propto f$
$5 \propto w$
$6.6.6.7 \propto w + f$
divide p. 7 — Quotiens $0.0.0.1 \propto n$
Reliquum $6.6.6.0 \propto w + f \div 7n$
Epactæ anni 6ti.

ז. *Quærantur Epactæ anni* 7^{mi} *in Cyclo Solis.*

w ∝ 6
m ∝ 0.1.2.3

w + m ∝ 6.7.8.9
divide p. 4 —— Quotiens 1.1.2.2 ∝ f
6 ∝ w

7.7.8.8 ∝ w + f
divide p. 7 —— Quotiens 1.1.1.1 ∝ n
Reliquum 0.0.1.1 ∝ w + f ÷ 7 n
Epactæ anni 7^{mi}.

ח. *Quærantur Epactæ anni* 8^{vi} *in Cyclo Solis.*

w ∝ 7
m ∝ 0.1.2.3

w + m ∝ 7.8.9.10
divide p. 4 —— Quotiens 1.2.2.2 ∝ f
7 ∝ w

8.9.9.9 ∝ w + f
divide p. 7 —— Quotiens 1.1.1.1 ∝ n
Reliquum 1.2.2.2 ∝ w + f ÷ 7 n
Epactæ anni 8^{vi}.

ט. *Quærantur Epactæ anni* 9^{ni} *in Cyclo Solis.*

w ∝ 8
m ∝ 0.1.2.3

w + m ∝ 8.9.10.11
divide p. 4 —— Quotiens 2. 2. 2. 2 ∝ f
8 ∝ w

10.10.10.10 ∝ w + f
divide p. 7 —— Quotiens 1. 1. 1. 1 ∝ n
Reliquum 3. 3. 3. 3 ∝ w + f ÷ 7 n
Epactæ anni 9_{ni}.

& sic porro.

LXVII.

LXVII.

E. Computus Solaris cum compendio calculi quarto, quod versatur circa primam summam ∞ a, quæ continet dies ab anni dati die 1° inclusive usque ad diem in illo anno datum inclusive, collectos.

LXVIII.

Circa hoc compendium Observatio præliminaris.

Hoc compendium calculi quartum dependet a natura mensium, qui in anno Civili Romanorum, & Alexandrinorum diversi sunt.

Dependet quoque a diverso anni Romani initio, qui more Græcorum a Kalendis Septembris, more vero Latinorum a Kalendis Januariis init.

Dependet denique a diverso anni initio, quod vel Chronographi in sua Chronographia, vel Computistæ in suo Computo pro lubitu assumpserunt: exempli gratia, Auctor Chronici Paschalis in sua Chronographia assumit Martii diem 21um. Georgius Syncellus autem in sua Chronographia assumit Martii diem 25um, a quo Æræ ejus Mundanæ anni initium sumunt. Maximus monachus in suo Computo assumit diem Kalendar. Aprilis, Isaacus Argyrus autem in suo Computo assumit diem Kalendar. Octob., a quo anni Cycli Solis initium sumunt &c.

Præterea hoc calculi compendium diversimode adhibetur, & vel simpliciter, vel addito adhuc alio compendio peragitur.

Adeoque commodius & distinctius de hoc calculi compendio agi potest, quando de hujus vel illius Computistæ Computo Solari in specie agitur.

Non tamen incongruum erit etiam de hoc calculi compendio, quantum fieri potest, hic in genere agere.

LXIX.

Quomodo summa dierum ∞ a colligatur absque ullo calculi compendio.

Summa dierum ∞ a colligitur, absque ullo calculi compendio, hoc modo:

Primo colliguntur per additionem omnes dies singulorum mensium ante mensem datum elapsorum.

Deinde adjicitur ποσιαία, seu Quota mensis dati.

LXX.

L X X.

Primum compendium in hac collectione dierum adhibitum.

Loco omnium in unoquoque menſe elapſo dierum, colligebant tantum dies in unoquoque menſe elapſo, præter ſeptimanas completas, ſuperfluos.

L X X I.

Exemplum in anno Alexandrino.

Sit dies datus, menſis Phamenoth dies 28us.

Collectio dierum abſque Compendio		Collectio dierum cum Compendio	
Thoth dies	30	dies ſuperflui	2
Paophi . .	30	—— ——	2
Athyr . .	30	—— ——	2
Choiac .	30	—— ——	2
Tybi . .	30	—— ——	2
Mechir .	30	—— ——	2
	180		12
ποσιαία Phamen.	28	. . .	28
	208		40

L X X I I.

Exemplum in anno Romano a Kalendis Januariis ineunte,

Sit dies datus, menſis Martii dies 24.

Collectio dierum abſque Compendio		Collectio dierum cum Compendio	
Januarius dies	31	dies ſuperflui .	3
Februarius .	28	—— ——	0
	59		3
Quota Martii . .	24	—— ——	24
	83		27

Memento, quando annus datus eſt Biſſextilis, adjicere unitatem.

LXXIII.

LXXIII.

Exemplum in anno Romano Græcorum a Kalendis Septembris ineunte.

Sit dies datus menſis Martii dies 24.

Collectio dierum abſque Compendio		Collectio dierum cum Compendio		
Septembris dies	30	dies	ſuperflui	2
Octobris . .	31	——	——	3
Novembris .	30	——	——	2
Decembris .	31	——	——	3
Januarii . .	31	——	——	3
Februarii .	28	——	——	0
	181			13
Quota Martii . .	24	——	——	24
	205			37

Memento, quando annus datus eſt Biſſextilis adjicere unitatem.

LXXIV.

Regula pro anno Alexandrino ad faciliorem hujus Compendii uſum.

Primo, *ſume pro unoquoque menſe, ante menſem datum elapſo dies duos*, ſeu, ut Computiſtæ loquuntur, *ſume duplum menſium, ante menſem datum elapſorum.*

Deinde adjice *ποςιαίαν* menſis dati.

LXXV.

Alterum compendium in hac collectione dierum adhibitum, & priori quaſi additum.

In collectione dierum, in unoquoque menſe elapſo ultra Septimanas completas, ſuperfluorum, continuo hos dies ſuperfluos ſibi invicem aggregabant, & ab aggregato, quando id fieri poterat, auferebant Septenarios.

Et ſic inveniebant *προσθετὰς*, ſeu *Regulares* menſium, quas etiam *Epactas Solis menſtruas* vocabant.

LXXVI.

Exemplum in anno Alexandrino.

Collectio absque Compend.		dierum, cum Comp. 1°	dies superflui aggregati	demptis septen.		
Thoth	30.	2.	2.	2.	[illegible]	Paophi
Paophi	30.	2.	4.	4.	——	Athyr
Athyr	30.	2.	6.	6.	——	Choiac
Choiac	30.	2.	8.	1.	——	Tybi
Tybi	30.	2.	10.	3.	——	Mechir
Mechir	30.	2.	12.	5.	——	Phamen.
Pham.	30.	2.	14.	0.	——	Pharm.
Pharm.	30.	2.	16.	2.	——	Pachon
Pachon	30.	2.	18.	4.	——	Pauni
Pauni	30.	2.	20.	6.	——	Epiphi
Epiphi	30.	2.	22.	1.	——	Mesori
Mesori	30.	2.	24.	3.	——	Epagom.

LXXVII.

Exemplum in anno Romano, a Kalendis Januar. ineunte.

Collectio absque Compend.	dierum, cum Comp. 1°	dies superflui aggregati	demptis septen.		
Jan. 31.	3.	3.	3.	Regulares	Februarii
Febr. 28.	0.	3.	3.	——	Martii
Mart. 31.	3.	6.	6.	——	Aprilis
April. 30.	2.	8.	1.	——	Maji
Maj. 31.	3.	11.	4.	——	Junii
Jun. 30.	2.	13.	6.	——	Julii
Jul. 31.	3.	16.	2.	——	Augusti
Aug. 31.	3.	19.	5.	——	Septemb.
Sept. 30.	2.	21.	0.	——	Octobris
Oct. 31.	3.	24.	3.	——	Novemb.
Nov. 30.	2.	26.	5.	——	Decemb.

Memento, in anno Bissextili Regulares Martii, Aprilis, &c. unitate esse augendas.

LXXVIII.

Exemplum in anno Romano Græcor. a Kal. Sept. ineunte.

Collectio dierum, absque Comp.	cum Comp. 1°	dies superflui aggregati	demptis septen.		
Sept. 30.	2.	2.	2.	Regulares	Octobris
Oct. 31.	3.	5.	5.	——	Novem.
Nov. 30.	2.	7.	0.	——	Decemb.
Dec. 31.	3.	10.	3.	——	Januarii
Jan. 31.	3.	13.	6.	——	Februar.
Febr. 28.	0.	13.	6.	——	Martii
Mart. 31.	3.	16.	2.	——	Aprilis
April. 30.	2.	18.	4.	——	Maji
Maj. 31.	3.	21.	0.	——	Junii
Jun. 30.	2.	23.	2.	——	Julii
Jul. 31.	3.	26.	5.	——	Augusti.

Memento, in anno Bissextili Regulares Martii, Aprilis, &c. unitate esse augendas.

LXXIX.

Quid observandum in Computo Solari, quando anni Æræ datæ quidem concurrunt, sed non pari passu ambulant cum annis Cycli Solis.

Hactenus consideravimus annos Æræ datæ & annos Cycli Solis non tantum ut concurrentes, sed etiam ut pari passu ambulantes; ita ut primus Æræ datæ annus & primus Cycli Solis annus, ambo ab eodem Solaris anni die ineant.

Nunc autem considerabimus illum casum, in quo anni Æræ datæ quidem concurrunt, sed non pari passu ambulant cum annis Cycli Solis; ita ut primus Æræ datæ annus concurrat quidem cum primo Cycli Solis anno, sed non ab eodem Solaris anni die ambo ineant.

Quandoque enim contingit, ut Computistæ adhibeant Cyclum Solis, non naturaliter Æræ Civili aut historicæ innexum, sed plane technicum, cujus anni omnes & singuli ineunt ab aliquo anni Solaris Civilis die pro lubitu assumpto, & diverso ab illo anni Solaris Civilis die, a quo ineunt anni Æræ Civilis, qua utuntur, & per quorum divisionem per 28 inquirunt, quotus sit Cycli Solis labentis annus.

Exempli gratia: Isaacus Argyrus in Computo suo utitur Æra Constantinopolitana, cujus anni ineunt a Kalendis Septembris, & annum hujus Æræ datum dividit per 28, ut habeat Cycli Solis labentis annum labentem, sed adhibet Cyclum Solis non a Kalendis Septembris, sed a proxime sequentibus Kalendis Octobris ineuntem. Et, quod adhuc magis singulare, Maximus monachus in Computo suo utitur Æra Mundi, cujus anni ineunt a Kalendis Septembris, & annum hujus Æræ datum dividit per 28, ut habeat Cycli Solis labentis annum labentem; sed adhibet Cyclum Solis, non a Kalendis Septembris, sed a sequentibus Kalendis Aprilis.

Hoc in casu varia in Computo Solari observanda sunt.

1° Quod Æræ datæ annus datus proprie dicendus sit concurrere cum illo Cycli Solis anno, qui hoc anno Æræ dato labente init, non autem cum illo Cycli Solis anno, qui hoc anno Æræ dato labente desinit: quia illud Pascha, quod per illum Cycli Solis annum proditur, pertinet ad

hunc Æræ datæ annum datum, quo labente ille Cycli Solis annus init. Exempli gratia, annus Æræ datæ primus, a Septembri iniens, dicendus eſt concurrere cum Cycli Solis anno primo, qui a ſequentibus Kalendis Aprilis initurus eſt.

2° Probe notandum an dies datus præcedat diem, a quo Cycli Solis annus, cum Æræ datæ anno dato proprie concurrens, init, an vero hunc diem ſequatur: & ſi dies datus præcedat, tum numerus anni dati prius unitate minuendus eſt, & deinde per 28 dividendus, ut habeas Cycli Solis annum tunc adhuc labentem, quo uti debes, eo modo, ut ante dictum eſt, ad deprehendendam Feriam in die dato anni dati Æræ datæ.

3° Quod diſtantia ab anno Biſſ., non quâ annus Æræ datæ primus, ſed quâ annus Cycli Solis primus diſtat ab anno Biſſ. proxime transacto, hic conſideranda ſit.

4° Quod Καθολικαὶ hic non reſpiciant Feriam, a qua Æræ datæ annus primus, ſed a qua Cycli Solis annus primus init.

5° Quod collectio dierum, quorum ſumma ∞ a, non ſit repetenda ab anni dati Æræ datæ die 1°, ſed ab anni Cycli Solis labentis die 1°.

Exemplum.

Quæratur quota ſit Feria in menſis Februarii die 10°, anni 6133^tii, Æræ Mundanæ a Kalendis Septembris ineuntis, qua utitur Maximus, & cui innectit Cyclum Solis a ſequentibus Kalendis Aprilis ineuntem:

Cujus Cycli Solis annus primus

init Feria I^a	adeoque	c ∞ 0
eſtque ſecundus ab anno Biſſ.	——	m ∞ 1

Quia dies datus, menſis Febr. 10^us in anno M. 6133° præcedit Kalendas Aprilis ejusdem anni, a quibus Cycli Solis annus, cum hoc anno Mundi proprie concurrens, initurus eſt, numerus anni dati, qui eſt 6133, prius unitate minuendus eſt, & tum diviſio per 28 inſtituenda eſt, ut obtineas Cycli Solis annum in Februario adhuc labentem.

6132 eſt numerus anni dati unitate minutus ;
divide p. 28 / Quotiens 218 Cycli Solis elapſi,
Reliquum 28 eſt Cycli Solis annus tunc adhuc labens.

Procede jam porro ac ſi Cycli Solis annus 28^us^ eſſet annus datus.

27 Numerus annorum Cycli Solis elapſorum.
adde 1 quia Cycli annus 1^us^ eſt ſecundus ab anno Biſſ.
28
divide p. 4 / Quotiens erit 7 dies Biſſ. annor. Cycli elapſor.
Reliquum 0 adde 27 pro 27 annis Cycli elapſis ;
adeoque 34
Cycli annus 28^us^ divide p. 7 / Quotiens 4
eſt primus ab Reliquum 6 Epactæ
anno Biſſext. 0 Catholicæ, quia Cycli annus
(1^us^ init a Feria 1^a^.
a Kalendis Aprilis uſque ad ſequentis Februarii diem 10^um^, ſunt dies . . 316 ∞ a
322
divide p. 7 / Quotiens 45
Reliquum 7^a^ Feria in die dato.

LXXX.

Quid obſervandum in Computo Solari quando anni Æræ datæ non concurrunt cum annis Cycli Solis.

Anni Æræ datæ dicuntur concurrere cum annis Cycli Solis, quando annus Æræ datæ primus eſt quoque annus Cycli Solis primus, & ſic porro.

Quando vero Æræ datæ annus 1^us^ non eſt Cycli Solis annus 1^us^, ſed 2^us^, vel 3^us^, vel 4^us^, &c. tum anni Æræ datæ non concurrunt cum annis Cycli Solis.

Hoc in caſu hæc obſervanda ſunt in Computo Solari.

Poſito, quod anni Æræ datæ, & anni Cycli Solis pari paſſu ambulent, hoc eſt, utrique ab eodem Solaris anni die ineant.

1° Anno

1° Anno Æræ dato tot anni adjiciendi ſunt, quot ante Æræ illius annum primum, in Cyclo Solis jam elapſi erant. Exempli gratia: ſi Æræ datæ annus 1^{us} ſit Cycli Solis annus 9^{us}, tum Æræ datæ anno dato, octo anni adjiciendi ſunt.

2° Tum porro in Computo conſideranda eſt conſtitutio non anni Æræ datæ primi, ſed, exempli gratia, quando octo annos adjeciſti, anni ante Æram datam octavi, quotus ſcilicet ille ſit ab anno Biſſ., & a qua Feria ineat. Et deinceps in Computo plane eodem modo procedendum, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt.

Exemplum.

Vide in Diſſertatione de Pauli Alexandrini Computo Solari & Cyclo Solis, §° 11°.

DE
PAULI ALEXANDRINI
COMPUTO SOLARI
ET
CYCLO SOLIS.

I.

Unde hoc Pauli Alexandrini Excerptum acceperim.

DOctissimus juvenis *Franciscus Smit*, Bremensis, qui nunc (anno Christi 1724) verbi divini ministerio fungitur in ædibus Dni *Pesters*, qui nomine Ordinum Belgii Fœderati Bruxellis residet, hæc Pauli Alexandrini descripsit in Anglia anno 1721, & mecum communicavit. Permisit enim Filio meo, ut ea ex ipsius Schedis describeret.

I I.

De auctoritate hujus Excerpti.

Doctissimus Ds Smit monet hæc non fuisse in Codice MSto *Baroc-ciano*, quem in Anglia vidit, & cum impresso contulit; sed fuisse in impresso.

Ex verbis autem Editoris, qui Pauli Alexandrini εἰσαγωγὴν εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν, cum vers. Latino, edidit Wittebergæ 1586, in 4°, patet

hæc

hæc fuiſſe in MS^{to} Codice *Ranzoviano*, ex quo editio illa typis expreſſa eſt; quod & contenta hujus Excerpti per ſe docent.

Hæc hujus Libelli editio reperitur in Bibliotheca Lugduno-Batava, inter Mathematicos in 4^{o}, N^{o} 222.

III.

De Paulo Alexandrino ejusque ætate, & de tempore, quo hanc Methodum Computi Solaris conſcripſit.

Tempus, quo Paulus Alexandrinus hanc Methodum Computi Solaris conſcripſit, ex ipſo, quo utitur exemplo, cognoſcitur. Nam dies menſis Mechir 20^{us}, quem *hodiernum diem* vocat, anni a Diocletiano 94^{ti}, concurrit cum die Februarii 14^{o} anni Æræ Chriſti Vulg. 378^{vi}. Scripſit itaque non tantum antequam Theophilus Archiepiſcopus Alexandrinus Laterculum ſuum Paſchalem centum annorum ederet, ſed etiam ante primum iſtius Laterculi annum, qui erat Æræ Chriſti Vulg. annus 380^{us}.

IV.

Ipſum Excerptum Pauli Alexandrini.

Quale illud acceperim, & a Filio meo ex Schedis D^{ni} Franciſci Smit deſcriptum eſt, ita ſe habet:

Inter Codices Baroccianos num. 94. in 8vo erat MSS. Pauli Alexandrini εἰσαγωγὴ εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν. Hic liber Græce impreſſus & Latine verſus eſt, & editus ex Domini Henrici Ranzovii, Sereniſſimi Danorum regis per Holſatiam ad Dithmarſiam legati &c. bibliotheca, impreſſus Wittebergæ 1586 in 4to. Inſcriptus filio ſuo Cronamo, & in Præfatione Autor, qui edidit hanc editionem ait: *De Autore ſcripti præter nomen & Patriam ferme nihil exſtat, conjicere tamen licet ex iis, quæ in libello exponuntur, vixiſſe eum circa tempora Gratiani & Theodoſii Imp. Romani, nam anni a Diocletiano numerati meminit nonageſimi quarti, ubi quota ſit hebdomadis dies, & cujus planetæ nomen habeat, inveſtigare docet.*

Duo vero seq. loca erant in impresso, in MS^to vero non exstabant.

Περὶ τοῦ γνῶναι πόσαι τῶν θεῶν, (hoc est secundum Scholiasten) ἑκάστη ἡμέρα τῆς ἑβδόμαδος, τίνος τῶν ἀστέρων ἐστίν.

ΤΟ τέταρτον τῶν ἀπὸ Διοκλητιανοῦ χρονῶν ὅ (forte, οὗ) ζητεῖς ἐνιαυτοῦ πρόσθες μετὰ καὶ β. Καθολικῶν, καὶ τὸν γινόμενον ἀριθμὸν μέρισον παρὰ τὸ ζ καὶ τὰς καταλιπομένας ταύτας εἶναι τῶν θεῶν λέγε.

Ὑποδείγματος χάριν. Ζητῶ τοῦ ϙδ ἔτους Διοκλητιανοῦ πόσαι τῶν Θεῶν γίνονται ποιήσας τὸ δ αὐτῶν, εὗρον κγ. ταύταις προστίθημι Καθολικὰς β. μετὰ τῶν ϙδ γίνεται ριθ μερίσας παρὰ τὸ ζ. ἑπτάκις ις. ριβ λοιπαὶ ζ. ταύτας εἶναι τῶν Θεῶν λέγω.

Περὶ τοῦ γνῶναι ἑκάστην ἡμέραν τίνος τῶν Θεῶν ἐστίν.

ΤΟὺς ἀπὸ Θὼθ μῆνας, ἕως οὗ ζητεῖς μηνὸς διπλασιάσας πρόσθες τῷ ἀπὸ τῆς διπλώσεως γινομένων ἀριθμῷ τὰς εὑρεθείσας τῶν Θεῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον. καὶ τῷ συναχθέντι ἀριθμῷ ἐπιπρόσθες τὴν τοῦ μηνὸς ποσὴν καὶ τὸν γινόμενον ἀριθμὸν μερίσας παρὰ τὸ ζ. τὰς καταλειφθείσας διέκβαλε

Quomodo sciri debeat, quot sint deorum dies, hoc est, quælibet septimanæ dies cujus sit Planetæ.

QUartam partem temporum a Diocletiano ejus anni quem quæris, adde cum duabus diebus universalibus, & collectum numerum divide per 7. qui relinquuntur, dic esse Deorum dies.

Exempli caussa. Quæro 94 anno Diocletiani quot sint Deorum dies? Sumens horum quartam partem inveni 23, his adjicio universales 2, collectaque hac summa cum 94, fiunt 119, divido per 7. septies 16 sunt 112. Relinquuntur 7. quos esse Deorum dies judico.

Ut sciatur quælibet dies cujus sit Planetarum.

POstquam menses a Thoth vocato usque ad eum, quem quæris mensem, duplicaveris, adjice eorum, qui ex duplatione procreati sunt, numero repertos eo tempore Deorum dies, & aggregato numero insuper adde mensis diem quotam, factumque numerum dividens per 7. quæ reliquæ sunt dies

dies numerare incipe a die Solis secundum septimanæ ordinem, dans unicuique Planetarum diem unam, & scies cujus sit stellæ dies illa quam quæris. Exempli gratia. Quærimus cujus Planetæ dies sit hodiernus qui est vigesimus mensis Mechir anno a Diocletiano 94. Quoniam igitur a Thoth usque ad Mechir sunt menses 6, hos duplamus, fiunt 12, sunt etiam Deorum dies hoc anno 7. hos adjicimus duplicato mensium numero & fiunt 19. His 19 insuper addimus vicesimam diem mensis de qua quæritur, fiunt dies 39. quas dividimus per septem, quinquies 7. sunt 35. residuæ sunt dies 4. Inchoamus hos a die Solis, & numeramus secuti ordinem dierum septimanæ, tribuentes, primam diem Soli, secundam Lunæ, tertiam Marti adsignantes, quartam Mercurio: est igitur attributa secundum hunc modum dies Mercurio.

βαλε ἀπὸ ἡμέρας ☉ τῇ τῆς ἑβδομάδος τάξει διδοὺς ἑκάστῳ τῶν ἀστέρων ἡμέραν ᾱ, καὶ εὑρήσεις τίνος ἀστέρος ἐστὶν, ἣν ζητεῖς ἡμέραν. Ὑποδείγματος χάριν. Ζητοῦμεν τίνος ἡμέρα ἐστὶν ἐπὶ τῆς σήμερον ἡμέρας, ἥτις ἐστὶν κ Μεχὶρ ἔτους ἀπὸ Διοκλητιανοῦ ϙδ. ἐπεὶ οὖν ἀπὸ τοῦ Θὼθ, ἕως τοῦ Μεχὶρ γίνονται μῆνες ς̄ τούτους ἐπιδιπλοῦμεν καὶ γένονται ιβ. εἰσὶ καὶ τῶν Θεῶν κατὰ τὸ ϡ τὸν ἐνιαυτὸν. ζ. ταύτας προστιθέαμεν τῷ ἐπιδιπλωθέντι τῶν μηνῶν ἀριθμῷ καὶ γίνονται ιθ̄, ταύταις ταῖς ιθ ἐπιπροστιθέαμεν τὴν ζητουμένην εἰκάδα τοῦ μηνός. γίνονται ἡμέραι λθ ταύτας μερίζομεν παρὰ τὰ ζ πεντάκις ζ. λε̄, λοιπαὶ δ ἀπολύομεν τὰς δ. ἀπὸ ἡμέρας ☉ καὶ μετροῦμεν, ἀπολυθήσαντες τῇ τῆς ἑβδομάδος τάξει τὴν πρώτην ☉ λογιζόμενος καὶ τὴν β̄ ☾ διδόντες τὴν γ̄, ♂ ἀπονέμοντες τὴν ϡ δ ☿ ἐστὶν ἄρα ἡ ἀναδοθεῖσα κατὰ τὸν προκείμενον τρόπον, ἡμέρα ☿.

V.

Contenta hujus Excerpti.

Hoc Excerptum continet methodum Computi Solaris ad inveniendam Septimanæ Feriam in quolibet anni Alexandrini die dato, cujuscunque anni a Diocletiano dati.

Hæc methodus Computi Solaris dividitur in partes duas.

Prima pars docet invenire πόσαι εἰσὶ τῶν Θεῶν ἡμέραι, hoc est, *quot sint Deorum dies*, sive, ut Computistæ loquuntur, *quot sint Epactæ Solis*, cujuscunque anni a Diocletiano dati.

Altera pars docet invenire (ope Epactarum jam inventarum) ἑκάστην ἡμέραν τίνος τῶν ΘΕΩΝ (vel ΑΣΤΕΡΩΝ) ἐστὶν, hoc est, *quemlibet* in anno

Alexan-

Alexandrino *diem* datum, *cujus Dei* (vel, *Planetæ*) *dies ſit*, ſeu, ut Computiſtæ loquuntur, *quænam Septimanæ dies*, aut *quota Septimanæ Feria ſit in* quolibet anni Alexandrini *die dato*; illius anni a Diocletiano dati.

Utraque pars autem habet primo Regulam generalem, deinde Exemplum ſpeciale, quo uſus Regulæ oſtenditur.

V I.

Circa Textum Græcum partis primæ Obſervationes.

Inſcriptio partis primæ, per illud Scholiaſtæ additamentum non explicatur, ſed obſcuratur, imo corrumpitur; aliud enim eſt, *quærere quot ſint Deorum dies*, ſive, *quot ſint Epactæ* alicujus anni dati, aliud eſt, inventis jam Epactis, porro *quærere de quocunque illius anni die dato*, *cujus Dei*, vel *Planetæ dies ſit*, hoc eſt, *quænam Septimanæ dies*, vel *quota Septimanæ Feria ſit*: an ſcilicet ſit dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, aut Saturni.

In Regula partis primæ vel vitium aliquod irrepſit, vel aliquid excidit, ut ex collatione Exempli patet. Nam non exprimitur cui illa quarta pars addenda ſit, neque ex ipſa Regula cognoſcitur, numerum annorum a Diocletiano uſque ad annum datum incluſive, cum hujus numeri quarta parte, & duabus Catholicis, ſummam collectam conſtituere. forte legendum τὸ τέταρτον τῶν ἀπὸ Διοκλητιανοῦ χρόνων, ὧ ζητεῖς ἐνιαυτῷ προσθὲς μετὰ καὶ β Καθολικῶν; hoc eſt: *Quartam partem annorum à Diocletiano*, *anno*, *quem quæris*, *adjice*, *una cum* 2 *Catholicis* ſeu *Regularibus*.

V I I.

Regula partis primæ, *ſeu methodus inveniendi Epactas cujuscunque anni a Diocletiano.*

Regula generalis partis primæ jubet:

1° *Sumere quartam partem annorum a Diocletiano*, ſive numerum annorum a Diocletiano, a primo uſque ad annum datum incluſive partiri per quaternarium, & hujus diviſionis quotientem adhibere.

2° Huic *adjicere Catholicas*, *ſeu Regulares duas*.

3° His porro *addere annum*, *quem quæris*, hoc eſt, numerum annorum a Diocletiano, a primo uſque ad annum datum, cujus Epactæ quæruntur, incluſive.

 4° Hanc

4° Hanc *summam collectam dividere per Septenarium*, seu ab ea auferre omnes Septenarios.

Et dicit, *Reliquum exprimere, quot sint Epactæ anni dati*.

Sit

e Numerus annorum a Diocletiano ante annum datum elapsorum.
e + 1 Numerus annorum a Diocletiano usque ad datum inclusive.
f Quotiens Numeri e + 1, per Quaternarium divisi.
n Numerus Septenariorum auferendorum.

Numerum e + 1
divide p. 4 erit Quotiens f τὸ τέταρτον
adjice 2 Καθολικὰς
Reliquum e + 1 ÷ 4 f. adde e + 1 ὃν ζητεῖς ἐνιαυτὸν
summa e + 1 + f + 2
divide p. 7 Quotiens n.
Reliquum e + 1 + f + 2 ÷ 7n erit
ipse *Numerus Epactalis*.

Confer Dissertationem nostram de Computo Solari in genere.

VIII.

Exemplum partis primæ.

Quæratur quot sint Epactæ anni a Diocletiano 94^{ti}
e ∝ 93
1
e + 1 ∝ 94 Numerus annorum a Diocletiano usque ad annum da-
divide p. 4 Quotiens 23 ∝ f. τὸ τέταρτον (tum inclusive
adjice 2 Καθολικὰς
Reliquum 2 adde 94 ∝ e + 1. ὃν ζητεῖς ἐνιαυτὸν
summa 119 ∝ e + 1 + f + 2.
divide p. 7 Quotiens 16 ∝ n
adeoque 112 ∝ 7 n ἑπτάκις ιϛ″
Reliquum 7 ∝ e + 1 + f + 2 ÷ 7 n
λοιπαὶ ζ″, ταύτας εἶναι τῶν Θεῶν λέγε.
VII Epactæ anni a Dioclet. 94^{ti}.

I X.

Ad Computum Epactalem supra §° 7, 8. *expositum Observat.*

1ª, Quia, ad capiendam *quartam partem*, hoc est, ad inveniendum quot dies intercalares in annis 93, ante annum datum elapsis, jam fuerint inserti, numerum annorum elapsorum, qui est 93, prius unitate auget, & deinde per quaternarium dividit, hinc patet annum a Diocletiano primum esse secundum ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto. Vide Dissertationem nostram de Computo Solari in genere §° 12, 13, 28. Quod & per ipsum Auctoris Computum invenitur, si enim consecutive Epactæ anni a Dioclet. 1mi, 2di, 3tii, & 4ti inquirantur, videbis Epactas anni 4ti binario crescere; unde patet annum 3um habuisse in fine sextam Epagomenam, & fuisse intercalarem, dierum 366; ac proinde annum 1um fuisse secundum ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto. (*Idem verum est de anno ante Diocletianum 8°, quod nempe sit secundus ab anno intercalari dierum 366, proxime transacto.)

2ª, Quia semper Καθολικὰς, seu *Regulares duas*, quartæ parti jam inventæ adjicit, hinc patet,

Primo in genere, quod Auctor initium Computi non arcescit a primo Diocletiani anno, sed aliquot ante Diocletianum annis Computum suum ineat. Nam si primus Diocletiani annus esset quoque primus in Computo annus, nullus his *Catholicis* in Computo Epactali locus esset. Vide Diss. nostram de Computo Solari in genere; §° 28.

Secundo in specie, quod ab illo, a quo Computi initium arcessitur, anno, usque ad primum Diocletiani annum exclusive, jam duo dies intercalares transierint; hoc enim duæ illæ *Catholicæ* indicant. Cum autem, ut modo vidimus, primus Diocletiani annus sit secundus ab anno intercalari proxime transacto, sequitur annum ante Diocletianum 2um, & 6um fuisse intercalares, dierum 366, ac proinde initium Computi ad minimum sex annis primum Diocletiani annum antevertere. (*imo ad minimum octo annis: quia numerus 2 Καθολικῶν est τὸ τέταρτον numeri 8.)

3ª, Quia quartæ parti, præter *Catholicas* duas, etiam addit numerum annorum a primo Diocletiani usque ad annum datum, non, ut oportebat, exclusive, sed inclusive, hinc patet,

Primo in genere, quod primus Diocletiani annus non sit primus quoque in Computo annus; nam, si hoc esset, tum deberet tantum dies 93, non 94, addere, pro unoquoque scilicet ante annum datum, elapso anno diem unum. Vide Diss. nostram de Computo Solari in genere, §° 15, &c.

Secundo

Secundo in ſpecie, quod initium Computi arceſcatur ab anno ante Diocletianum octavo: nam, ut modo, obſervatione 2ª, vidimus, initium Computi ad minimum ſex annis primum Diocletiani annum antevertit; ac proinde, præter dies 93, pro 93 annis ante annum datum elapſis, debebat adjicere, non unum, ſed ad minimum ſex dies: cum autem non ſex, neque ſeptem, ſed unum adjiciat, hinc patet eum debuiſſe adjicere octo dies, ſed, eum compendio calculi uſum eſſe, & pro octo diebus, ablatâ Septimanâ completâ, adjeciſſe tantum unum diem, quia hoc ad inventionem Feriæ aut Epactarum perinde erat. Adeoque ex hac unius diei, ultra 93, adjectione recte concludimus annum ante Diocletianum octavum eſſe primum in Computo annum.

X.

Obſervationes, §° 9 propoſitæ, illuſtrantur Exemplo.

Quæratur, quot ſint Epactæ anni 94ᵗⁱ Æræ annorum a Diocletiano,

Cujus Æræ annus primus

init a Feria VIª

eſtque ſecundus ab anno intercalari.

$e \propto 93$ Numerus annorum ante annum datum elapſorum.

adde 1 Quia hujus Æræ annus 1ᵘˢ eſt ſecundus a Biſſ.

$e + 1 \propto 94$

divide p. 4 / Quotiens $23 \propto f$

Reliquum 2 adde $93 \propto e$

$116 \propto e + f$

divide p. 7 / Quotiens $16 \propto n$

Reliquum 4 Epactæ $\propto e + f \div 7n$

adde 5 Regulares, quia hujus Æræ annus 1ᵘˢ init a Feria VIª

adde dies 170 a Thoth uſque ad Mechir 20ᵘᵐ

179

divide p. 7 / Quotiens 25

Reliquum 4, adeoque Feria IVª in die Mechir 20°, anni 94ᵗⁱ Æræ annor. a Dioclet.

& ſunt IV Epactæ anni a Diocl. 94ᵗⁱ.

NB. Hic

NB. Hic ad oculum patet, & alias inveniri Epactas, & in Computo Epactali, nullum his duabus Catholicis locum esse: adeoque primum hujus Æræ annum non esse primum quoque in Computo Auctoris annum, sive Auctorem non usum esse Cyclo Solis, qui huic Æræ naturaliter innexus est.

X I.

Observationes, §° 9, propositæ, illustrantur altero Exemplo.

Quæratur, quot sint Epactæ anni 94^{ti} Æræ annorum a Diocletiano.

Posito, quod annus ante Diocletianum octavus sit primus in Computo annus:

Et ille in Computo annus primus
ineat a Feria III^a
sitque secundus ab anno intercalari.

e ∞ 93
adde 8 Quia annus ante Diocl. 8^{us} est 1^{us} in Computo.
adde 1 Quia 1^{us} annus in Comp. est 2^{us} ab anno Biss.

e + 8 + 1 ∞ 102
divide p. 4 / Quotiens 25 ∞ 23 + 2
Reliquum 2. adde 101 ∞ 93 + 8

126 ∞ 116 + 2 + 8
divide p. 7 / Quotiens 17 ∞ n
Reliquum 7 Epactæ anni a Dioclet. 94^{ti},
adde 2 Regulares, quia 1^{us} in Computo annus init a Feria III^a,
adde dies 170 a Thoth usque ad Mechir 20^{um}.

179
divide p. 7 / Quotiens 25
Reliquum 4 adeoque Feria IV^a in die Mechir 20^o anni a Dioclet. 94^{ti}.

NB. Hic habes Auctoris Computum absque illo, quo utitur, calculi compendio.

XII.

Observationes §° 9 propositæ illustrantur tertio Exemplo, quo calculi compendium, quo Auctor utitur, magis detegitur.

Quæratur, quot sint Epactæ anni a Diocletiano 1^{mi}.

Posito, quod annus ante Diocletianum octavus sit primus in Computo annus,

Et ille in Computo annus primus
ineat a Feria III^{a}
sitque secundus ab anno intercalari.

$e \propto 0$
adde 8 Quia annus ante Diocl. 8^{us} est 1^{us} in Computo.
adde 1 Quia 1^{us} in Comp. annus est secundus ab anno Biss.

$e + 8 + 1 \propto 9$
divide p. 4 — Quotiens 2 : : : 2 Catholicæ
adde 8 : : $1 \propto 8 \div 7$
10 — 3 Epactæ anni 1^{mi}.
Reliquum 1 divide p. 7 — Quotiens 1
Reliquum 3 Epactæ anni 1^{mi} a Diocletiano.

Auctoris autem Computus hoc modo procedit.

$e \propto 0$
adde 1
$e + 1 \propto 1$
divide p. 4 — erit Quotiens $0 \propto f$ τὸ τέταρτον
Reliquum 1 adjice 2 Καθολικάς
adde $1 \propto e + 1$ ὃν ζητεῖς ἐνιαυτὸν
summa $3 \propto e + 1 + f. + 2$
divide p. 7 — Quotiens $0 \propto n$
adeoque $0 \propto 7n$
Reliquum $3 \propto e + 1 + f + 2 \div 7n$
sunt itaque III Epactæ anni a Diocl. 1^{mi}.

XIII.

Regula partis secundæ, seu methodus inveniendi, ope Epactarum jam inventarum, quænam sit Septimanæ dies, sive quota sit Feria in quolibet die dato, illius a Diocletiano anni.

Regula partis secundæ jubet

1° *Numerum mensium* a Thoth usque ad mensem, de cujus die quæritur in quam Feriam incidit, inclusive, *duplare*, seu, pro unoquoque mense, ante mensem datum elapso, sumere dies duos, & præterea *Binarium*.

2° Huic duplo mensium adjicere Epactas jam inventas.

3° His porro addere τὴν τοῦ μηνὸς πόστην, hoc est, *Quotam mensis dati diem* datam, sive omnes dies mensis dati, a primo usque ad diem datum inclusive.

4° Hanc *summam collectam partiri per Septenarium*, sive ab ea auferre Septenarios, hoc est, Septimanas completas ante diem datum elapsas.

Et dicit

Reliquum exprimere quota sit Feria Septimanæ in die dato; quæ numerata a die Solis inclusive, juxta ordinem dierum Septimanæ, indicabit quænam Septimanæ dies sit.

Sit

s	Numerus mensium ante mensem datum, in anno dato, elapsorum.
s + 1	Numerus mensium a Thoth usque ad mensem datum inclusive.
y	Epactæ jam inventæ.
q	Quota mensis.
r	Numerus Septenariorum auferendorum.

	s + 1	Numerus mensium a Thoth usque ad mensem datum inclusive.
dupla	2	
	2 s + 2	Duplum horum mensium.
adjice	y	Epactas jam inventas.
adde	q	Quotam mensis. τὴν τοῦ μηνὸς πόστην.
	2 s + 2 + y + q	Summa collecta.
divide p. 7		Quotiens r.
Reliquum	2 s + 2 + y + q ÷ 7 r	Feria quæsita in die dato.

 XIII.

XIV.

Exemplum partis secundæ.

Quæratur, quota sit Feria in die 20° mensis Mechir, anni 94^ti a Diocletiano.

	s + 1 ∞ 6	menses a *Thoth* ad *Mechir* inclusive.
dupla	2 2	
	2 s + 2 ∞ 12	duplum horum mensium.
adde	7	Epactas jam inventas ∞ y
adde	20	Quotam mensis Mechir ∞ q
summa	39	∞ 2 s + 2 + y + q
divide per	7	Quotiens 5 ∞ r
adeoque	35	∞ 7 r. πεντάκις ζ'.
Reliquum	4	∞ 2 s + 2 + y + q ÷ 7 r. λοιπαὶ δ''.

Adeoque IV^a Feria, quæ est dies *Mercurii*, in die 20° mensis Mechir, anni 94^ti a Diocletiano.

XV.

Ad Computum partis secundæ, supra §° 13, 14, *propositum, Observationes.*

1^a, A mense Thoth usque ad mensem Mechir exclusive, sunt menses quinque, quorum quisque dierum 30, adeoque dies 150, quibus si addas dies 20 in mense Mechir, erunt omnes collecti a die Thoth 1° usque ad diem Mechir 20^um, dies 170. Vide supra §° 10, 11. Sed, quia quisque mensis Ægyptius, utpote dierum 30, continet Septimanas completas 4^or, & præterea dies superfluos 2, hinc, propter calculi compendium, pro unoquoque mense ante mensem datum elapso, sumunt non dies 30, sed, abjectis quatuor Septimanis completis, dies 2; adeoque pro quinque mensibus ante mensem Mechir elapsis, sumuntur non dies 150, sed dies 10 ∞ 2 s, hoc est, numerus mensium, a Thoth ad Mechir exclusive, duplatus. Vide Diss. nostram de Computo Solari in genere, §° 71, 74.

2^a, Quia

2ª, Quia Auctor numerum mensium a Thoth ad Mechir, non, ut oportebat, exclusive, sed inclusive, duplat, hinc patet, eum non tantum pro unoquoque mense ante mensem datum elapso, sumere dies 2, sed praeterea etiam adjicere *Binarium*, seu *Regulares* 2. Quos tacite, propter calculi compendium, adjicit, duplando numerum s + 1, sive numerum mensium a Thoth ad mensem Mechir datum inclusive.

3ª, Illae Regulares duae, quae ultra duplum numeri mensium, ante mensem datum elapsorum, tacite adjiciuntur, indicant, quod annus in computo primus, a quo computi initium arcescitur, ineat a Feria IIIª. Vide Diss. nostram de Comp. Solari in genere, §° 8.

4ª, Quia autem illae *Regulares duae* indicant primum in Computo annum inire a Feria IIIª, hinc sequitur

Primo, quod primus a Diocletiano annus non sit primus quoque in Computo annus; nam primus a Diocletiano annus init non a Feria IIIª, sed a Feria VIª.

Secundo, quod octavus ante Diocletianum annus sit primus in Computo annus: nam annus ante Diocletianum octavus init a Feria IIIª. Verum quidem est secundum ante Diocletianum annum inire quoque a Feria IIIª, sed ille in considerationem venire non potest, quia ex duabus *Catholicis*, sive duabus diebus *intercalaribus*, quae in *Computo Epactali* adjiciuntur, patet initium Computi ad minimum sex, imo *octo* annis ante Diocletianum quaerendum esse, ut supra §° 9, Observ. 2ª, vidimus: multo minus autem aliquis annus, qui octavum ante Diocletianum praecedit, in considerationem venire potest, nam primus, qui ante octavum, init a Feria IIIª, est nonus decimus ante Diocletianum annus; a nono decimo autem ante Diocletianum anno usque ad primum a Diocletiano annum non duae, sed quinque dies intercalares transierunt, adeoque non duabus, sed quinque Catholicis opus foret, si inde Computi initium arcesseretur.

XVI.

Observationes §° 15 propositae illustrantur.

Praeter ea, quae ad illustrationem peti possunt ex tribus Exemplis, supra §° 10, 11, 12, expositis; nunc hoc adjicio exemplum.

Quaeratur, quota sit Feria in die 1° mensis Thoth, anni 1^{mi} a Diocletiano.

Resume Epactas anni a Diocletiano 1^{mi}, supra §° 12 inventas . 3
Adjice duplum numeri mensium a Thoth ad mensem datum inclusive 2
Adde porro τὸ ἐκ μηνὸς πέσων, hoc est, diem 1^{um} mensis Thoth . 1

summa dierum collect. 6

adeoque Feria VI^{a} in die 1^{o} mensis Thoth, anni 1^{mi} a Diocletiano,

Vel absque illo, quo Auctor utitur, calculi Compendio

Resumantur Epactæ anni a Diocletiano 1^{mi}, supra §° 12, inventæ 3
Adjice, quia primus in Computo annus init a Feria III^{a}, *Regulares* 2
Adde porro pro unoquoque mense ante mensem datum elapso, dies 2. & quia hic ante mensem Thoth datum, nullus mensis elapsus est, adde 0
Adde denique quotam mensis Thoth, qui hic est ejus dies primus 1

summa dierum collect. 6

adeoque, ut supra, Feria VI^{a} in die 1^{o} mensis Thoth anni 1^{mi} a Diocletiano.

XVII.

De Cyclo Solis quo Auctor utitur, Observationes.

1^{a}, Auctorem non uti Cyclo Solis, qui Æræ Diocletianeæ naturaliter innexus est, & a primo Diocletiani anno, mense Thoth, ejusque die 1^{o} init, ex præcedentibus patet.

2^{a}, Auctorem uti Cyclo Solis, qui init ab anno ante Diocletianum octavo, a mense Thoth, ejusque die 1^{o}, etiam ex præcedentibus patet.

3^{a}, Cycli Solis, quo Auctor utitur, nonus annus concurrit & pari passu ambulat cum primo Diocletiani anno; & Cycli Solis primus annus est vigesimus primus &c. Diocletiani annus: quod præcedentis Observationis $2^{æ}$ consequens est.

4^{a}, Cycli

4ª, Cycli Solis, quo Auctor utitur, primus annus est secundus ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto. Quod ex præcedenti Observatione 3ª patet, & per ipsum Auctoris Computum Epactalem probari potest. Unde porro sequitur, Cycli hujus annum 3um, 7um, 11um &c. esse intercalares, qui habent in fine anni sextam Epagomenam, & sunt dierum 366; & per consequens Cycli anno 4º, 8º, 12º, &c. mensis Thoth diem 1um cadere in mensis Augusti diem 30um.

5ª, Cycli Solis, quo Auctor utitur, primus annus init a Feria IIIª. Quod etiam ex præcedenti Observatione 3ª patet, & per ipsum Auctoris Computum ad inveniendam Feriam probatum est, & porro probari potest. Unde porro sequitur Cycli hujus annum primum inire in tali anno Periodi Julianæ, qui habet Lit. Dom. B A, & Cyclum Solis 5um, & concurrere a sequenti Januario, cum tali anno Periodi Julianæ, qui habet Lit. Dom. G, & Cyclum Solis 6um.

XVIII.

De Cyclo Epactali, quo Auctor utitur, Observationes.

1ª, Epactæ, quibus Auctor utitur, sunt Epactæ simplices & proprie dictæ: quod ex ipsius Computo Epactali per se patet. Vide Dissertat. nostram de Computo Solari in genere, §º 63, &c.

2ª, Primus Cycli Solis, quo Auctor utitur, annus habet Epactas *nullas*, vel, quod eodem redit, VII. Quod per Computum Auctoris Epactalem, si ad annum Diocletiani 21um, qui Cycli Solis 1us est, applicetur, probari potest.

3ª, Epactæ, quibus Auctor utitur, in progressu suo hunc ordinem servant, ut Cycli Solis anno 4º, 8º, 12º, &c. Binario crescant. Quod ex Computo Auctoris Epactali, si ad annum Diocletiani 21um & aliquot sequentes annos applicetur, patere potest.

4ª, Cyclus Epactalis cum Cyclo Solis pari passu decurrit ab octavo ante Diocletianum anno, & anno Diocletiani 21º redintegratur.

5ª, Epactæ Auctoris, licet non considerentur, ut Feriæ concurrentes, sed ut dies adjectitii, tamen exprimunt Feriam concurrentem cum antepenultimo anni Alexandrini præcedentis die, qui in annis Communibus Epagomena 3ª, in intercalaribus vero 4ª est.

X I X.

Schema Cycli Solis cum Cyclo Epactali.

Lit. Dom.	Epactæ	Cycli annus		Lit. Dom.	
B A.	o VII	1		G.	
G.	I	2		F.	
F.	II	3	*	E.	dierum 366.
E.	IV B.	4		D C.	
D C.	V	5		B.	
B.	VI	6		A.	
A.	VII	7	*	G.	dierum 366.
G.	II B.	8		F E.	
F E.	III	9		D.	
D.	IV	10		C.	
C.	V	11	*	B.	dierum 366.
B.	VII B.	12		A G.	
A G.	I	13		F.	
F.	II	14		E.	
E.	III	15	*	D.	dierum 366.
D.	V B.	16		C B.	
C B.	VI	17		A.	
A.	VII	18		G.	
G.	I	19	*	F.	dierum 366.
F.	III B.	20		E D.	
E D.	IV	21		C.	
C.	V	22		B.	
B.	VI	23	*	A.	dierum 366.
A.	I B.	24		G F.	
G F.	II	25		E.	
E.	III	26		D.	
D.	IV	27	*	E.	dierum 366.
C.	VI B.	28		B A.	
Qua currente Cycli Solis anni ineunt		iniens a die 1° Thoth		cum qua, currente a sequente Januario, Cycli Solis anni concurrunt.	

Hujus Cycli Solis annus primus est secundus ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto; & habet, in die Thoth 1°, Feriam III^am^.

XX.

XX.

Schema Cycli Solis in suo concursu cum annis a Diocletiano.

	anni a Diocletiano				Epactæ	Cycli annus		Thoth init	
	21	49	77	329	o VII	1	Feria	III	
	22	50	78	330	I	2	——	IV	
	23	51	79	331	II	3	——	V	dierum 366.
	24	52	80	332	IV	4	——	VII	Aug. die 30°.
	25	53	81	333	V	5	——	I	
	26	54	82	334	VI	6	——	II	
	27	55	83	335	VII	7	——	III	dierum 366.
	28	56	84	336	II	8	——	V	Aug. die 30°.
1	29	57	85	337	III	9	——	VI	
2	30	58	86	338	IV	10	——	VII	
3	31	59	87	339	V	11	——	I	dierum 366.
4	32	60	88	340	VII	12	——	III	Aug. die 30°.
5	33	61	89	341	I	13	——	IV	
6	34	62	90	342	II	14	——	V	
7	35	63	91	343	III	15	——	VI	dierum 366.
8	36	64	92	344	V	16	——	I	Aug. die 30°.
9	37	65	93	345	VI	17	——	II	
10	38	66	94	346	VII	18	——	III	
11	39	67	95	347	I	19	——	IV	dierum 366.
12	40	68	96	348	III	20	——	VI	Aug. die 30.
13	41	69	97	349	IV	21	——	VII	
14	42	70	98	350	V	22	——	I	
15	43	71	99	351	VI	23	——	II	dierum 366.
16	44	72	100	352	I	24	——	IV	Aug. die 30°.
17	45	73	101	353	II	25	——	V	
18	46	74	102	354	III	26	——	VI	
19	47	75	103	355	IV	27	——	VII	dierum 366.
20	48	76	104	356	VI	28	——	II	Aug. die 30°.
	ineuntes a mensis Thoth die 1°.					iniens a mensis Thoth die 1°.			

XXI.

De hujus Cycli Solis Auctore, qui eum instituit, Observationes.

1ª, Paulus Alexandrinus hunc Solis Cyclum non instituit, sed ab aliis jam institutum & in usu receptum, invenit, & adhibuit.

Hoc patet, quia hic Solis Cyclus non ab Æræ Diocletianeæ, qua utitur, anno primo, sed ab anno ante Diocletianum octavo initium sumit. Nulla enim ratio dari potest, cur tali Cyclo uteretur, quæ Æram, qua utitur, octo annis antevertit, & non potius alio, qui Æræ Diocletianeæ naturaliter innexus est, & cum primo Diocletiani anno init, quam illa, quod potius Cyclo jam instituto & in usu recepto, utpote notiori, uti voluerit, quam alium ipse instituere.

2ª, Hic Solis Cyclus institutus est, ut mihi videtur, ab Alexandrinis.

Hoc patet, quia Paulus noster, qui ipse Alexandrinus erat, eum adhibuit, idque, ut credibile est, eam ob causam, quia hunc Solis Cyclum, apud suos Alexandrinos, jam institutum, & in usu receptum, & ad annum Alexandrinum accommodatum, inveniebat.

3ª, Hic Solis Cyclus institutus est ab iis Alexandrinis, qui alia & quidem tali utebantur Æra, cui ille naturaliter innexus est, & a cujus primo anno initium sumit.

Hoc patet, quia hujus Cycli primus annus est secundus ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto, & init a Feria IIIª. Nisi enim Æra, qua utebantur, eos coëgisset, cur non potius pro primo Cycli anno talem assumpsissent annum, qui ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto *primus* erat, & a Feria Iª inibat; qualis est hujus Cycli annus 16us. Talis enim annus in Computo, tam ad inveniendum Epactas anni dati, quam ad inveniendam Feriam in quolibet anni dati die dato, commodissimus est.

4ª, Æra autem, ab Alexandrinis usurpata, cui hic Solis Cyclus naturaliter innexus est, nulla alia hactenus mihi occurrit, quam illa Æra annorum a Mundo Condito, qua tam *Anianus*, quam *Panodorus*, Monachi Ægyptii, in sua Chronographia, usi sunt, teste *Georgio Syncello*.

Illius enim Æræ Mundi primus annus init in anno Periodi Julianæ Prolepticæ 7201°, qui habet Lit. Dom. BA, & concurrit, a sequente Januario, cum ejusdem Periodi anno 7202°, qui habet Lit. Dom. G.

plane

plane ut hujus Solis Cycli primus annus. Vide Diss. nostram de Comp. Solari in genere, §° 31, 32.

Præterea illius Æræ annus 5816us, qui Periodi, 532 annorum, undecimæ annus 496us, & Cycli Solis 20us est, init in Æræ Vulg. Christi anno 323°, & concurrit cum ejusdem Æræ anno 324°, & per consequens Æræ illius annus 5816us est Æræ Diocletianeæ annus 40us, qui hujus Cycli Solis quoque 20us annus est.

XXII.

De Æra Diocletianeâ, ejusque concursu cum Æra Christi vulgari.

Ex hoc Pauli Alexandrini Computo non tantum patet, Æram Diocletianeam Alexandrinis in usu fuisse, sed præterea inde eruuntur characteres anni hujus Æræ primi, ejusque concursus cum Ærâ Christi Vulgari.

Characteres primi a Diocletiano anni, ex hoc Computo eruti, sunt

1. Quod ineat a mensis Thoth die 1°, concurrente cum mensis Augusti 29°.

2. Quod ineat a Septimanæ Feria VIa.

3. Quod sit ab anno apud Alexandrinos intercalari, dierum 366, proxime transacto, *secundus*.

4. Quod ineat in tali Periodi Julianæ, & Æræ Christi Vulg. anno, qui habet Lit. Dom. FE, & Cyclum Solis 13um.

5. Quod sit Cycli Solis juxta Paulum Alexandrinum, & alios ante eum Alexandrinos, annus 9us.

6. Quod sit Æræ Mundanæ Aniani & Panodori annus 5777us, qui habet Cyclum Solis 9um, Lunæ 1um.

Talis autem Æræ Christi Vulg. annus, qui habet Lit. Dom. FE, spatio 28 annorum semel tantum occurrit, & hoc in casu est annus 284us.

adeoque

labente	init	&	concurrit
Æræ Christi Vulg.	Æræ Dioclet.		cum Æræ Christi Vulg.
anno	annus		anno
284°. FE.	1us ab Aug. 29°,		285° D.

 XXIII.

XXIII.

Hujus Cycli Solis annus 1^us init in ☉, concurrit cum his Æræ Christi Vulg. annis.

labente Æræ Christi Vulg. anno ante Christum 5 BA post Christum		init Cycli Solis annus ab Aug. die 29° 1^us	& concurrit cum Æræ Chr. Vulg. anno ante Christum 4 G post Christum	
24	BA	——	25	G
52	——	——	53	——
80	——	——	81	——
108	——	——	109	——
136	——	——	137	——
164	——	——	165	——
192	——	——	193	——
220	——	——	221	——
248	——	——	249	——
276	——	——	277	——
304	——	——	305	——
332	——	——	333	——
360	——	——	361	——
388	——	——	389	——
416	——	——	417	——
444	——	——	445	——
472	——	——	473	——
500	——	——	501	——
528	——	——	529	——
556	——	——	557	——
584	——	——	585	——
612	——	——	613	——
640	——	——	641	——

XXIV.

Methodus ad inveniendum quotus sit hujus Cycli Solis annus in quocunque Æræ Diocletianeæ anno dato.

Anno Æræ Diocletianeæ dato adjice octo; & summam collectam divide per 28; Reliquum indicabit quotus in anno dato sit Cycli Solis annus.

XXV.

Methodus ad inveniendum quotus Cycli Solis annus ineat *in*, *vel* concurrat *cum quocunque Æræ Christi Vulgaris anno dato.*

Anno Æræ Christi Vulg. dato adjice quinque; & summam collectam divide per 28: Reliquum indicabit, quotus hujus Cycli Solis annus *ineat* in illo anno Æræ Christi Vulgaris.

Anno Æræ Christi Vulg. dato adjice quatuor; & summam collectam divide per 28: Reliquum indicabit, quotus hujus Cycli Solis annus *concurrat* cum illo anno Æræ Christi Vulg. dato.

DE
COMPUTO SOLARI ALEXANDRINORUM.

I.

Quinam veterum de hoc Computo egerint, & hic conferendi.

PAulus Alexandrinus in ſua εἰσαγωγῇ εἰς τὴν ἀποτελεσματικήν.
Heraclius Imperator in ſua methodo Paſchali.

I I.

Quinam recentiorum de hoc Computo egerint.

Neminem hactenus deprehendi, qui hac de re agat ex profeſſo.

I I I.

Quibus in locis ego jam antea de hoc Computo egi.

In Obſervationibus noſtris ad Computum Solarem Pauli Alexandrini.
In Obſervationibus noſtris ad methodum Paſchalem Heraclii Imp.
In Diſſertatione noſtra de Computo Solari in genere.

I V.

Monitum.

Suppono, ut in Diſſertatione de initio primi & reliquorum annorum in Cyclo Solis Alexandrinorum, jam probatum, annos Cycli Solis

lis Alexandrinorum omnes & ſingulos inire a menſis Thoth die 1°, adeoque cum annis Alexandrinorum civilibus pari paſſu ambulare: ſaltem ex antiquiore hujus Cycli conſtitutione.

Suppono, ut in eadem Diſſ. jam probatum, primum hujus Cycli annum pari paſſi ambulare cum tali anno, qui habet in menſis Thoth die 1° Feriam III^am^, & qui ſecundus eſt ab anno revera intercalari, dierum 366, proxime transacto.

V.

De ordine tractationis in hac Diſſertatione obſervando.

Quæ de Computo Alexandrinorum Solari dicenda ſunt tractabo per partes, & quidem hoc ordine.

A. Agam de hoc Computo eorum Solari, dato anno Cycli Solis, & hujus anni Epactis. §° 6–19.

B. Agam de hoc Computo eorum Solari, dato anno Cycli Solis, quomodo ſcilicet indagaverint Epactas ex anno Solis dato. §° 20–28. Eaque occaſione etiam de Cyclo Epactali Alexandr. §° 29, 30.

C. Agam de hoc Computo, dato Æræ alicujus anno, quomodo ſcilicet indagaverint annum Cycli Solis ex illo Æræ anno dato. §° 31—35.

D. Agam de hoc Computo, dato Æræ alicujus anno; quomodo ſcilicet indagaverint Epactas ex illo Æræ anno dato, absque diviſione annorum Æræ per 28, ſeu absque inquiſitione anni Cycli Solis §° 36—44.

E. Agam, de duplici Compendio calculi in inveſtigatione Feriæ, quando dies propoſitus cadit in menſem Phamenoth, aut Pharmuthi, dato vel invento anno Cycli Solis, & hujus anni Epactis, aut dato anno Æræ alicujus, & hujus anni Epactis. §° 45—49.

VI.

A. Quæritur, quomodo Alexandrini, dato anno Cycli, & hujus anni Epactis, indagaverint Feriam in cujuscunque menſis die quocunque propoſito, in anno Alexandr. civili fixo.

VII.

Modus 1^us^ generalis. Absque ullo calculi Compendio

Sumebant *Epactas* datas.

His adjiciebant *Catholicas duas*.

Porro

Porro addebant omnes dies, a menſis Thoth die 1° incluſive, uſque ad menſis diem propoſitum incluſive, collectos.

Deinde ſummam totalem, ex his tribus conflatam, partiebantur per Septenarium, & ſic ab ea auferebant omnes Septenarios.

Et reliquum exprimebat Feriam quæſitam in die propoſito.

VIII.

Exemplum Modi 1^{mi}.

Quæritur quænam Feria incurrat in menſis Pharmuthi diem 3^{um}, anno Cycli Solis 20°, cujus Epactæ ſunt III.

Sume Epactas, anni 20^{mi}, datas . . .	3
adjice Catholicas	2
adde dies a Thoth 1° — Pharm. 3^{um} . .	213
ſumma .	218
hanc ſummam partire per 7	
Reliquum	1
adeoque Feria I^{a} in Pharm. die 3°	

IX.

Obſervatio ad Modum 1^{um} *de duabus Catholicis.*

Quia annus Cycli Solis Alexandrinorum 1^{us} init a Feria III^{a}, in menſis Thoth diem 1^{um} incurrente, hinc requiruntur in Computo *Catholicæ duæ.* Vide Diſſ. de Computo Solari in genere, §° 8°, Obſerv. 3^{a}.

Et hæ *duæ Catholicæ* in hoc Alexandrinorum Computo Solari ita neceſſariæ, & huic Cyclo ita propriæ ſunt, ut vel explicite, vel ſaltem implicite, hunc Computum ingrediantur, & in eo inveniri debeant.

X.

Obſervatio ad Modum 1^{um} *de diebus omnibus collectis a die* 1° *Thoth uſque ad diem propoſitum, quinam hac collectione dierum uſi ſint.*

Inter Computiſtas Alexandrinos qui exſtant, nemo mihi hactenus occurrit, qui hac operoſiori omnium dierum collectione uſus ſit.

XI. Mo-

XI.

Modus 2^us specialior cum uno calculi Compendio.

Sumebant, ut ſupra, *Epactas* datas.
His adjiciebant, ut ſupra, *Cathol. duas.*
Porro addebant
Duplum menſium a menſe Thoth incluſive, uſque ad menſem, cujus dies proponitur, *excluſive.*
Ποϛιαίαν, ſeu *quotam menſis* diem propoſitam.
Deinde ſummam totalem, ex his quatuor particularibus conflatam, partiebantur per Septenarium.
Et reliquum exprimebat Feriam quæſitam in die propoſito.

XII.

Exemplum Modi 2^di.

Quæritur, ut ſupra, Feria in menſis Pharmuthi die 3°, anno Cycli Solis 20°, cujus Epactæ ſunt III.

Sume Epactas anni 20^mi datas . . .	3
adjice Catholicas	2
adde duplum ſeptem menſium a Thoth incluſive uſque ad Pharmuthi excluſive . .	14
adde ποϛιαίαν menſis Pharmuthi propoſitam .	3
	22
hanc ſummam partire per 7/	
Reliquum	1.

Adeoque, ut ſupra, Feria 1^a in Pharmuthi die 3°.

XIII.

Obſervatio ad Modum 2^dum de hujus Compendii fundamento.

Fundamentum hujus Compendii in eo ſitum eſt, quod menſes Alexandrinorum omnes ſint Tricenarii, & quod unusquiſque menſis XXX dierum habeat, præter Septimanas quatuor completas, dies duos ſuperfluos.

XIV.

Observatio ad Modum 2^{dum} de usu hujus Compendii.

Hujus Compendii usum invenimus apud *Paulum Alexandrinum*, & *Heraclium Imperatorem*, qui tamen eo non simpliciter utuntur, sed hoc cum altero Compendio involvunt: de quo mox.

XV.

Modus 3^{us} specialissimus cum altero calculi Compendio, quod cum priori conjungitur.

Sumebant, ut supra, *Epactas* datas.

His adjiciebant *duplum mensium*, a mense Thoth inclusive, usque ad mensem, cujus dies proponitur *inclusive*.

Porro addebant (ut in Modo 2^{o}) *quotam mensis* diem propositam.

Deinde summam totalem, ex his tribus particularibus conflatam, partiebantur per Septenarium.

Et Reliquum exprimebat Feriam quæsitam in die proposito.

XVI.

Exemplum Modi 3^{tii}.

Quæritur, ut supra, Feria in mensis Pharmuthi die 3^{o}, anno Cycli Solis 20^{o}, cujus Epactæ sunt III.

Sume, ut supra, *Epactas* datas . . .	3
Adjice *duplum octo mensium*, a Thoth inclusive, usque ad Pharmuthi *inclusive*	16
Adde quotam Pharmuthi diem propositam . . .	3
summa	22
hanc summam partire p.	7 /
Reliquum	1.

Adeoque, ut supra, Feria I^{a} in Pharmuthi die 3^{o}.

XVII.

XVII.

Observatio ad Modum 3^um, de Catholicis duabus, ut videtur, omissis.

Catholicæ duæ, quæ videntur omitti, revera tamen non omittuntur, sed tacite includuntur in duplo mensis Pharmuthi, qui naturaliter excludi debebat, sed propter Compendium calculi, extraordinarie includitur.

XVIII.

Observatio ad Modum 3^um de ejus usu.

Hoc 3° Modo usi sunt Paulus Alexandrinus, & Heraclius Imperator.

XIX.

Quæritur an Alexandrini in Computo Solari usi sint προσθεταῖς mensium.

Προσθέται mensium sunt vel simplices, vel compositæ ex simplicibus & Catholicis.

Προσθέται simplices sunt dies in unoquoque mense, a primo incipiendo & sic porro progrediendo, ultra quatuor Septimanas, superflui, in unam summam collecti, demptis ab hac summa Septenariis. Vide Dissert. de Computo Solari in genere, §° 76.

Harum usum in Computo Alexandrinorum Solari nondum reperi.

Et ratio clara est, quia Computus juxta Modum 3^um ita facilis est, ut iis facile carere possit.

XX.

B. Quæritur, quomodo Alexandrini, dato anno Cycli Solis, investigaverint Epactas.

XXI.

Modus 1^us naturalis absque ullo artificio.

Sumebant pro unoquoque anno Cycli, ante annum datum elapso, diem unum; seu sumebant annum Cycli datum, uno dempto.

 Præ-

Præterea numerum annorum, ante annum datum elapſorum, unitate auctum, dividebant per quaternarium, & hujus diviſionis quotientem adjiciebant: ſeu capiebant anni dati *quartam partem*, eamque adjiciebant.

Summam totalem, ex his duabus particularibus conflatam, partiebantur per Septenarium.

Et reliquum exprimit Epactas quæſitas anni in Cyclo Solis dati.

XXII.

Exemplum Modi 1^{mi}.

Sit datus annus Cycli Solis 20^{us}, & quærantur hujus anni Epactæ.

Sume pro unoquoque anno, ante datum elapſo, diem unum: ſeu ſume annum datum, uno dempto	19
Anni dati 20, cape quartam partem, quæ eſt 5, eamque adjice: ſeu numerum annorum ante datum elapſorum, qui eſt 19, unitate auctum, adeoque 20, divide per quaternarium, & hujus diviſionis quotientem, qui eſt 5, adjice . . .	5
ſumma	24
hanc ſummam partire p. 7	
Reliquum	3.

Adeoque Cycli Solis annus 20^{us} habet *Epactas* III.

XXIII.

Obſervatio ad Modum 1^{um}, *de hujus Computi fundamento.*

Quia unusquiſque annus Julianus, ſeu formæ Julianæ, communis, præter LII ſeptimanas completas, diem unum ſuperfluum habet, hinc pro unoquoque anno, ante annum datum elapſo, ſumitur dies unus; adeoque hic, ubi annus 20^{us} datus eſt, pro annis 19, ante 20^{um} elapſis, ſumuntur dies 19.

Quia in annis formæ Julianæ, unoquoque anno quarto, unus dies intercalatur, ideo diviſione annorum, ante datum elapſorum, per quaterna-

narium, exploratur, quot dies intercalares in annis ante datum elapsis inserti sunt: & ut hæc exploratio absque errore fieri possit, *Numerus annorum ante datum elapsorum, prius hic unitate augetur, quia Cycli Solis annus 1us est secundus ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto:* & propterea hic numerus annorum elapsorum, qui est 19, unitate auctus, adeoque 20, qui est ipse numerus anni dati, dividitur per quaternarium, & quotiens exprimit, quot dies intercalares in 19 annis, ante 20um elapsis, sint inserti, nempe 5, qui illis 19 adjiciuntur, & fit summa dierum 24.

Si ab his 24 diebus auferantur tres Septimanæ completæ, remanent dies 3, quæ *Epactæ* vocantur.

Numerus autem ille Ternarius revera exprimit Feriam 3am, concurrentem cum 3° die ante mensis Thoth diem 1um, a quo Cycli Solis 20us init.

Ac proinde si his Epactis III adjicias Catholicas duas, invenies Feriam Vam in die, qui mensis Thoth diem 1um immediate præcedit; & Feriam VIam in ipso mensis Thoth die 1° anno Cycli 20°, & sic porro.

XXIV.

Observatio ad Modum 1um, de ejus usu.

Hoc 1° Modo revera usus est Heraclius, addito tamen aliquo artificio: de quo mox.

XXV.

Modus 2us minus naturalis, cum aliquo artificio, sed levi.

Sumebant annum Cycli datum.
Huic adjiciebant ejus quartam partem.
Ab hac summa auferebant unitatem.
Reliquum partiebantur per Septenarium.
Et quod ex hac divisione reliquum erat, exprimebat Epactas quæsitas anni in Cyclo Solis dati.

XXVI.

Exemplum Modi 2^di^.

Sit annus Cycli Solis datus 7^us^, & quærantur hujus anni Epactæ.

Sume annum Cycli datum	7
Adde ejus propriam quartam partem: ſeu divide 7 per 4, & ejus Quotientem 1, adjice	1
ſumma	8
aufer ab hac ſumma . . .	1
Reliquum	7
partire hoc Reliquum per	7/
Reliquum	7 vel 0.

Adeoque annus Cycli Solis 7^us^ habet Epactas VII. vel 0.

XXVII.

Obſervatio ad Modum 2^um^, de artificio in eo adhibito.

Hoc artificium in eo conſiſtit, quod non annus datus, uno dempto, ſed annus datus, nullo dempto, ſumatur: & quod dies ille, qui ultra debitum ſumptus erat, deinde iterum auferatur. Unde calculus recte procedit.

Hoc autem iis, qui eo modo utebantur, facilius in calculo viſum fuit.

XXVIII.

Obſervatio ad Modum 2^um^, de ejus uſu.

Hoc 2° Modo uſus eſt Heraclius Imperator.

XXIX.

Schema Cycli Epactalis Alexandrinorum.

Hoc Schema ſupra exhibui in Diſſertatione de Computo Solari in genere §° 64 & 65. N° 1.

Nec non in Diſſertatione de Pauli Alexandrini Computo Solari §° 19.

XXX.

Observationes de Epactis & Cyclo Epactali Alexandrinorum.

1^{a}, Epactæ Alexandrinorum ſunt ſimplices & proprie dictæ. Vide Diſſ. de Computo Solari in genere. §° 63.

2^{a}, Locus proprius Epactarum in Cyclo Solis Alexandrinorum, ex ejus antiquiore conſtitutione, ſive dies, cui hæ Epactæ affixæ ſunt, eſt dies anni Alexandrini antepenultimus: qui in annis communibus, dierum 365, eſt 3^{a} Epagomena, concurrens cum Auguſti die 26° ; in annis vero intercalaribus, dierum 366, eſt 4^{a} Epagomena, concurrens cum Auguſti die 27. Dies enim in anno Alexandrino intercalaris, quæ 6^{a} Epagomena vocatur, & ultimus anni dies eſt, ſemper diem Auguſti 29^{um} occupat, & ſequentis menſis Thoth diem 1^{um} protrudit ad Auguſti diem 30^{um}. & quando in anno Alexandrino inſertus eſt dies intercalaris, occupans Auguſti diem 29^{um}, tum in Februario, qui hunc menſem Auguſtum inſequitur, inſeritur dies Biſſextilis in anno Romano.

3^{a}, Epactæ Solis Alexandrinorum revera exprimunt Feriam, cum die anni Alexandrini antepenultimo concurrentem. Licet enim anno Cycli 1° dentur Epactæ nullæ, inde contrarium concludi non poteſt: nam primo perinde eſt in Computo, ſive anno Cycli 1° dentur Epactæ VII, ſive nullæ: præterea Epactæ in Computo Alexandrinorum conſiderantur non tam ut Feriæ concurrentes, quam ſimpliciter, ut Epactæ ſeu dies adjectiles ad Feriam calculo indagandam in quocunque die anni propoſito: accedit, quod ope duarum Catholicarum, anno Cycli 1° ad Kalendas Thoth adjectarum, reductio ad diem Dominicam jam peracta ſit.

4^{a}, Ex Cyclo Epactali patet, annos in Cyclo Solis Alexandrinorum 3^{um}, 7^{um}, 11^{um} &c. eſſe revera intercalares, qui habent in ſui fine VI^{am} Epagomenam, ſuntque dierum 366. Notandum tamen annos, qui hos immediate ſequuntur, quique ineunt ab Auguſti die 30mo, nempe 4^{um}, 8^{um}, 12^{um}, &c. vocari, & in Cyclo ſignari, ut Intercalares & Biſſextiles, licet ſint tantum dierum 365. Cujus rei ratio hæc eſſe videtur, quod hoc ſigno indicare voluerint, in Computo horum annorum, ob VI^{am} Epagomenam in fine præcedentis anni adjectam, adhibendas eſſe Epactas, præcedentibus Binario majores. Forte

te etiam hoc ſigno B, indicare voluerunt, labente hoc anno Alexandrino, in ſequenti Februario anni Romani (adeoque ante hujus anni Paſcha) diem Biſſextilem inſertum iri; idque ne in collatione menſium & dierum anni Alexandrini, cum menſibus & diebus anni Romani, circa tempus Paſchale, error oboriretur. Accedit & hoc, quod in Computo Alexandrinorum Solari ad inquirendam Feriam in quolibet anni die dato, adhibeantur Epactæ diei anni Alexandrini antepenultimo affixæ, & duæ Catholicæ; adeoque in illo Computo Solari anni, exempli gratia, Cycli Solis 4[ti] dies ipſe intercalaris, qui anni Alexandrini dies ultimus eſt, comprehendatur.

XXXI.

C. Quæritur, quomodo Alexandrini, dato Æræ alicujus anno, inveſtigaverint annum Cycli Solis.

XXXII.

Dato anno Æræ Mundi, ſecundum Alexandrinos, inveſtigarunt annum Cycli hoc modo:

Annum Æræ Mundanæ, ſecundum Alexandrinos datum, partiebantur per 28.

Et reliquum exprimit annum Cycli Solis quæſitum, cum Æræ Mundi anno dato concurrentem, & pari paſſu ambulantem.

Quia Cyclus Solis Alexandrinorum Æræ Mundi Alexandrinæ innexus eſt: & quidem ita, ut hujus Æræ annus 1[us] ſit quoque Cycli Solis annus 1[us], & ambo ineant a menſis Thoth die 1°, Feria III[a], & uterque ſit ſecundus ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto.

XXXIII.

De uſu hujus Modi.

Alexandrinos hoc modo uſos fuiſſe, colligi poteſt ex Computo *Aniani*, & *Maximi*.

XXXIV.

XXXIV.

Dato anno Æræ Diocletianeæ investigarunt annum Cycli hoc Modo:

Anno Æræ Diocletianeæ dato adjiciebant annos octo.

Deinde hoc aggregatum partiebantur per 28.

Et Reliquum exprimit Cycli Solis annum quæsitum, cum anno Æræ Diocletianeæ dato concurrentem, & pari passu ambulantem.

Quia annus Æræ Diocletianeæ 1us est Cycli Solis Alexandr. 9us.

XXXV.

De hujus Modi usu.

Alexandrinos hoc modo usos fuisse, non dubito.

Latet ille in Computo Pauli Alexandrini.

XXXVI.

D. Quæritur, quomodo Alexandrini, Æræ alicujus anno dato, indagaverint Epactas, absque inquisitione anni Cycli Solis.

XXXVII.

Dato anno in Æra M. secundum Alexandrinos, investigarunt Epactas hoc Modo:

Sumebant annum Mundi datum, exempli gratia, 6133, uno dempto, hoc est	6132
Anni dati, exempli gratia, 6133, capiebant quartam partem, eamque adjiciebant, seu numerum annorum, ante datum elapsorum, qui est 6132, unitate auctum, adeoque 6133, dividebant per quaternarium, & hujus divisionis quotientem, qui est 1533, adjiciebant . .	1533
summa	7665
hanc summam partiebantur per	7
Reliquum	0 vel 7.

Adeoque Æræ Mundi, secundum Alexandrinos, annus 6133us habet Epactas nullas, vel VII.

Fundamentum hujus Computi est, quod huic Æræ Cyclus Solis Alexandrinorum innexus sit, ut diximus supra §° 32.

XXXVIII.

Observatio de usu hujus Modi.

Usum hujus Modi apud Alexandrinos nondum repperi.

Videtur ob difficultatem calculi, vel non admissus, vel mature rejectus fuisse.

XXXIX.

Dato anno Æræ Diocletianeæ, investigarunt Epactas hoc Modo:

Sumebant annum datum, uno dempto, octonario auctum, exempli gratia, 94 ÷ 1 + 8, hoc est 101

Numerum 101, unitate auctum, adeoque 102, dividebant per 4, & quotientem, qui est 25, adjiciebant . . . 25

summa 126

hanc summam partiebantur per 7

Reliquum 7

Adeoque Æræ Diocletianeæ annus 94^{us} habet Epactas VII.

Fundamentum hujus Computi est, quod Diocletiani annus 1^{us} sit Cycli Solis Alexandrinorum annus 9^{us}, adeoque Cycli Solis Alexandrinorum annus 1^{us} ineat cum anno ante Diocletianum 8^{o}.

XL.

Observatio de usu hujus Modi.

Hoc Modo revera usus Paulus Alexandrinus, sed eum variis Compendiis involvit, ut vix agnosci possit. Vide infra $§^{um}$ 41.

X L I.

Dato Æræ Diocletianeæ anno 94° inquirit Paulus Alexandrinus Epactas hoc Modo:

Anni a Diocletiano dati, qui est 94, capit quartam partem quæ est	23
His adjicit Regulares duas	2
Porro addit annum Diocletiani datum	94
summa	119
hanc summam partitur per	7/
Reliquum	7

Adeoque annus Diocletiani 94^us habet Epactas VII.

Artificium hujus Computi explicavi in Dissertatione de Computo Solari Pauli Alexandrini. Vide quoque infra §^um 42.

X L I I.

Computus Pauli Alexandrini aliter propositus.

Sume pro annis octo ante Diocletianum elapsis *annos* 8, *vel dempto Septenario*, *annum* 1, quia hoc in Computo eodem redit	8	. :	1
Sume pro annis, ante annum Diocletiani 94 datum elapsis	93	. :	93
	101	. .	94
Numerum annorum ante Diocletianum elapsorum, qui est 8, unitate auctum, adeoque 9, divide per 4, & quotientem qui est 2, regulariter adjice . .	2	: : :	2
Numerum annorum in Æra Diocletiani ante annum 94 datum elapsorum, qui est 93, unitate auctum (quia ex præcedenti divisione annus 1 reliquus fuit) adeoque 94, divide per 4, & quotientem, qui est 23, adjice	23	. .	23
summa	126	. .	119
hanc summam partire per .	7/		7/
Reliquum	7	: .	7
ut supra.			

XLIII.

Dato anno Æræ Heraclii investigabant Epactas hoc Modo:

Sumebant annum Æræ datum, nullo dempto, ex. gratia,	29.
Adjiciebant ejus quartam partem	7
summa	36
ab hac summa auferebant unitatem	1
Reliquum	35
hoc Reliquum partiebantur per	7
Reliquum	0 vel 7.

Adeoque Æræ Heraclii anno 29°, Epactæ nullæ, vel VII.

Quia Æræ Heraclii annus 1us est quoque Cycli Solis Alexandrinorum annus 1us.

Artificium hujus Computi jam expositum est supra §° 26—28.

Æra Heraclii procedit ab Indictione 1a anni Imperii ipsius 3tii.

Quæritur autem hic, quot sint Epactæ Solis, Indictione XIVa anni Imperii Heraclii 31mi.

Ab hac Indictione 1a usque ad illam XIVam inclusive, sunt anni 29, adeoque datus est Æræ Heraclii 29us.

XLIV.

Observatio de usu hujus Modi.

Hic modus (quod Æram attinet) non fuit Alexandrinorum, sed Heraclio Imperatori proprius est, qui hanc Æram seu Epocham constituit. Et Collectio annorum, ab hac Epocha procedentium, usque ad annum Indictionis labentem datum, cujus Epactæ quæruntur, non ita facilis est. Ipse autem calculus, quando distantia anni dati ab hac Epocha cognita est, nihil habet singulare, nisi illud artificium, de quo supra §° 26, 27, jam egimus.

XLV.

XLV.

E. Quæritur, quo Compendio calculi Alexandrini usi sint in investigatione Feriæ, quando dies propositus cadebat in mensem Phamenoth aut Pharmuthi, datis aut inventis jam istius anni Epactis.

.

XLVI.

Sit (ut supra §° 12) propositus dies Pharmuthi 3us, in anno cujus Epactæ sunt III.

Sumebant Epactas datas	3
Adjiciebant Catholicas	2
Et quia duplum septem mensium a Thoth ad Pharmuthi *exclusive*, præcise erat 14, & quia in Computo perinde est, sive duo Septenarii, mox auferendi, adjiciantur, sive non, nihil addebant . .	0
Addebant quotam mensis	3
summa	8
hanc summam partiebantur per	7
Reliquum	1
ut supra.	

XLVII.

De usu hujus Compendii in mense Pharmuthi.

Hujus Compendii Exemplum nondum repperi.

Et ratio clara est, quia, ut supra §° 15—18 vidimus, in duplo mensium mensem Pharmuthi includentes, non 14, sed 16 habebant, quando dies in mense Pharmuthi propositus erat.

XLVIII.

Sit propositus dies Phamenoth 3us in anno, cujus Epactæ sunt III, & conferatur, supra §° 15–18.

Sumebant Epactas datas	3
Et quia duplum mensium septem, a Thoth ad Phamenoth *inclusive*, præcise erat 14, adjiciebant	0
Addebant porro quotam mensis	3
summa	6
hanc summam partiebantur per	7
Reliquum	6

XLIX.

De usu hujus Compendii in mense Phamenoth.

Hoc Compendio usus est *Heraclius Imperator.*

DE INITIO, SEU PRIMO ANNO CYCLI SOLIS ALEXANDRINORUM.

I.

Quæstio explicatur.

QUæritur hic non de initio singulorum in Cyclo Solis annorum, de eo enim separatim agam.

Sed quæritur hic, quis illorum 28 annorum, ex quibus Cyclus Solis constat, sit apud Alexandrinos in eorum Cyclo Solis ordine numerandi primus annus.

II.

Quibus Characteribus annus Cycli Solis 1^us designari, & a reliquis distingui possit.

Cum Cyclus nullum φύσει, sed tantum θέσει initium habeat, requiruntur characteres quidam distinctivi, qui huic anno, & quidem Soli proprii sunt, eumque hoc modo a reliquis 27 discernant.

Hi characteres maxime proprii sunt Feria in certo aliquo anni Alexandrini die, & simul distantia hujus anni Alexandrini ab anno eorum intercalari, qui habuit 6^am Epagomenam, & fuit dierum 366, proxime transacto.

Potest etiam annus Cycli 1^us determinari ex connexione, quam habet cum certo aliquo anno Æræ alicujus cognitæ.

Potest

Poteſt præterea annus Cycli 1us determinari ex ejus concurſu cum certo aliquo anno Cycli alicujus Solis cogniti.

Poteſt porro annus Cycli 1us determinari ope Literarum Dominicalium.

III.

Prænotanda quædam.

1um, Annus Alexandrinus fixus init a menſe Thoth, cujus primus dies incidit ordinario in Auguſti diem 29um, ſed, quando dies eorum intercalaris quæ 6a Epagomena vocatur, & ultimus anni eorum dies eſt, præceſſit, in Auguſti diem 30um.

2um, Poſt diem intercalarem in anno Alexandrino inſertum, qui ſemper diem Aug. 29um occupat, inſeritur in ſequenti Februario dies intercalaris in anno Romano Juliano.

3um, Ego in hac Diſſertatione annum Alexandrinum intercalarem voco, qui in fine 6am Epagomenam habet, & revera eſt dierum 366. & eum annum qui hunc ſequitur, voco primum ab intercalari.

4um, Menſis Phamenoth dies 28us ſemper cadit in Martii diem 24um ſeu IX Kal. Apr., & Pharmuthi dies 5us ſemper cadit in Martii 31um.

5um, Cycli Solis annus 1us connexionem dicitur habere cum certo aliquo Æræ alicujus anno, quando inſervit ad prodendam Feriam in illo die in quem cadit Luna XIVa Paſchalis, quæ ad illum iſtius Æræ annum pertinet.

6um, Cycli Solis annus 1us concurrere dicitur cum certo aliquo Cycli alterius anno, quando hujus Cycli annus 1us & ille alterius Cycli annus ambo inſerviunt ad Computum plane ejusdem Paſchatis, & eodem ordine occurrentis.

IV.

Annus Cycli Solis Alexandrin. 1us deſignatur per Feriam in certo anni die, & hujus anni diſtantiam ab anno intercalari.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus init cum vel in tali anno Alexandrin.

Qui habet in menſis Thoth die 1o (Aug. 29o) Feriam IIIam, & in Pha-

Phamenoth 28°, & Pharmuthi 5°, (Martii 24°, & 31°) Feriam VII^am^.

Eſtque ſecundus ab anno intercalari, dierum 366, proxime tranſacto.

Talis autem annus Alexandrinus init in tali anno Periodi Julianæ, qui habet Lit. Dom. B A. Et concurrit cum tali anno Per. Jul., qui habet Lit. Dom. G.

V.

Annus Cycli Solis Alexandrinorum 1^us^ deſignatur per ejus connexionem cum Æra Diocletianea.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus connectitur cum anno ante Æram Diocletianeam octavo, & cum anno Æræ Diocletianeæ 21°.

Et annus Cycli Solis Alexandrinus 9^us^ connectitur cum Æræ Diocl. anno 1°.

V I.

Annus Cycli Solis Alexandrinorum 1^us^ deſignatur per ejus connexionem cum Æra Vulgari Chriſti.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus connectitur cum ann ante Æram Vulg. Chriſti 4°, & cum Æræ Vulg. Chriſti anno 25°.

Et annus Cycli Solis Alexandrinorum 5^us^ connectitur cum Æræ Vulg. Chriſti anno 1°.

Et annus Cycli Solis Alexandrinorum 4^us^ connectitur cum Æræ Vulg. Chriſti anno 532.

V I I.

Annus Cycli Solis Alexandrinorum 1^us^ deſignatur per ejus connexionem cum Periodo Juliana.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus connectitur cum Periodi Julianæ anno 6°. Et cum omni tali Periodi Julianæ anno, qui habet Literam Dominicalem G, immediate poſt B A.

VIII.

Annus Cycli Solis Alexandrinorum 1us designatur per ejus connexionem cum Æra Alexandrinorum & Antiochena.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus connectitur cum Æræ Alexandrinæ & Antiochenæ anno 1°.

IX.

Annus Cycli Solis Alexandrinorum 1us designatur per ejus connexionem cum Æra Constantinopolitana.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus connectitur cum Æræ Constantinopolitanæ anno 17°.

X.

Annus Cycli Solis Alexandrinorum 1us designatur per ejus connexionem cum Cyclo Solis, qui Periodo Julianæ innexus est.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus concurrit cum anno Cycli Solis, qui Periodo Julianæ innexus est, 6°, qui insignitur Lit. Dom. G, immediate post BA.

XI.

Annus Cycli Solis Alexandrinorum 1us designatur per ejus connexionem cum variis Cyclis Solis Græcorum.

Primus Cycli Solis Alexandrinorum annus concurrit cum anno 1° Cycli Solis

Pauli Alexandrini.
Anniani Monachi Ægyptii.
Theophili Alexandrini.
Panodori Monachi Ægyptii.
Heraclii Imperatoris.
S. Maximi Monachi & Martyris.
Georgii Syncelli.

XII.

XII.

Probatur primo.

Ex Computo Solari Pauli Alexandrini, in ejus εἰσαγωγῇ εἰς τὴν ἀποτελεσματικήν.

Vide Diss. noſtram de hoc ejus Computo.

XIII.

Probatur ſecundo.

Ex Periodo 532 annorum, & Computo Paſchali Anniani Monachi Ægyptii.

Vide Diss. noſtram de ejus Periodo 532 annorum.

XIV.

Probatur tertio.

Ex Cyclo Paſchali 418 annorum Theophili Alexandrini.

Vide Diss. noſtram de hoc ejus Cyclo.

XV.

Probatur quarto.

Ex Periodo 532 annorum, & Computo Paſchali Panodori Monachi Ægyptii.

Vide Diss. noſtram de hoc ejus Cyclo 532 annorum.

XVI.

Probatur quinto.

Ex Computo Solari Heraclii Imperatoris.

Vide Diss. noſtram de Methodo, ſeu Computo Paſchali Heraclii Imperat.

DE INITIO

Primi & reliquorum annorum

IN

CYCLO SOLIS

ALEXANDRINORUM.

I.

Quid hic quæritur.

QUæftio hic non eft de initio, feu primo anno Cycli Solis Alexandrinorum; quis fcilicet in ordine annorum hujus Cycli primus numeretur: nam de eo feparatim jam egi.

Sed quæftio eft de initio omnium & fingulorum hujus Cycli annorum, & in fpecie de initio primi in hoc Cyclo anni: a quo fcilicet fixo anni civilis Alexandrini die omnes & finguli hujus Cycli anni initium ducant. An ineant una cum anno Alexandrinorum civili a menfis Thoth die 1°, an vero ineant a certo aliquo menfis Phamenoth aut Pharmuthi die circa Æquinoctium vernum.

Et de primo hujus Cycli anno in fpecie porro quæritur, quænam Feria incurrat in primum iftius anni Alexandrini diem, a quo annus Cycli primus init, & quotus ille annus Alexandrinus fit ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto.

II.

Quæstio determinatur.

Cycli Solis Alexandrinorum primus annus, & reliqui omnes, adeoque hujus Cycli anni omnes & singuli initium ducunt, una cum anno Alexandrinorum civili, a mensis Thoth die 1°. Saltem ex antiquiore hujus Cycli constitutione.

Primus hujus Cycli annus init una cum tali Alexandrinorum anno civili, qui habet in mensis Thoth die 1° Feriam III^am^, & secundus est ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto; quique init a die Augusti 29° in tali anno Periodi Julianæ qui habet Literam Dominicalem B A. & concurrit cum tali anno Per. Jul., qui habet Lit. Dom. G, immediate post B A.

Prius proprie hic probandum est.

Posterius tum per se sequitur, quia ex Dissertatione altera de initio seu primo anno Cycli Solis Alexandrinorum, jam constat, quis ex XXVIII hujus Cycli annis, ordine numerationis primus sit.

III.

Monitum.

Non nego tempore posteriori a Græcis, qui hunc Cyclum Solis Alexandrinorum receperant, & forte etiam ab ipsis Alexandrinis, initium omnium & singulorum in hoc Cyclo annorum, loco motum & a mensis Thoth die 1° protrusum esse ad certum aliquem anni civilis diem, circa Æquinoctium vernum.

Ut videre licet in S. Maximi Computo Paschali, &c.

Ideo addidi supra §° 2 hæc verba, saltem ex antiquiore hujus Cycli constitutione.

IV.

Probatur primo.

Ex Computo Solari Pauli Alexandrini, qui ſcripſit anno Diocletiani 94°, Chriſti 378°, in ejus εἰσαγωγῇ εἰς τὴν ἀποτελεσματικήν.
Vide Diſſ. noſtram de hoc ejus Computo Solari.

V.

Probatur ſecundo.

Ex Computo Solari Heraclii Imperatoris, quem ſcripſit anno Chriſti 619°.
Vide Diſſ. noſtram de Methodo Paſchali Heraclii Imp.

AN, ET QUANDO,
INITIUM ANNORUM
IN
CYCLO SOLIS ALEXANDRINORUM
Translatum sit a mense Thoth ad mensem Pharmuthi, saltem in usu Paschali.

I.

Indicatur, quid in hac Quæstione supponatur.

SUpponimus, ut in Dissertatione singulari jam probatum, initium primi & reliquorum annorum in Cyclo Solis Alexandrinorum, ex antiquiore hujus Cycli constitutione, processisse a mensis Thoth die 1°, a quo annus Alexandrinorum civilis inibat.

II.

Quæstio exponitur.

Quæstio duplex est; quæritur de re ipsa, an factum fuerit: quæritur etiam de tempore, quando factum.

Præterea quæstio de re ipsa, quodammodo limitatur his verbis, *saltem in usu Paschali*; adeoque tertio quæritur, si hoc factum fuerit, quousque se hæc translatio extenderit, & an hoc simpliciter & absolute, an vero cum aliqua limitatione capiendum.

Hæc tria ordine tractabimus.

III. *Ad*

III.

Ad Quæstionem, an *talis translatio facta fuerit respondetur.*

Quanquam hactenus mihi nulla testimonia occurrerunt, quæ testantur Alexandrinos in Cyclo suo Solis talem translationem admisisse, quâ annorum hujus Cycli initium a Thoth ad Pharmuthi transtulerint.

Videor mihi tamen talia indicia deprehendisse, unde hoc colligi possit: si non absolute, saltem cum tanta probabilitate, ut res ipsa vix negari possit.

IV.

Probatio prima, ex concurrentibus Dionysii & Bedæ.

Concurrentes, quarum Dionysius meminit in ejus 1ª de ratione Paschæ Epistola, & quæ in Cyclo XCV annorum, ab ipso edito, & a Beda continuato, conspiciuntur, affixæ sunt IX Kal. April., hoc est, Martii 24°.

Hæ concurrentes, huic diei affixæ, non sunt ipsius Dionysii inventum. Nulla enim ratio dari potest, cur illi, qui anno & mensibus Romanis uterentur, eas affixissent diei Martii 24°; & non potius diei Martii 31° (quemadmodum *S. Maximus* fecit) ut sic annus eorum Solaris technicus, & Cyclicus procederent a Kal. Apr.

Sed admodum probabile est, Dionysium has concurrentes habuisse ab Alexandrinis, easque (una cum Epactis Lunæ Alexandrinorum) ex Cyrilli Cyclo XCV annorum, in suum totidem annorum transtulisse: Cyclus enim Dionysii erat continuatio Cyrilliani, & *ad illius normam compositus:* ut ipse Dionysius dicit in Epistola 1ª de ratione Paschæ.

V.

Probatio secunda, ex natura harum concurrentium, seu Epactarum Solis, in relatione ad annum Alexandrinorum, & ordinarium eorum Computum Solarem.

Eadem Feria, quæ concurrit cum antepenultimo anni Alexandrini die, & cum sequentis Thoth die 1°, etiam concurrit cum sequentis Phamenoth die 28, & Pharmuthi die 1°.

Nam

Nam a mensis Thoth die 1° inclusive, usque ad mensis Phamenoth diem 30um inclusive, seu Pharmuthi diem 1um exclusive, sunt præcise dies 210, seu Septimanæ triginta; adeoque semper eadem Feria cum Kalendis Thoth & Pharmuthi concurrit, in omnibus Cycli annis: ac proinde primo Cycli anno, in Thoth & Pharmuthi diem 1um incurrit Feria IIIa.

Quia autem in die antepenultimo anni, qui est dies ante mensem Thoth tertius, est Feria VIIa anno Cycli 1°, erit quoque Feria VIIa in die sequentis Phamenoth 28°, qui quoque tertius ante mensem Pharmuthi dies est, eodem anno Cycli 1°.

Dies autem Phamenoth 28us semper cadit in diem IX Kal. April.; hoc est, Martii 24um.

Hinc patet ratio cur in anno Alexandrino concurrentes, seu Epactæ Solis affixæ sint diei Phamenoth 28°: nempe 1°, quia in illo die habebant easdem concurrentes, seu Epactas Solis, quæ affixæ erant antepenultimo anni Alexandrini diei. 2°, quia quemadmodum antepenultimus anni Alexandrini dies erat dies ante mensem Thoth tertius, ita quoque dies Phamenoth 28us est dies ante mensem Pharmuthi tertius: adeoque utrobique, tam inter anni Alexandrini diem antepenultimum & mensis Thoth diem 1um, quam inter mensis Phamenoth diem 28um, & mensis Pharmuthi diem 1um, intercedant duæ Catholicæ.

Unde porro patet eandem Computi Solaris formam retineri, quando initium annorum Cycli Solis procedit a mense Pharmuthi, cum ea, quæ in usu erat, quando initium annorum Cycli Solis procedebat a mense Thoth.

Nam utrobique habes easdem Epactas, cum iisdem duabus Catholicis, & diebus, vel a Thoth vel a Pharmuthi, usque ad diem propositum collectis, in unam summam conflandas, ut Septenariis ab ea ablatis, Reliquum prodat Feriam quæsitam in die proposito.

Hic itaque habes indicium probabilissimum, quod Alexandrini initium annorum Cycli Solis, quod ex antiquiore hujus Cycli constitutione, procedebat a mense Thoth, deinde jusserint procedere a mense Pharmuthi: retinentes easdem numero & ordine Epactas, seu concurrentes, sed nunc affixas Phamenoth 28° (IX Kal. Apr. Mart. 24°) cum antea affixæ fuerant diei antepenultimo anni civilis Alexandrini. Atque hinc esse, quod Dionysii & Bedæ concurrentes, desumptæ ex Cyclo Cyrilli XCV annorum, affixæ sint diei Martii 24° in anno Romano. Ut diximus supra §° 4°.

V I.

Ad Quæstionem, quando *talis translatio facta fuerit, respondetur.*

Hactenus mihi tempus hujus translationis, ab Alexandrinis factæ, in incerto est.

Concurrentes, seu Epactas Solis in Cyclo XCV annorum Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi, jam affixas fuisse diei Phamenoth 28°, quod hujus translationis indicium est, rationibus admodum probabilibus ostendi, supra §° 4 & 5. Cycli autem Cyrilli annus 1^us^ concurrit cum anno Christi 437°.

V I I.

De hujus Quæstionis limitatione.

Quando dicimus initium annorum Cycli Solis a Thoth ad Pharmuthi translatum esse, hoc non absolute & simpliciter, sed cum aliqua restrictione & limitatione capiendum est. Nam

1°, Non abjecerunt eo ipso antiquiorem Cycli sui constitutionem, & Computum Solarem, qui a Thoth procedit. Quod patet ex Computo *Heraclii*, qui seculo 7° ineunte, antiquum Alexandrinorum Computum Solarem, tanquam adhuc in usu, ad annum Romanorum applicavit.

2°, Hunc novum Computum adhibuerunt tantum in usu Paschali, vel, ut distinctius rem exprimam, in Cyclis Paschalibus, in quibus non tantum Lunæ XIV^æ^ Paschales, sed & ipsæ Dominicæ Paschales cum suis Lunis adnotabantur. In his Cyclis enim adscribebant Epactas Solis, exprimentes Ferias concurrentes cum mensis Phamenoth 28° die. Atque ex illa Feria, concurrente cum illo die, facile, absque ullo calculo, deprehendebant Feriam in illo mensis Phamenoth die, in quem Luna XIV^a^ Paschalis, hoc vel illo Cycli anno, incidebat; Luna enim XIV^a^ citima cadebat in Phamenoth diem 25^um^. Idem obtinebat in illis annis, in quibus Luna XIV^a^ Paschalis cadebat in priores mensis Pharmuthi dies. Quando autem Luna XIV^a^ Paschalis cadebat in genere in mensem Pharmuthi, facili Computo inveniebatur Feria in illis Pharmuthi diebus, si nempe ad Epactas diei Phamenoth 28° affixas, ad-

adjicerent duas Catholicas & quotam mensis Pharmuthi, & ab hac summa auferrent Septenarios.

3°, Cum autem Epactæ, quæ diei Phamenoth 28°, in illis Cyclis Paschalibus affigebantur, eædem plane sint cum illis, quæ diei anni Alexandrini antepenultimo affixæ erant; videtur hæc res magis spectanda esse tanquam calculi compendium in antiquiore Computo, quam tanquam effectiva initii annorum Cycli mutatio & translatio. Vide Diss. de Computo Solari Alexandrinorum.

4°, Imo, si quis hoc malit, illa Epactarum seu concurrentium adscriptio ad hunc diem Phamenoth in illis Cyclis, simpliciter considerari potest, tanquam indicium, quo ostendebatur quænam Feria per omnes Cycli annos, cum illo mensis Phamenoth die concurrebat, ut hujus ope, & fere absque ullo calculo explorari posset, quænam Feria concurrat cum illis diebus, quibus Lunæ XIVæ Paschales (in illis Cyclis notatæ) affixæ erant, atque hoc modo inde porro constaret, Dominicas Paschales in illis Cyclis recte notatas esse.

5°, Manebat itaque, extra hos Cyclos Paschales, & antiquior Cycli Solis constitutio, & antiquior Alexandrinorum Computus Solaris, a mense Thoth procedens. Atque illa Epactarum Solis, seu concurrentium ad diem Phamenoth 28um, seu IX Kal. Apr., hoc est, Martii 24um translatio, idque eum in finem, ut Computo facillimo explorentur ipsa Paschata, an recte, ad suos in anno civili dies, posita & descripta essent, potius pro calculi compendio, quam pro reali initii annorum in Alexandrinorum Cyclo Solis mutatione, habenda erit. Confer Observationes nostras ad Prosperi Chronicon, §° LIII. N° 3°, p. 206. &c. ubi hæc fusius explicantur.

FINIS.

E R R A T A

sic corrigenda.

Pag. 25. linea 15. pro Penconia, lege Pentonia.
p. 26. lin. 2. pro qui postea 626, lege qui post a. 626.
p. 67. lin. 1. pro ἐλέγκεται, lege ἐλέγχεται.
p. 73. lin. 7. pro πολυείσης, lege πολυείδης.
p. 95. lin. 16. pro ἐπιδείξωι. lege ἐπιδείξω.
p. 101. lin. 8. pro affixisse, lege affixerit.
p. 177. lin. 14. pro id Hierosol., lege idque Hierosol.
p. 273. lin. 29. pro Lunæ Ætas est *XII*, lege Lunæ Ætas est *XI.*
p. 340. lin. 30. pro dies 354, lege dies 364
p. 353. lin. 20. pro Chronographiam p. lege Chronographiam p. 35. A.
p. 358. lin. 25. pro Lit. Dom. lege Lit. Dom. B A.
—— & lin. 27. pro Lit. Dom. lege Lit. Dom. B post C.
p. 396. lin. 18. pro ἀπολουθήσαντες, lege ἀκολουθήσαντες.



Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Indagine, Johannes ab,

Dissertationes de Cyclis Paschalibus (qui Enneadecaeteride Alexandrina nituntur) Dionysii scil. et Bedae, Rauennatensi, Isidori, Felicis, Cyrilli ut et de Enneadecaeteridis Alexandrinae natura et constitutione, initio seu primo anno ... ut et de Computo lunari Alexandrinorum nec non de Computo Solari ingenere, et Pauli Alexandrini, atque Alexandrinorum in

Amstelodamum 1736

4 P.lat. 1057-5
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10686045-5